












[illegible]



HIERONYMI REVSNERI, NORDLINGENSIVM POLIATRI, DIEXODICARVM Exercitationum LIBER de SCORBVTO.

IN QVO, PRÆTER GENVINAM VARIORUM, nouorum ac insolentium morborum prosapiam, solertemq; lienis e priscorum mystarum Pandectis erutam liturgiam, exaugurata Paracelsitarum Hieroglyphia, nec non exauctorata Parachymicorũ Chrysurgia, enucleatur:

Quomodo iuxta Hippocratis Galenique therapeusin, selecta Spagiricorum Magisteria tuto administrari possint.

Σιὼ τῷ λόγῳ, καὶ λόδῳ.



FRANCOFVRTI,
Ex Officina Paltheniana, Anno 1600.



GENEROSO

DOMINO, DN. CONRADO SENIORI, BARONI IN BEmelberg & Hohenburg, Domino in Bissingen, Buschhaussen ac Eroltzheim: Illustrissimi Ducis Boiarici, Consiliario, & Præfecto Wembdingensi, &c. Domino suo clementi,

S. P. D.

HIERON. REVSNERVS D.

EX amianto lapide, in fila tenuia in mortario æneo malleato & carminato, non duntaxat ellychnia, flammis, oleo superstite, indomita compaginari: sed æque etiam, ac ex Lino Asbestino, apud Indos mantella texi, adfirmant Dioscorid. lib. 5. cap. 100. & Paulus Venetus lib. 7. Nauigation. cap. 47. Hæc inquinata, si pyræ iniecta flammescant, tãtum abest, ut comburantur: ut etiam, detersis absque smigmate, lixiuioq; sordibus, candore eximio nitidiora eximantur. Id ante Caroli Imperatoris χειρόμακτρα,

& sudarium vultus Saluatoris effigie insignitum, à Tartarorum Rege Romam missum, (de quib. Langius lib. 1. epist. 66 scribit) experti sunt, teste Plinio lib. 19. cap. 1. prisci libitinarii: qui regia cadauera funebribus ex amianto lacernis amiciuerunt: quæ in vstrina fauillam corporis a reliquo cinere discluderent. Eiusdem prosapiæ eruditorum disceptationes sunt: quæ, si barbaro aut inscitiæ aut ambiguitatis borboro obfuscentur, quo accuratius in incude scholarum igne Promethei, quem cœlitibus subripuit, examinantur: eo solennius, valere iussis pecoris Arcadici calamistris, in proscenium prodit veritas. Ignis autem Promethei methodus est, qua dispersa disciplinarum theoremata suis coercentur limitibus: quaque, ceu Tenedia bipenne, hydra sophisticæ confusionis, scientiis bellum faciens, conciditur. Hæc ordini naturæ potius, quam ancipitis coryphæi consulto innititur. Ex hoc more quia veteres Reges plurimum emolumẽti ad mæandros præstigiarum exstirpandos redundare cernerent: frequenter Doctorum dissertationes adornarunt, victoresque præmiis decorarunt: vt his calcaribus hominum industria, & amor studiorum liberalium acueretur. Sic Artemisia Cariæ Regina, monumentum illud magnificentissimum Mausoli mariti dicãs, lesso præficarum, nænias & hymnos principum ingenii ac doctrinæ, Theopompi atq; Isocratis concertantium prætulit. Idem contigit Homero & He-


ſiodo, in Oelyci Theſſali exſequiis, & Amphidamantis Chalcidenſis. Horum ſolertiam, hac memoria, florentiſsimæ ſectantur Academiæ, quæ ad Gordonios controuerſiarum nodos extricãdos, Prometheos multos, antiſtites nempe atq; anteceſſores cogunt: qui poſt mediam noctem cœnæ ineunt rationem, vt ſagacibus palleſcant diſputationibus. Porro qua alacritate, ad veritatis præſidium, hi coram coniunctis copiis hoſtem exterminãt: eandem illi æmulantur; quos nullius vnquam temporis aut commodum, aut otium a litteris abſtrahit, aut voluptas auocat, aut denique ſomnus retardat, vt toto cælo diſsitos ſcriptis erudiant. Horum facinus ideo luculentiore encomio dignum cenſetur: quod vbertim Siſyphi ſaxum volutare coguntur: dum a quolibet abſente, qui nonnunquam ne primoribus quidem labris limpidos philoſophiæ fontes delibauit, trux cauterium experiuntur: cum neque denti Theonino reſiſtere, neq; cauſſam præſentes contra eos, qui exiſtimationem depeculãtur, orare poſsint. Aſperrime vero tractantur: ſi in Phocionis Athenienſis eant ſententiam: qui coram oraculo & colluuie populi, ſibi vni nihil placere omnium, quæ vulgus dicit, intrepide profeſſus fuit. In ſpinoſis his labyrinthis philoſophi, minime effœminati, ſepias ac loligines imitantur: quæ, cum ſibi inſidias ſtrui ſentiunt, atramenti, (quod pro ſanguine habent,) eiaculatione occultantur. Interim gallinæ Numi-

dicæ siue Meleagrides rotent. Interim pauo gemmantes caudæ suæ miretur pennas. Tales sacelli Asclepiadei Hierophantas ego deperio. Quanquam enim hoc labore scribendi supersedere potuissem: Spartam tamen, quam nactus sum, conor ornare. Sic nucem frangat, qui nucleum esse vult: quod habet parœmia. At quia non deerunt Momi, qui exploso Promethei igne, ignem Vulcani his Exercitationibus ideo intentabunt: quod vnius vel alterius hominis auctoritatem labefactatam malim, quam proditam rempublicam literariam: te, Generose Domine Baro, summisse obtestor: vt me, qui patrocinium veritatis in Scorbuti senticetis suscipio, contra misosophorum bombylos, qui seuum psittacorum more negligunt erudientem, tuearis. Ad te, Domine clemens, scribere volui. Et caussæ, sinceritatem medicinæ philosophicæ eximie amas, empiricis ad pistrini penes subscudem circinnationem & faliscas clatratas remissis: ecce hic eius adsertio. Philochemiæ deditos vnice probas: ecce hic misochymicorum pædagogium. Remediorum Spagiricorum nobilitatem hactenus sæpe expertus es: ecce hic istius λειτουργίας, aduersus eos, qui λιτουργεῖν solent, propugnaculum. Cui iccirco alii, quam tibi, Heros ingenue, acroama hoc consecrare deberem? Serena igitur fronte lege: mihique pro limata tua eruditione & illustri clementia faue. Feceris hoc:

& at-

& attigero, ad quod collineaui equidem, dum ad te scribere volui. Dominus θεάνθρωπος, *pro sua* φιλανθρωπίᾳ *in hoc calamitatum phrontisterio, te, cum ambobus Generosis filiis, omnis beatitatis diu compotem reddat,*

Amen.



LIBRI DE SCORBVTO EXERCITATIO I.

Origo Scorbuti.

GALEN. lib. 2. de difficult. respirat. cap. 1. pro tribunali veritatis, rem trutina librans, ex æquo & bono censet: hoc esse iustum, decensque præmium eorum, qui quodcunque tandem in vita bonum inuenerunt: ne inuenta illorum occultentur, neque hominibus sint ignota: sed tum ipsa appareant: tum ratio & methodus, quæ ea inuenit, cognoscatur: sic enim pro dignitate ipsos in admiratione constitui continget. Eandem cantilenam Celsus lib. 2. cap. 13. canit: oportere neq; recentiores viros in his fraudare, quæ vel repererunt, vel recte secuti sunt: & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere. Hoc actutum illustrat exemplo Asclepiadis, de frictione scriptitantis, cuius vestigiis nostra ætate superciliosi quidā plagiarii insistunt: qui ea, quæ a medicinæ proceribus disseminata sunt in orbis terræ memoriam sempiternam, vel manca esse baubantur: dum leuissimis momentis impelluntur ad incomparabilium heroum obtrectationem: vel præstantiorem consiliorum effigiem, summis ingeniis politam, relinquere conantur. Ne vero lippi deprehendant, illos suppositiis cristis tripudiare: ac parabolas triuialibus Diariorum abacis non ignotas, cartis illinere: morborum familiam pro arbitrio augent: & cœlū terramq; implo-

implorantes, nouas ſubinde, quas priſci ne quidem per tranſennam viderunt, lues comminiſcũtur: quarum magiſtrales & ſpecificas per pyronomiã ac πλουτακαδημείαν curationes, propria induſtria ſe ſolos indagaſſe, Stentoris inſtar, clamitant. Huiuſmodi cancellis & Scorbutum includunt.

Ne porro ἀλαζονοχαυνοφλύαροι videantur: his accincti armis in palæſtram deſcendunt.

Deum petulcam hominum tergiuerſationem, aliaque effrena ſcelera infinitis morbis ad internecionem vſque punire, ex innumeris ſacrorum oraculorum locis, maxime vero Deuteron. cap. 28. certo liquet. Augmentatis inſuper delictis, & pœnas augmentari, nouoſque morbos gigni, colligunt ex Leuitic. cap. 26. vbi Moſes inquit: Si, ait Ioua, mihi non obtemperantes, non exſequimini omnia hæc iuſſa: ſi meis inſtitutis repudiatis, ſi mea iura deſpicati, violato fœdere, quod mihi vobiſcum intercedit, præceptis meis omnibus non parueritis: ego viciſſim faciam: vt vos & tabis, & febrium, & oculos cõſumentium, & animos diſcruciantium, pernicie perſequar. Quod ſi ne ſic quidem mihi obtemperabitis: ego veſtrorum ſcelerum pœnas in ſeptuplum augebo, veſtræque peruicaciæ ſuperbiam frangam, conflatoque in vos bello, immiſſaque in vos peſte, violatum fœdus vlciſcar.

Deinde cum Theophraſt. Paracelſ. lib. 3. de male curatis reſtituend. cap. 7. ſingulares ἀποτελεσμάτων aceruos excogitant, & humanarum rerum fata, in hoc oculis noſtris obtenſo cœlo, cõſignata eſſe tanquam tabella adſtruunt. Primas autem iſta μετεωροσκοπιλὴ zodiaci aſteriſmis & errantibus ſideribus vendicat: quæ ſolem πηγὴν τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, vt eum Ptole-

mæo lib. 1. Quadripartiti nominat) ſexagono, triquetrove συσχηματισμῷ intuentur: ſi præſertim & hic vis domiciliorum καὶ ὑψωμάτων adſentiatur. Propter has enim oppoſitiones domorum & exaltationes flagrant odio ſigna, & amicitiæ nexu conuinciuntur. Hinc peſtilentes, malignoſq; morbos inuehi & exaſperari ſcribunt auctores, Saturni per Leonem aut Aquariũ decurſu: ſi inprimis Mars loricatus aut adhæreat falcifero ſeni Saturno, maxime in Virginis & Geminorũ ſignis: aut ex aduerſo accedat. Cuiuſmodi Planetarũ συζυγίαι iam frequentiſſimæ deprehenduntur. In Saturno autem claudicante vbertim cuditur faba: qui in κακὴν τύχην vel κακοδαίμονα delatus, ſpleni, cerebro, veſicę, hypochondriis & melancholico humori, innumeras inualetudines minatur: q̃d ius ſibi vendicat vel propria δυνάμει, vel cum ſigne Signiferi, cui ſubeſt. Sic quib. Saturnus & Mars opponuntur: ii dyſuria ex calculo vel aliis cauſſis vexãtur.

Dilucidius hoc enodãt Paracelſi adſeclæ, qui, non inuenuſta microcoſmi cum macrocoſmo collatione, omnium morborum ſemina ex aſtris deriuari rentur. Quemadmodum ex ſiderum reſolutionibus ad nos demitti cernimus non ſolum mannas, rores, ſudum, etefias, zephyros, pluuias, æſtus, ſed grãdines etiam, gelicidia, turbines, niues, nebulas, præſterem: ita quoque reſolutiones cœleſtium ſeminum variãt. Nam ſtellę fœcundę per breuia & frequentiora plenilunia nutrimentum generant ſyncerum, omni vi vel medicamentoſa vel virulenta ſpoliatum, quales ſunt lactis, mellis, temeti, tritici conditiones. Nonnullæ vero aereorum ſeminum reſolutiones ad tincturas medicamentoſas leuiter declinant: quæ crebriores quotannis deprehẽduntur: & lactucæ, man-

næ,rosarum,violarũ,vini meracioris,aceti atq; agrestæ signaturis superbiunt:ex quibus leues quoq; oriuntur morbi,vtputa grauedines,tusses,horrores,lassitudines. Aliæ ecõtra pharmaci naturam prorsus induunt,iuxta proprietates cicutæ,mandragoræ,opii, esulæ,colocynthidis,ari,vrticæ, vitrioli: quæ pro varia tempestatum συςάσει morbos creant varios. Sic Austrinæ radices & stellæ signaturas possident sulfureas,mercuriales,lactucosas,tithymallosas,arsenicales,auripigmentales. Quę impressiones,quamprimum procrastinatione sua seminariis radicibus apta ditarunt corpora,ξενηλασίαν floccipẽdunt: &, ob innati balsami peregrinis impressionibus minus recalcitrantis eneruationem & κακουχίαν, generabuntur febres, catarrhi, phthisis, hectica,pleuritis, parotides,anginæ & ὁμοιοσχήμονες. In quibusdam deniq; siderum resolutionibus venenatæ tincturæ arsenici, auripigmenti, aconitorum, napelli manifeste grassantur:quæ,si certas reuolutiones sequũtur,morbos inconsuetos, endemios, epidemicos & pestilentes inuehunt: qui δυσσπόπαυςοι ex validissimis resolutionibus constant. Si vero ex astris, quæ mundana coniugia perpetua occulte & ἐπικρατέως adspernantur, κακεντρεχείᾳ prosiliant:inuisa morborum nouitas inducetur:quorum natales ad tincturarum,scientiæ & prędestinationis conditionibus dependent:quę nouas morborum,mortisq; anatomias singulis seculorum reuolutionibus gignunt: nũc quidem momentaneas, siue fixa tinctura,vt in pestis aliquot speciebus,sudore Anglico,peste petechiosa:nunc vero stabiles cum transplantationibus fœcundis, vt in pudẽdagra,ac lepra. Ex diuersis itaque astrorum resolutionibus, diuersa in corpore nascuntur pathe-

mata: quæ ſeminum ſcientias & trium principio-
rum vires demonſtrant: a quibus actiones, & harum
ſatellites ſignaturæ proficiſcuntur. Hinc Pleiades,
Hyades, piſcium conſtellationes & affines ſtellæ, ſi
alimento ſpirituum in aere ſignaturas ſuas impreſſe-
rint, corpus humanum proprietatib. principiorum
narcoticis, ſoporiferis, papauerinis, ſulfureis, vitrio-
latis, & ſcientia papaueris, opii, mandragoræ, ſolani,
lactucæ refertum, & homo ſomnolentiæ, veterno,
torpori, morbo Herculeo, apoplexiæ, membrorum
reſolutioni obnoxius erit. Si vero Bootes, Vrſa & A-
quarii ſtellæ, fructuum reſolutiones aeri communi-
cauerint, iuxta proprietates acrimoniæ, ſubtilitatis,
penetrationum, aciditatis, & ſcientiam berberis, a-
ceti, acatiarum, aluminis, ſalis, ſpiritus, quos halando
attrahit homo, mutabuntur: ſequenturq; tuſſes, dy-
ſuriæ, vrinæ ſtillicidia, tenaſmi, menſium ſuppreſſio-
nes, lumbagines, artuum lancinationes & podagræ:
quę ex tincturis & ſpiritibus ſalium acutiſſimis, pon-
tagioſis, vel amara & penetrabili auſteritate inſigni-
tis, plerunque etiam ex ſpiritibus ſulfureis ac Mer-
curialibus mixtis ſcaturiunt. Sic ſi ſcorpionis, cancri
& Martis ſtellæ reſolutionibus putidis aerem inqui-
nauerint: tincturæ principiorum arſenicales, anti-
moniales, auripigmentales, ſpiritus corrumpent: &
ſcientia aconitorum, napelli, tithymalli, lathyridis
imperabit: vnde febres malignæ, carbunculi, bubo-
nes, gangrænæ, pleuritides contagioſæ, parotides,
anginæ & alia δυσαπότρεπτα in genus humanum ſæui-
ent. Iuxta has ſiderum impreſſiones ſemina morbo-
rum ſuperioris globi, per reſolutiones ſpirituales
πολυπλόκως tincturas inuehunt, a quibus tranſplan-
tationes & adfectus trãſplãtationum comites profi-
ciſci,

cisci, ἱματιελικταῖοι Paracelsicam medicinam factitantes, adserunt. Reliqui μακροφλυαρεῖται ad eclipsium etiam obseruationes confugiunt: cum inde varia inualetudinum propagentur semina: & nunquam innoxie vel suam abscondiderit Sol faciem, Lunæ contectam intersepto: vel Luna iacturam fecerit luminis, terræ vmbra hebetati: cum ille per lineam eccliptícam decurrit in eodem gradu, hæc in oppositis, ad alterutrum nodorum delata. Luminum vero deliquia crebriora, tetrioraque adspectu, hac exulceratissima mũdi senecta cernimus, quam vidit vetustas.

His ex Ptolemæi libr. 2. τετραβίβλου adiungunt cometarum ostenta, cum οὔτις κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει, vt Camerarius ex sententia Georgii Pachymerii historici Græci lib. 3. & Claudiani scribit. Nam eiusmodi comata meteora oriuntur: dum infausta configuratione, sub octaui cœli locis, ex viscidis & virulentis halitibus, Mars calore, Mercurius vi natiua hæc generat: Saturnus corpora, ne fumi dissipentur, adstrictione, quasi freno iniecto, cohibet: repleta tandem recludit Mars, & turgescẽtes halitus euocat. Horum autem effectus euidenter mutari solent: si vel prope commissuras absidum, (quas caudam & caput Draconis indigitant) vel procul ab his effulgeant: vel etiam eo anno fiant, in quem bissextus cadit intercalaris dies. Qua vero mũdi memoria, plura cometarum incendia illuxerunt, plura deflagrarunt, quam hac nostra? Quod etiam quasi intento digito monstrare videtur, siue Cometes, siue stella prodigiosa: quę anno epoches Christianæ 1572. ζώδια & δωδεκατημόρια, Tauri atque Cassiopeæ pererrauit. In horum album referuntur omnia ὑπεκκαύματα, αἱ διαδρομαὶ τῶν ἀστέρων, καιομένη φλὸξ, ὥσπερ ἐν ἀρούραις καιομένης καλάμης, i-

gnes, quos Castori & Polluci consecratos volunt: & eius farinæ φάσματα & χάσματα: quæ omnia humores καυστηριάζουσι, coaceruant & acuunt bilem: &, cum insolentiori portento nunc appareant, insolentiores quoq; morbos ciẽt. Quibus videtur & Hippocrates subfragari lib. 2. Epid. sect. 1. vbi, cum morbos & anni vicissitudines & temporis statum sese mutuo consequi necessario scribit, vt certi & legitimi morbi fiãt: dicit, τοιοῦτον τῆς νόσου καὶ ἑκάστης καταστάσιος πρὸς ἀλλήλας, ὅταν μήτι νεωτεροποιηθῇ ἐν τῷ ἄνω εἴδει: nisi quid in superiori specie fuerit innouatum. Quæ verba pleriq; ad cœli supremam illam faciem detorquẽt: in qua siderum motus, ortus, obitusque depinguntur: a quibus annuæ vicissitudines & aeris temperies dependent. Immo in tanto apud nõnullos valore est astrologia: vt, sicuti Solon legislator Atheniensium ætatem hominis in ἑπτάδας distribuit: (quod ex Clemen. Alexandrini lib. 6. Stromatum, & Philonis oratione de mundi opificio liquet) ita iidem a septem Planetis hominum ætates gubernari, credãt. De quo Gaudentius Merula lib. 1. cap. 12. Memorabilium sic ait, Proclus Platonicus in lib. de anima & dæmone scribit: primam hominis ætatem Lunarem sequi potestatem: secũdæ præesse Mercurium, vnde ad litteras, ad Musicẽ, ad alias artes facilima sit accessio: tertiam ita Veneri attribui, quando ample turgent membra genitalia, & ad coitũ natura ducente trahimur: quartam Soli dicit adscribi, quod tũc regnet tota vita hominis, & corporis robur, & mentis acumen, estq; vera tunc ætatis perfectio: quintam a Marte vendicari putat, in qua gloriam, potentiam, diuitias, victoriãq; adfectamus: Ioui autem sextam deberi, vnde ad veritatis, iustitiæq; studium allicimur, & pleno gradu ad

vitam

vitam politicam, prudētiamq; festinamus: septimam & vltimam Saturniam esse attestatur, in qua naturæ consentaneum est a coitu non paulatim, sed repente desistere, seque a corporis segregare voluptatibus, vt ad vitam incorpoream liberius euolet. Sic fata πολυπραγμονικοὺς εἰς πέλαγος ἐμβάλλουσι πραγμάτων: quo tandem velut fluctuum vertigine circūacti merguntur.

Iam semoto astrolabio, in Elysia sapientum exspaciantur vireta. Præstat hic audire Valesium: qui lib. 5. Controuers. med. & phil. c. 16. sic inquit: Etsi species, quæ perfectionem quampiam continent, perpetuæ sint secundum speciem, carentes principio & fine: tamen, quæ in sola imperfectione sunt, nihil mirum, denuo fieri. Vt non est mirum, patrari nouū facinus, nunquam patratum antea: neq; monstrum generari, cuius forma prius conspecta non sit: ita neq; nouam salutis corruptioné: nimirum hæc fiūt ex erroribus, non ex perfectione. Ergo nouo modo deprauato victu, nouos morbos fieri ratio fert: nō enim arbitror, quod ratio quæpiā coegerit maiores homines prauo victu vti, quo hodierni volentes vtuntur. Sic Gal. lib. de rigor. trem. palpit. cap. 7. morbos nouos & peregrinos, propter victus nouitatis rationem, excitari adserit. Celsus item in procemio lib. 1. affirmat, sæpe, quanquam rarius, noua incidere morborum genera: in quibus nihil adhuc vsus ostenderit. Vbi quoq; in Empiricorum τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν inuehitur: qui putabant, licet incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris: (sic autem vocabant latentium rerum coniecturas, de caussis morborum, aliisq; principiis naturalibus) sed eum protinus visurum, cui morbo id proximum sit: tētaturumq; remedia similia illis, quæ

vicino malo ſępe ſuccurrerint, & per eius ſimilitudinem opem reperturum. Plutarch. inſuper 8. Sympo: problem. 9. contra Diogenianum ex ſententia Philonis, varios morbos cauſſis diuerſis poſſe nouiter oriri, diſputat. Theophr. Paracelſ. lib. 3. de male curatis reſtituen. cap. 4. hinc nouam ſuam theoriam, nouamq; praxin exædificat: quod noui & inauditi morbi neceſſario exſiſtant: quos occulta quædam cœleſtis influentia, vel de nouo producit, vel ex aliis medio tranſmutationis generat. Et lib. 2. Chirurg. Mag. tract. 1. cap. 7. nouorum, inquit, morborum, ac prius ignotorum ortus, tum ipſorum inter ſe complicationes ſeu συνδρομαὶ, nouorum remediorum inquiſitionem cū requirerent, variorum iterum errorum ſeminaria præbuerūt: quemadmodum enim humanum genus nouitatis ſtudioſum eſt, & varietate delectationem capit: ſic facultates illæ morborum effectrices noua ſubinde machinantur mala. Et lib. 1. de cauſſis & orig. luis Gallicæ cap. 2. ſcribit, morbos alios in aliorum locum ſuccedere: hoc eſt, noua influentia ingruente, nouos morbos prioribus antiquatis ſubito exſiſtere. Et lib. 2. cap. 21. ait, ſi qui morbi ab antiquis forſan minus recte deſcripti ſunt, id morbi nouitati adſcribemus: medicina enim nō primitus perfecta extitit, ſed paulatim pro nouorum morborum generatione aucta, cumulataque. Idem ſentit lib. 4. de tumo. & vlcerib. Gallic. cap. 9. Pro hac ſententia non ſecus, ac pro aris focisque certat nobiliſſimus medicus Schenckius in præfa. obſeruat. medicarum: ne ſuffragia emendicata ſuffarcinātes, diutius nodū in ſcirpo quærentes, de lana caprina, more Ambubaiarum, hic altercari videamur.

Hiſce λοφοπωλεῖν ſolent, qui Pythagoræ Coraceſiam,

ſiam, Menaidem, Aproxin: Democriti item Chirocineta, Marmaritin, Hippophouada, Acheminidon, ex Orco in dium reuocant: cuius farinæ herbis veneficæ & lamiæ, Dæmonis aſtu, plurimos in inſolentes morbos & viſpellionum capulos præcipitant: dum vel pharmaca propinantur: vel contactu inficiunt: vel ſolo halitu attrahuntur: vel, ſi cum faſcino in incili condantur, ex interuallo tranſcenſa aut præterita, noxam infligunt: vel ex diſiunctiſſimo etiam ſpacio ceu neruo eiaculata turmatim in eos feruntur, quos petunt. Id Paracelſ. par. 2. Chirurg. Magn. tract. 2. cap. 18. & Petrus Pomponatius Mantuanus lib. de incantation. fuſe explicant. Hinc nec opinato vegetes ſontico atque inuſitato mactantur infortunio amentiæ, membrorum vari aut vatii inſtar diſtortionis, ſudoris cruenti, cæcitatis, cruciatuum πρισμῶν, emedullationis, euirationis, excretionũ prodigioſarum, aliorumque τρυσιβίων monſtrorum: quorum σκανδαλήθρων ſcatebras medici vel ſagaciſſimi indagare nequeunt: dum tritos naturæ limites tranſiliunt. Prꝙter hæc recenſita portẽta ſparſim a nobis viſa, ante paucos annos mirus occurrit caſus in parocho Hertfeldhuſiano: qui clauum ferreum, ſtupam craſſo filo netam, cæmentum rude, carbones, pilos, ouorum putamina euomuit: qui doloribus extra & ſumen lancinantibus excarnificatus πρυμνόθεν valetudinem ſolerti ἐντρεχείᾳ recuperauit, citra καταγλωττισμὸν malum ſtrigis poppyſmati acceptum ferens. Similem hiſtoriam recitat Schenckius lib. 7. obſeruat. medic. 36. ex Langio lib. 1. Epiſt. 38. de quodam: in cuius hypochondrio clauus ferreus, in ventriculo lignum teres & oblongum, quatuor item ex chalybe cultri, partim acuti, partim ſerræ inſtar dentati, ac duo fer-

ramenta aſpera reperta fuerunt, ſingula ſpithamæ longitudinem excedentia, cum capillorum globi inuolucro. Idem ibidem aſſines refert caſus obſeruat. 33. ex Alexandr. Benedict. lib. 7. cap. 25. Practicæ, de duabus mulierculis, acum crinalem hamatum cum capillis & vnguium ſegminibus, nitri fruſtulis, & canis caudæ villis euomentibus. Item ex Beniuen. cap. 8. obſeruat. 34. Inprimis autem obſeruat. 37. ex Cornelii Gemmæ lib. 2. de diuinis naturæ characteriſmis cap. 4. & Marcello Donato lib. 2. cap. 1. hiſtor. medic. mirabilis, de filia doliarii fabri, quæ anguillam viuam per poſteriora detruſit: item cum vomitu ichoris ingentes pilorum floccos, comitante materia purulenta, inſtar ſaniei vel ſtercoris columbini aut anſerini, caudicibus lignorum obſoletis diffractis, carbonibus, atramento, ſanguine, fruſtis membranæ carnoſæ, lapidibus, oſſe triangulari ſolido foris, intus cauo ac ſpongioſo, vitro ac ære excreuit. Idem obſeruatione 40. de ſpina pruni ſilueſtris cum duobus vncis: & 41. de acubus in formam crucis complicatis, pilorum globulis ac ouorum putaminibus: & 42. de duobus catellis: atque 43. de fragmentis vrceolorum, & oſſium e piſcibus, nec non loculis cum nummis, recenſet. Cognata his exempla frequenter iam, Diabolo, cui mille nocendi artes, omnes irarum effundente habenas, ſubrepere, φαρμακευτειῶν confeſſiones, & creberrima νεμέσεια luculenter teſtantur.

Hoc ſepio effuſo domum recedant illi: qui ſcorbutum nouum morbum, veteribuſque incognitum fuiſſe, dicunt. Exeamus ex hac ſcena in campum: vt in ſententiis doctiſſimorum nos exerceamus. Ne vero quis illud Athenæi in nos detorqueat: εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν,

ίωσαν, οὐδὲν ἂν εἴη τῶν γραμματικῶν γένος μωρότερον: aleam hanc ſubibimus, de his a primæ philoſophiæ theſauris ſuppeditata, & pure, & neruoſe, non lutulente ac languide ea, quæ nihil, niſi rabularum ventoſas velitationes olent, prolaturi. In multis caligat, ac tantum non cæcutit acies humani ingenii, quamlibet alioquin perſpicax: ſubmittat igitur imbecillitatem captus ſui maieſtati numinis, nihil non optime diſpenſantis: licet in cauſſarum indagine mens citra σκιαμαχίαν adhæreſcat.

Nos, morbos vllos habere vel originē vel finem, abſq; pigmentis negamus: futurūque, vt, quod prioribus fuit ſeculis, reciprocet in ipſa orbis renouatione Peripateticis certamus rationibus. Alias ſequetur infinitas: quam nulla res poteſt ſuſcipere. Accidentia quippe ſuis in cauſſis tecta diu latent, capeſſuntque jam inde a rerum primordio furtim incrementa adeo, vt ſenſus fallant: ſicut & lapidis pertuſio, quæ a gutta fit: & ædium ruina. Sic & morbi: quos vt repentinus inſultus inuehere videtur, ita non ſine apparatuum antegreſſione a priſcis obſeruata ſubeunt pedetentim, donec abſoluantur. Ariſtot. *6*. Phyſicor. tex. *2*. dicit: omne, quod mutatum eſt, mutari prius: &, quod mutatur, eius aliquid prius mutatum eſſe, nec dari primum: diuiditur enim mutatio ad diuiſionem temporis in ſemper diuiſibilia: vt in quolibet inſtanti intermedio ſit, aliquid mutatum eſſe: qui finis ſit mutationis præcedentis. Idem innuit Philoſophus 8. Phyſic. text. 23. 6. Phyſic. text. 55. & 87. *1*. de cœlo text. 21. vbi probat, neque mutationem in inſtanti fieri, neque eſſe continuam, ſed interpolatam generationem eorū, quæ tota ſimul fiunt. Medullam huius philoſophematis, minime ſitu mucidam, aut

in cadis salsamentariis corruptam, e penuario Plutarchi 8. Symposiac. quæst. 9. Diogenianus Promuscondus aceruatim dispensat: animæ, ait, morbos, adfectionesq; communi quadam & auita progredi via: &, licet multiplex sit vitium, anima tamē in sua ipsius est potestate, vt, si velit ab eo mutari & verti, facile possit: nihilominus incompositi motus eius ordine quodam & mensura cōtinentur, sicut maris effusiones: nullumq; nouum, aut veteribus nō commemoratum vitii genus erumpit. Sane multas cupiditatum differentias, innumeros timoris motus, sexcētas doloris species: atque voluptatis formas enarrādo, quis non defatigetur? Sed, iuxta Sophoclem, nō heri sunt ista vel nunc edita: semper fuere: quando exstiterint, nemo scit. Nedum corpori nouus morbus, aut sero orta adfectio potuerit accidere: quod non habet, sicut anima, proprium atque a se mouendi sui principium: sed cum natura cōmunibus deuinctum caussis est, eaque temperatum temperie: cuius etiam infinitas intra terminos vagetur certos: vel vti nauis, quæ in anchoris stans hac illac fluctuat. Amplius, nulla vis est, quæ ex nihilo aliquid contra leges naturæ possit producere: non itaque morbus gigni absque caussa potest: difficulter autem noua inuenietur caussa: nisi nouum aerem, peregrinamque aquam, & ignotos cibos prioribus, ex aliis quibusdam mundis, aut intermundiis pronunciemus, nūc demum in nostrum hunc confluxisse. Etenim ex iis morbi nobis contingunt, e quibus viuimus: neque sunt peculiaria morborum semina, sed istorum vitia respectu nostri, nostraque in iis delicta naturam perturbant: perturbationes autem discrimina habent sempiterna: quæ nouis sæpenumero adficiuntur nominibus. Nam
nomina

nomina ſunt conſuetudinis, adfectiones naturæ: atque cum hæ determinatæ ſint, illa varientur, error eſt ortus. Sicut in partibus orationis, earumque inuicem cõſtructionibus, nouus ſubito barbariſmus aut ſolœciſmus non poteſt exſiſtere: ita corporis temperamenta definitos habent lapſus & errores: in natura quodammodo iis, quę contra naturam ſunt, comprehenſis. His Plutarchicis ſubſcribit ἀναντιῤῥήτως Eccleſiaſtes de finibus bonorum, ſiue de vitæ vanitate cap. 1. Quod fuit, idem futurũ eſt: & quod factum eſt, idem fiet: nec eſt quicquam ſub ſole nouum. Eſt aliquid, quod tanquam nouum oſtentatur: quod tamen iam fuit priſcis temporibus, quæ nos anteceſſerunt. Non eſt priorum memoria, ſed neque poſterorum, qui futuri ſunt, erit memoria apud eos, qui porro futuri ſunt. Hiſce ſaniores philoſophi obſecundãt omnes: qui, nouas ſpecies a natura progigni poſſe, largiuntur nemini. Cõtemplemur oculatiſſimi proretæ Scaligeri Exercit. 249. diſtinct. 1. ἀπόδειξιν. Perfectum eſt, inquit, cui nihil addi poteſt. Perpetuo igitur illud erit, cui ne adimi quidem quicquam. Denique, in quo nihil eſſentiæ mutari queat. Mundum eſſe perfectum, præter Ariſtotelis atque Platonis auctoritates, opificis quoque perfectio cogit credere. Quo fit, vt neque ad eius augmentum acceſſioni, neque ad diminutionem deceſſioni locus ſit. Neque propterea Dei poteſtas infinita tollitur. Sed cum ipſe nolit in mundo rerum ordinem poſſe nũc, quod in ſe poteſt ipſe, quid faciat? Non enim vult niſi optimum, ipſe optimus. At iam voluit, cum fecit. Optimum enim eſſe nequit, quod extra aut præter optimum eſt. Species ergo nouas gigni poſſe, duobus modis intelligere licet. Aut quod ea, quæ iam ſunt,

miſceantur: quæ ſic haud penitus, & ἁπλῶς nouæ e-
runt: fiunt enim ex iis, quæ ſunt, tanquam ex parti-
bus: id quod euenire videmus in inſitionibus, quo
non exſtabant modo. Aut quæ ſunt in agentis pote-
ſtate. Quod in Roſa temere litigant Sophiſtæ. Roſa
enim fieri poteſt, vt aliquando non exſtet. Eſt tamen
aliquid ſemper, quia eſt in Roſarii poteſtate. Inelu-
ctabilis hæc ſunt veritatis: quę noſtram adſertionem
luce fœcundant: licet pleriſq; adeo male ſana ſint, vt
ſtomachum facere poſſint etiam plumbeo Stoico.
Non autem inficiamur, interdum nouos caſus pro-
germinare: quales aliquot Plutarchus loco allega-
to citat, de culmo horoleaceo geniculato cum v-
rina excreto: de beſtiola aſpera, multis pedibus cele-
riter ambulante, cum multo ſemine ab Ephebo A-
thenis eiecta: & aliis: qualeſq; innumeros, non ſecus
ac olitor in horto neglectiore humum paſtinatam
& occatam in areas diuidit, clariſſimus Schenckius,
ex luxuriante quorumlibet auctorum farragine, li-
mato iudicio, certis Obſeruationum Medicarum
claſſibus incluſit. Cum vero hæc potius ad τὸ πειϱατ-
τὸν Ariſtotelicum, quam παρεκβάσεις, naturæ refe-
rantur: morbi nomine indigna cenſemus: ſicut nec
ſymptoma nouum cuidam morbo ſuperueniens in
vno ægro, morbum eſſe nouum dicemus. Licet ſit
catus & inquilinus & œconomus, magiſtra natura:
ludit tamen, quatenus ei libet: ſui vnius vnicum ex-
emplar, auctor, ſequeſtra, hera, adminiſtra eadem:
nullius indiga, non precario, non coacta, non impe-
dita. Raritas facit mirationem.

Minime iccirco hodie generantur noui morbi:
quamuis truculentiorum accidentium aceruo ho-
mines adoriantur, quam in priſcorum monumen-
tis

tis videre eſt. Incrementum & contentio, (ait Plutarchus citato loco) magnitudinem & multitudinem poteſt adponere: ſed ſubiectum de ſuo genere non emouet.

Imbecilliorem mortalium naturam iam, quam antiquitus, eſſe, non ſolum circa corporis ſtaturam ac vigorem, ſed & circa vitæ ſpatia animaduertimus. In eadem ſententia eſt Vriel genius: qui lib. 4. Eſdræ cap. 5. inquit: interroga genitricem, vt tibi dicat, cur, quos nunc parit, non ſint eis pares, qui ante te nati ſunt, ſed ſtatura minores? Et dicet illa tibi, alios vigente iuuentute natos eſſe, alios ſub tempus ſenectutis, vtero deficiente. Conſidera ergo tu quoque, & vos iis, qui ante vos fuerunt, eſſe ſtatura minores: & eos, qui poſt vos futuri ſunt, fore vobis minores: quoniam ſeneſcit iam rerum natura, iuuenilemque virtutem amittit. Quibus adſtipulatur Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum: Scire debes ſenuiſſe iam mundum, neque illis viribus ſtare, quibus prius ſteterat: nec vigore & robore eo valere, quo antea præualebat. Hoc etiam nobis tacentibus mundus ipſe loquitur: & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur.

Robuſtiorum, grandiorumque hominum, vt gigantum, progenies abrogatæ ſunt: quæ vel ſacrorum codicillorum auctoritate, auorum memoria exſtitere: ſicut Geneſ. cap. 6. & ſecundo Regum vigeſimo primo cap. patet: & Deuteronomii cap. 3. legitur de rege Ogo: qui ſolus ſupererat ex gigantum reliquiis: cuius cubile, idq; ferreum, erat Rabbathę Ammonitarum, longitudine nouem cubitorum, latitudine quatuor, & quidem virilium. Et lib. 1. Reg. cap 17. depingitur vir immanis Palæſtinorum, nomin

Goliathus ex Getha, ſex cubitos & dodrantem longus: æream galeam capite ferens: æream loricam indutus ſquameam, quinque millia ſiclorum pendentem, ære caligatus: æreamque humeris ſuſtinens haſtam: lanceæ haſtile inſtar erat textorii iugi, mucrone ferreo, ſexcentos ſiclos pendente. Vt tanto minus veritati conſonum ſit: quod Agrippa ſcribit lib. 2. ca. 27. non poſſe, Varrone & Gellio teſtibus, humanum corpus proceritatem ſeptem pedum excedere: cum etiam Plinius lib. 7. cap. 16. referat: in Creta, terræ motu rupto monte, inuẽtum eſſe corpus ſtans quadraginta ſex cubitorum: quod alii Orionis, alii Cethi fuiſſe arbitrantur. Oreſtis corpus, oraculi iuſſu refoſſum, ſeptem cubitorũ fuiſſe, traditur. Reinerus Reineccius in vita Hugonis Marchionis Brandeburgenſis ſcribit: in monumentis Brandeburgicis ſua ætate inuenta oſſa tam grandia, vt tibiæ attingerẽt coxendicem hominis mediocris ſtaturæ. Pauſanias in Arcadicis narrationem ponit de vaſta corporis mole hominis Indi, vndecim cubitorum lõgitudinis corpus circumferentis. Et in Phlegontis Trulliani libro de mirabilibus legitur: Tiberii Imperatoris tempore in Sicilia effoſſa cadauera: quorum dens vnus exemtus, pedis menſuram non attigerit modo, ſed etiam ſuperauerit. Auguſtinus item lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 9. recenſet: ſe vidiſſe cum aliis multis in littore Vticenſi molarem dentem adeo magnum, vt diſſectus ad formam & magnitudinem vſitatorum noſtra ætate dentium, centuplo maior facile iudicari potuerit. Similiter in vrbe Vangionum, aliiſque ciuitatibus ad Rhenum, oſtenduntur oſſa ingentia heroum priſcorum: vt & in Italia Puteolis, quod Pomponius Lætus teſtatur, Sic ſane ἀληθῶς Plin. lib. 7. ca. 16. ſcri-

16.ſcribit:in plenum cuncto mortalium generi minorem indies fieri ſtaturam propemodum obſeruatur:raroſq; patribus proceriores, conſumente vbertatem ſeminum exuſtione:in cuius vices nunc vergit æuum.Samogithii hodie inter Pruſſiã & Liuoniam, licet vaſtæ ſtaturæ maxima ex parte ſint: tamen per vices quaſi tum proceros,tum ſępius pene nanos generant. Immo ne quidem in Braſiliæ parte, quæ adiacet ei ſinui, qui ſancti Iuliani dicitur ab Hiſpanis, Indi amplius digni ſunt: quos gigantum titulo admiremur.Sic quod olim dependit in magnitudine inſigniore,id iam in pumilo abiurat natura.

Idem de virium robore adſerimus. Quantas ſtrages ediderit,& quantum terroris incuſſerit Samſon Palæſtinis,loquitur liber Iudic.cap.14.cum in Thamnathæ vinetis occurrit leoni ex aduerſo rugienti:quẽ Iouæ adflatu inſtigatus diſcerpſit, perinde ac ſi hædum diſcerperet:cum tamen nihil in manũ haberet. Et cap.decimoquinto, vbi loris,quib.conſtricta brachia habebat abruptis, perinde ac ſi vſtulatum igne linum foret, manibuſque ſolutis a vinculis tabidam nactus aſini maxillam corripit,& ea mille viros occidit.Et cap.ſequenti,vbi portæ vrbis Gazæ fores, vna cum ambobus poſtibus, prehendit, cumque repagulis auulſas, & ſuis impoſitas humeris, exportat in montis cacumen,in Hebronis adſpectu poſiti. Cum idem ex ergaſtulo euocatus, vt Palæſtinis ludibrio eſſet,columnas duas medianas, quibus fulta domus ſuſtinebatur,ambabus manibus complexus, eas tanta vi impulit,vt collapſæ ſint ædes in optimates, & in tria circiter virorum mulierũq; millia: quos omnes occidit.Sic etiam ſcribit Homerus Iliad.5. de pugna Diomedis & Æneæ:

σμερδαλέα ἰάχων, ὁ δ', χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν:
οἷον νῦν βροτοὶ εἰσίν.

Quam pugnam interpres Iuuenalis Satyra 15. conuertit, & addit:

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero:
Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Similiter poeticæ Sirenophœnix Virg. 12. Æneid. de ingenti saxo a Turno eleuato canit:

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent:
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Huc reuocentur apud Plinium lib. 7. cap. 20. prodigiosi roboris exempla, de Iunio Valente, qui carpenta comprehensa vna manu retinebat: item quod centurio Augusti Hercules appellatus mulum suum tollebat. Stupenda autem inprimis de Milone Crotoniata exstant apud Plinium loco citato, Iulium Solinum Polyhistor. cap. 4. & Ælianum lib. 2. Variæ historiæ: quod supra sortem humanam omnia egerit: & victor omnium certaminum obierit: quod elogium de ipso iactitatur. Pausanias in Atticis de Aiacis Telamonii portentoso robore, & vasta corporis magnitudine: in Messenicis vero de Aristomene Messenio insolita refert. Lib. 2. Æliacor. de Polydamante reperitur narratio: quod in Olympiis leonem, magnam & robustam beluam confecerit, nullis tectus armis: aurigam etiam omni studio admissis equis currum prouehentem retraxerit, altera cum manu currum a tergo, vt corripuit equos, vna cum auriga irretitos continuit. Vega in prœmio lib. 2. de arte medendi scribit: se vidisse hominem, qui dextra manu pectori equi adposita, eius progressum & cursum prohibebat, equite ipsum calcaribus

ribus

ribus feriente: Rusticum item cum tauro certantem, quem adprehensis cruribus subuertit non magno labore: Equitem quoque, qui equum medio cursu sistebat femoribus compressis adeo valide, vt respirationem cohiberet equo valenti atque robusto. Vesalius libro secundo, de corporis humani fabrica, cap. 15. ait: vidisse se Patauii Tridentinum histrionem, mira articulorum tamen laxitate præditum: qui ferreum palum viginti quinque librarum, dentibus a terra subleuatum, & aliquandiu in ore erectum, retrorsum a tergo punctim parieti iniecit: quem triginta pedum interuallo ab histrione abstitisse, ipse mensus sit. Turcum insuper quendam, vt & Mantuanum, non admodum proceræ staturæ histrionem, a duobus adductam erectamque viris trabem, solis inferioribus dentibus suffulciuisse & aliquandiu gestasse, sæpius idem vidit: cum interim adstantium plerique trabem a terra subleuare vix possent. Sic Iulius Capitolinus Maximini, qui Alexandro Seuero in imperio successit, circa annum Christi 238. tantam proceritatem & robur describit: vt octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo: item vt hamaxas manibus attraheret: equo si pugnum dedisset, dentes solueret: si calcem, crura frangeret: lapides tophicios friaret: arbores teneriores scinderet. Vnde ab aliis Milo Crotoniates, ab aliis Hercules, Antæus a nonnullis vocatus est: ob crudelitatem autem inuisam, teste Herodiano, ab aliis Cyclops, ab aliis Busyris, ab aliis Scyro, a nonnulli Phalaris, a plurimis Typho vel Gyges nominatus. De C. Mario, qui tempore Gallieni, anno Messiliæ CCLXXI, ex fabro ferrario ludicra meta

morphosi Imperator creatus & triduum ſalutatus eſt, memoriæ tradit Trebellius Pollio in hiſtoria triginta tyrannorum, eum carra venientia digito ſalutari repuliſſe, & fortiſſimos quoſque vno digito ſic adflixiſſe, vt quaſi ligni vel ferri obtuſioris ictu percuſſi dolerent: multa duorum digitorum adliſione contriuit. Amplius Thomas Fazelli. lib. 3. cap. 1. Decad. 1. de rebus Siculis, & Cl. Marius Aretius in Siciliæ Chorographia, multa de Galeatii, ſiue Galeoti Bardaſini Catanenſis patritii admirabili corporis proceritate referunt: quod communem hominum ſtaturam verticeſque humeris ſuperauit: cuius robuſtis ac teretibus membris, vniuerſæque corporis magnitudini par virium robur, habituſq; adeo reſpondebant, vt tota eius compago exactiſſimo naturæ ingenio exculta elaborataque eſſe videretur. Inter alia autem addunt: grandi ſtatura equum abſq; freno velociter currentem inſidens, cruribus coxiſque ſiſtebat: aſinum præterea magna lignorum congerie, ſiue quocunque alio onere grauem, manibus e terra extollebat: duos præterea ex robuſtiſſimis ſimul adgrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compreſſum vrgebat, nec antea deſiſtebat, quam prius hunc, deinde illum pedibus ſubiiciendo, amborum manus poſt terga vinciret. Item, cum Plumbinum Florentinorum oppidum, ab Alfonſo Aragoniæ & Siciliæ Rege obſideretur, a tribus hoſtium equitibus petitus, vnum ex eis gladii capulo ſeminecē equo excuſſit: alterū citato equo medium amplexus, e ſella extractum humi proſtrauit: tertium cubito grauiter percuſſum in fugam vertit. Hamonis Eremitæ Ægyptii, (quod Frāciſcus Patritius Dialog. 3. de hiſtor, recenſet) Emephimos, Pthaimos & Gyginos,

Gyginos,qui pedibus in terram nixi,capitibus ſidera & nubila contigerunt, ceu monſtra hyperbolica, ad Poetas ablegamus. Stupēdi roboris hæc ſunt exempla: cuius farinæ non indagantur hac mundi fæce. Licet enim de Polonis viciniſque iam ſpargantur fere fide abſona: vt de Potocoua Coſacorum duce, qui in comitiis Varſouienſibus vrgente Zauſio vel legato Turcico capite mulctatus eſt, quod ſoleas equinas ferratas, teſte Leonclauio in ſupplem. annal. Turcic. citra negotium rupit: item de Tamerlane Scytharum Imperatore: quem ferunt corpore ingenti, validiſq; neruis adeo firmo lacertoſoque fuiſſe, vt Scythici arcus ingentis chordam, vltra aurem extenderet, cupreumque mortarium pro ſcopo ſagittariis in ludo propoſitum, emiſſæ arundinis ſpiculo perfoderet: rariſſima tamen ſunt. Quo etiam referimus, quæ de Georgio Caſtrioto, partis Albaniæ Principe, quem Turci Iſchenderbegum ob rerum geſtarum magnitudinem vocarunt, Paulus Iouius, Marinus Barletius Scodrenſis, & Iohannes Pinicianus, recitant: nec nō, quæ de Georgio Fronsbergio Barone in Mundelhaim, cum Iouio alii etiam ſcribunt, eum membrorum robore adeo validum fuiſſe, vt extento tantum medio dextræ manus digito validiſſimum quemque firmo innixum veſtigio facile dimoueret: prætercurrentem equum, arrepto freno ſiſteret: tormentumque murale ſolus innitens humero, quo vellet, propelleret.

Amplius Geneſ. 5. Adamus nongenteſimum trigeſimum, Sethus nongenteſimum duodecimum, Mahalaleel octingenteſimum nonageſimum quintum, Iaredus, nongenteſimum ſexageſimum ſecundum ætatis annum agentes, mortui ſunt. Mathuſala

autem, cum nongentos ſexaginta nouem confeciſſet annos, mortuus eſt. Nunc vero, (vt Moſes Pſalmo 90. conqueritur) ætatis noſtræ ſpatium ſeptuaginta terminatur annis: aut (vt ſit bona valetudo) octoginta. Et ſucceſſu caret illud, quod Trebellius Pollio in vita Claudii Cæſaris ſcribit: doctiſſimi Mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant: quamuis Cic. libr. de Sen. hoc de Argentino quodam Gadibus ſcribat. Immo iam nos rectius, quam Theophr. Philoſ. eodem Cic. lib. 3. Tuſc. quęſt. ad M. Brutum prodente, morientes accuſare naturam poſſumus: quod coruis & cornicibus vitam diuturnam, quorũ id nihil intereſſet, hominibus, quorum id maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Ita Iacob. Geneſ. c. 47. coram Pharaone conqueritur, ſe maiorum ſuorum vitæ annos non eſſe adſecutum, quibus peregrinati ſunt. Quid multis? Non ſumus cum illa gente comparandi: quam μακρόβιον millenos fere annos implere ſcribit Orpheus in Argonautico carmine. Sic vita, (vt Senec. φρονήτως) dum creſcit, decreſcit: dum differtur, aufertur: dum magna pars vitæ elabitur male agendo, maior nihil agendo, tota vero aliud agendo. Nam φθορὰ caloris animalis per μάρανσιν, quæ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ſiue ἀφ᾽ ὁμογενοῦς fit, tam vehementem inducit præter exſpectationem ἔνδειαν τῆς τροφῆς: vt nulla poſſit illi alendo ſuggeri ἀναθυμίασις: quemadmodum Ariſtotel. lib. de reſpirat. cap. 4. & 6. lib. de iuuent. & ſenect. cap. 3. Theoph. lib. de igne loquuntur. Hinc pergit homo ad ſolutionem per momenta decreſcendi, ad interitum vſque.

Credimus præterea, calorem cœlestem in materia stabulantem, circa initia longe alacriorem esse, quam progressu temporis. Ob mixtionem enim materiæ eum eneruari oportet: quanto magis distat a principio. Audimus etiam subinde conqueri colonos, vbertate nimia prioris æui exhaustum solum, negare solita benignitate aliméta mortalibus: quod fatali cuidam mutationi & vicibus rerum variis, dum vetustas omnia deteriora efficit, acceptum potius referimus, quam hominum vitio atque ignauiæ: quod culturæ minus insistant, minusque strenuos colonos se præstent: vt Columella lib. 1. rei rústicæ sentit. Sic videmus viridariorum plantas vel ætate fessas deficere, vel effœtas elanguescere, ac tantum nō emori: licet topiarii inserendo, inoculandoq; nouos cultus substituant, vel auulsis surculis aut malleolis resuscitent. Hinc, quamuis sementem facientes minime serotinam, segetes runcent & sarriant, pro robi tamen ac tritici theca, lolii atq; tribuli, aut vix setanii frit supereminet, non secus ac in veruacto aut rudeto: vt frugum cerealium morbos, vrediné, vricum & calamitatem silentio inuoluamus. In eadé miseria multis iam annis vindemiatores & torcularii hærēt: qui, ētsi vites ablaqueent, palmites emeritos pampinosq; orbos putent, vitem etiam sarmentis syluescētibus luxuriantem ferro compescant, statuminēt, atq; capita ad summam radicem capistrent: qualos tamen vindemiatorios, perinde ac racemarent, plerunque replent: &, dū musti lixiui aliquot culleos condere volunt, vix tortiuo ac circumcisito, quale ex vuarū calcatarum scapis cū folliculis prælo exprimitur, vnum atq; alterum lacum vinariū refarciūt. Amplius in vitiariis & porculetis viuiradices ac mergi ob glabreta

innumera vinitores frustrantur, nouelletis vt plurimum pumilis labruscæ pampinis refertis, atque pergulas cameratas auersantibus. Idem queritur Esaias cap. 24. quia, ait, terra sub suis impurata est incolis, quippe contra leges facientibus, institutum mutantibus, fœdus violantibus æternum: ideo terram conficit dira calamitas, luget mustum, interiere vites, acerbum est bibentibus temetum.

Patrãtur insuper tot facinora in victu & balineis, veteribus incognita: quæ infinitas cladis myriades inuehunt, præsertim apud eos, qui exploso Pythagorico symbolo, Chœnici insident, ob acediam putidi. Galen. 1. de sanit. tuend. cap. 3. scribit: cum quotidie, propter insitum ipsis calorem, cunctis animalibus nonnulla substantiæ portio defluat: nec sit aliter, huius iustum seruasse modum, quam cibi, potionis, respirationis & arteriarum motus ope: necesse est, ex iis contrahi excrementorum prouentum. Nam, si quale erat ipsum, quod effluxit, tale prorsus adiungere, adglutinareque ei per totum liceret, optimum id, saluberrimumque plane esset. Verum vbi, quod singulis partibus defluit, tale natura est, qualis ipsa est particula: nihil autem eorum, quæ eduntur bibunturve, eiusmodi prorsus est: necessarium naturæ fuit prius ea mutare, & concoquere, &, quam fieri maxime potuit, efficere corpori alendo, restituendoq; similia. In quo opere si quid nec confectum, nec prorsus adsimilatum est, id corpori nec adnascitur, adcrescitve, & per ipsius laxiora intus spatia, tanquam περιττεῦόν τι siue superuacuum errat: vnde nomen quoque recte a maioribus ei rei περίττωμα Græce est inditum, cui excernendo, excludendoque natura non solum instrumenta instituit: verum etiam his facultates

tates inseruit: quibus incitata quædam ad se trahunt, quædam aliis transmittunt, quædam excrementa expellunt. Multa autem ab initio, (vt idem Galen. præclare lib. de caus. morbor. cap. 6. demonstrat) instrumenta expurgandæ materiæ inutilis gratia, natura molita est: & hęc quidem sola ad tuendam sanitatem sufficiunt: cum nullam corpori labem is, qui nobis circumfunditur, aer adiecerit: aut delinquens ratio victus humorum vitiosorum redundantiam immodicam in corpore non effecerit. Nam cum talis acciderit error, non amplius naturalia sufficiunt instrumenta ad excrementi multitudinem expurgandam. Ideoq; tunc accidit, vt fluxiones a valentioribus impulsæ partibus ad imbecilliores irruant. Illud quoq; nonnunquam vsu euenire solet: vt, cum stipati fuerint hi, per quos expurgantur, meatus, ad alia confluant loca. Hæc quidem principia sunt gignēdi omnes ægritudines. Malum vero in ipsis membris augetur: cum eisdem impactæ superfluitates ac putrescentes, atq; ea ratione magis vitiatæ, influentem postea humorem, etiamsi vtilis sit, coinquinant atq; corrumpunt. Quo itaque plures committuntur errores in victu: eo minus coctiones procedunt: eo quoque plura, quam instrumenta naturalia cōtinere possunt, coaceruantur excrementa in quacunque corporis parte: vt liquet ex Aretæo libr. 1. de caussis Chronic. morb. cap. 15. plures generantur morbi: plura accedunt symptomata. Quod etiam ipse Galen. 2. de sympto. caus. cap. 5. confirmat: dum scribit, nihil mirum esse, antiquos medicos nullum concutientem rigorem sine febre vidisse: hominibus, qui tunc viuebāt, nihil perinde, ac qui nūc viuunt, in salubri victu peccantibus, sed nec balneorum vsu tam frequenti. Et

lib.de tremor. palpit. & rigor. cap. 7. Ne mireris, inquit, si apud veteres medicos scriptum inuenias, febrim comitari necessario rigores, qui sine frigore obueniunt externo, ex ipsa corporis dispositione prodeuntes. Nihil enim tale veteribus, nec balneis tot post cibum, nec vita otiosa vtétibus accidit. Hoc autem tempore ambo hæc frequenti in vsu habita, etiam rigorem hunc, qui, quod excalfieri nequeat, ἀνεκθέρμαντος appellatur, excitant, nouum quoddam & peregrinum accidens, propter victus nouitatis rationem. Simili modo Plutar. 8. Sympos. q. 9. præbibitiones gnauiter incusat, quas vocant προπόματα, ex melle & vino, longa insolatione citra cocturam concinnata: quæ ante cibos bibebantur, ad ventriculi robur, concoctionem crudorum, & alui subductionem: vt licet videre apud Aetium lib. 3. cap. 57. & 72. Nihilominus hæc ceu nauci vituperat Plutarchus: cum antiqui ne aquam quidem biberint, antequam edissent: nunc ante cibum captũ vino oppleti, humectato & feruente corpore cibos adgrediuntur. Huc quadrat etiam illud Gal. com. 6. apho. 28. ætate Hippocratis pauci podagra laborabãt, propter vitæ moderantiam: nostris vero temporibus vsq; adeo auctis eduliis, vt nihil eis addi posse videatur, infinita est podagrarum multitudo: cum nõnulli sint, qui ne exerceantur quidem, sed cruditatibus atq; ebrietatibus incumbant: & ante cibum bibant vina potentia, ac venereis vtantur immoderate: nonnulli vero, etsi non in his omnibus, in vno saltem aut duobus delinquant. Atqui peccatum magnum cum fuerit, sæpe in vno eorũ, quæ diximus, deliquisse, sat est. Si hæc Galeni & Plutarchi memoria contigerunt: quid de nostris heluonibus dicendum: qui in popinis & ganeis consene-

consenescẽtes, ἐκπεριαιρέσεως sibi apud cupedinarios & pocillatores, poculis heracleis atq; trullis, e cyliceo & lutere depromtis, volũt sitim excitari, vt nunquam non sitiant: & qui non tantum geniali victu moras noctis fallunt, sed etiam potitant, vt potitent: repudiata lege Lycurgi, quam, recensente Xenoph. de repub. Laced. Lacedæmoniis præscripsit, ὅπως, ὁπότε διψῴη ἕκαστος, πίνῃ: sublatis potionibus nõ necessariis, αἳ σφάλλουσι μὲν σώματα, σφάλλουσι δὲ γνώμας: imo iam res in catillonibus atq; patenariis, qui suo mancipati ventri, patrimonii dilapidatores sunt, eo deuenit: vt, sicut Gal. lib. de cognosc. curand. animi morb. cap. 6. conqueritur, eos, qui compotationibus delectantur, tum ingenti voluptate adfici videamus: cũm suos bibendo superant compotores: & eos, qui ventri student, multitudine ferculorum gaudere: quicunq; aũt edaces sunt ac palatum explere cupiunt, hos placẽtis & eduliis, tum quæ ad sartaginem, tum quæ ad ollas pertinent, aliisq; item condimentis suauioribus lætari. Sic οἶνος οὐκ ἔχει πηδάλια: sicut apud Atheneum dicitur: dum post cylibantum nec subulcorum & porculatorum aqualiculis parcũt ebrii: & pharmacum hoc desiderant propter continua potęnia: quemadmodũ legimus olim ab Ægyptiis edoctas aues: quæ conuiuarum coronis adligatæ, cantus lasciuia & morsiunculatũ proteruitare, potu graues a somno excitarẽt.

Eadem mensura metimur balneorum errores: quorum Plutarch. 8. Symposiac. quæst. 9. & Gal. lib. de rigor. tremor. palpit. cap. 7. & 2. de sym. caus. cap. 5. mentionem faciũt. Genuinus ordo in balineis seruandus, proponitur a Galeno, 10. Methodi medend. c. 10. Vult, apodyterio relicto, lauacrum ingredientes versari in aere primum tepido, dein mediocriter,

postea intense calido Laconici: quod ὑπόκαυστον Vitruuius,& θερμαλακτήριον Galen. 9. de simpl. medic. facult. nuncupant: vt cutis meatus rarefiant: introducaturque sensim æqualis & blandus per totũ corpus calor: atq; χάλασις τῶν συντεταμένων, densatorumque sub cute fusio, & fuliginosi seu fumidi excretio sequatur. Hinc præcipit, vt in βαλανεῖον siue tepidariũ & caldarium Vitruuii atque Celsi lib. 1. cap. 4. descendant: quod cõstat tribus aquæ soliis, tepidæ primum, deinde mediocriter calẽtis: demum calidæ. Hoc siccitatem corporis, etiam febricitantis, emendat, madorem vtilem partibus solidis impertitur: &(vt idem Galen. lib. de plenit. cap. 8. & 1. de sympt. caus. cap. 6. testatur) vlcerosum corporis sensum, lassitudinemque sedat, humores mordaces dissipat, vias aperit, densata fundit, laxat, mollit, lenit, coquit, somnum conciliat, educit fuliginosa excrementa, discutit flatus, digerit per διαπνοὴν λόγῳ θεωρητόν: si decenti corporis habitu administretur. Hanc domum excipiat frigidarium: quod similiter constat tribus aquæ soliis, mediocriter calentis initio, tepidæ postmodum & vltimo frigidę: vt eo facilius mutationes ferre possint ægri præsertim. Huius vsus est (sicut & Gal. alibi lib. 3. de vict. in acut. comm. 49. monet) vt calor non modo is, qui ex lauacro accessit, sed etiam, qui prius fuit, submoueatur: laxata & plus iusto remissa, in naturalem redeant mediocritatem, & sic spiritibus & humoribus introrsum repulsis, cute coacta, poris clausis densatisque, immoderatum substantiæ effluuium, ceu pessulo, cohibeatur: calorq; naturalis per ἀντιπερίστασιν augeatur, ne exspiret: viresque firmentur, non secus ac ferrum candens frigidæ mersione induratur magis. In postrema lauacri cella Galenus sudorem

ſudorem ac ſordes ſtrigili vel pannis aſperis detergere, cutem fricare, & oleo aliquo conueniente inungere iubet. Quibus omnia rite ſic ſunt adhibita: ii poſt frigidæ vſum adhuc ſudant, & omnia ipſis excrementa vacuantur. Si quis vero intempeſtiue lauetur: ſequuntur horrores ob mordentium excrementorum motum, & cutis denſitas. Idem accidit cruditate laborantibus: vt Gal. 10. methodi medend. cap. 10. ſcribit. Et hoc idem lib. 11. method. medend. cap. 20. vult: vt in balneo conſideremus, ſi præſertim adſit febris: vt citra horrorem adminiſtretur: horror enim non ſolum intendere præſentem febrem poteſt, ſed etiam, cum non fuit, eam interim excitare: deinde, vt nullum primæ notæ viſcus ſit imbecillum: alias humoribus liquatis, & viis, per quas meent, a balneo patefactis, in eiuſmodi partes excrementa confluēt: (qua in ſententia eſt quoque Gentilis ſuper Auicen. lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 19.) denique, ne multitudo crudorum humorum in primis venis contineatur. Et 4. de ſanit. tuend. cap. 5. ſcribit: non expedire eos lauare, qui in primis venis crudorum copiam habēt: balneum enim ſuccos illos in totum corpus agit. Et lib. 5. cap. 12. quibus mordax calor natura eſt adeo, vt fumida gignat excrementa, iis balneum ſalubre eſt, bis etiam in die, æſtate potiſſimum adhibitum: qui vero humido & frigido temperamento ſunt, iis balneum non eſt tutum, niſi prius inanitum corpus ſit: ſi præſertim lauacri aqua potabilis eſt, in qua nulla vis per halitum digerendi ſubeſt. Frigido autem & humido temperamento Germanos eſſe Septentrionales, & qui ſub Vrſa habitant, teſtatur idem Galen. lib. 2. de temperam. cap. 6. Item 13. method. medend. cap. 6. dicit: eos, quibus plurima ſuccorum abundantia eſt,

balneo non sine periculo vti. Et lib. 1. de diff. febr. c. 3. balnea calida dulcium aquarũ febrim inducere scribit: cum corrupta cibaria in totũ corporis habitum recipiuntur. Item: qui iam humores habent vitiatos, ac male difflantur, aut balneis superfluis vtuntur, hi facile febribus corripiuntur. Amplius comm. 11. in Hippocrat. lib. de vict. idiot. Lauacra his, qui habent in iecinore arctos transitus alimenti, obstructiones creant. Sic Gentil. super Auicen. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 19. quæst. 2. prohibet balneum ante catarrhi digestionem, maxime si humores sint calidi: quia maius est incommodum ex fluxu, quam sit commodum ex resolutione catarrhi. At temerarie nostri, nullo horum præceptorum salubrium ponderato, intempestiuis madentes balneis cõtraria prorsus via ingrediuntur: dum æstate frequenter, sed hyeme frequentius in sudatoriis se macerant. Plutar. 8. Sympos. q. 9. inquit: qui paululum nos ætate antecessere, ii, si balneum nostrũ foribus apertis introspexissent, dicturi erant puto ex Odyssea Homeri:

Stagna Pyriphlegethon subit hic Acherontia feruens.

Maiores enim nostri ita lenibus atq; tepidis vsi sunt balneis: vt Alexander Magnus in balneo febricitans dormiuerit: Galatarum autem mulieres pultem cum suis pueris inter lauandum ederint. Nunc rabiosis videntur similia balnea, & lacerantibus, atq; cõuellentibus, laniãtibusque: aer enim, qui in iis hauritur, mixtum ex humore & igne quidpiam, nullam corporis partem sinit quiescere, sed oẽm etiam indiuiduam particulam conturbat, suoq; e statu dimouet: donec inflammatos nos & feruentes ipsi restinguamus. De eodem præpostero lauandi modo, eiusq; labe scribit quoq; Arist. sect. 2. probl. 32. in principio multum i-

gnis

gnis adhibitum, carnem, cutemq; summã ficciorem occupans vrit, atq; in modum testæ indurat, vnde sudorem arcet: parum autem contra carnem relaxans rarefacit, sensimque intestinum humorem excitat, vt secerni possit. Carne autem rara plus ignis adhibitum, & corporis ima facile subiens, humores iam inde præmollitos in vaporem conuertit, partesque eorum prætenues secernens educit cum spiritu. Quam cynosuram medici ad vnguem obseruant: qui eos, quibus sudores ciere volunt, introducunt in Laconicum tepefactum: cuius calor sensim augetur: sic enim laxitatem poris absq; virium detruncatione conciliant. Hæc delicta fœcunda aliud coagmentant: quod non minus periculum facessit sanitati: dum a cibo statim in lauacrum nostri commeãt. Prodest quidem, suadente Galeno partic. 2. aphoris. 41. ante balneum aliquid panis adsumere iis, quibus vel debile est, aut sensum plurimum habet os ventriculi, ne exsoluantur: at ventrem & intestina cibis, instar vtriculi, infarcire, insalubre est. Idem 14. method. medend. cap. 16. inquit: qui a cibo lauantur, timendum est, ne sibi iecur obstruatur, potissimum propter ciborum, qui succum crassum gignunt, speciem. Et sect. 3. de rat. vict. in acut. com. 55. super verba Hippocratis, lauari is nõ debet, qui nuper vel sorpsit, vel bibit, hæc scribit: non in ægris modo, verũ quoq; & in sanis, nullus confestim a cibi vel potus sumtione lauari debet: nam qui biberunt, his caput repletur: qui vero cibum sumserunt, his non caput modo, verum & corpus totum alimoniam ad se prius, quam cõcocta fuerit, trahit. Idem adfirmat lib. de rig. trem. palp. cap. 7. de rigoris, qui ἀνεκθέρμαντ☉ dicitur, origine: cuius exẽpla ex Sauonarola, Oethæo & Wolphio

refert Schenckius libr.6.obſeruat.94. Galenus præterea 2.de differ.feb.cap.1. balneum a cibis pituitam augere dicit:ac multo etiam magis, cum ipſi cibi naturam pituitoſam habuerint. Lib. de plenitud.c.12. innuit:a cibo ingeſto balneas eſſe cauſſam plethoræ ſanguineæ.Ita Celſus lib.1.ca.3. balneum poſt prandium corpus implere & calefacere,ſcribit.Hac ratione vere apud Philoſtratum lib.1. de vita Apollonii Tyanæi,ipſe Apollonius τὰ βαλανεῖα nuncupat γῆρας ἀνθρώπων:licet βαλανεῖον Græcis dictum ſit quaſi βάλλων τὴν ἀνίαν:quemadmodum D.Auguſtini mœror,ob matrem defunctam,vſu balinei remiſit.

Sed ne noctuas Athenas: vel a plebeiis ingeniis capi poteſt: noſtro ſeculo morborum veteribus cognitorum ſymptomata ideo exaſperari: cum, quod natura conſeruatrix & medicatrix corporis, (vt Gal. ad Thraſybul.cap.3c.& 31.eam nominat) in plerisq; vacillet, quo minus mortis iugum excutere queat: tum vero,quod indies errores in diæta veſane cumulentur:τὸ δὲ ἰατρικῆς δεῖσθαι, μὴ τραυμάτων ἕνεκα, ἤ τινῶν ἐπετείων νοσημάτων περιπεσόντων, ἀλλὰ δι᾽ ἀργίαν τε καὶ δίαιταν, αἰσχρὸν δοκεῖ:inquit Plat.3.de republ. Δίαιταν autem cum Galeno comm.2.ex Hippocr. lib.de ſalub. diæta,& ἐπιτήδευμα pro eodem accipimus: vti hoc vocabulum de cibo,potu,balneis, ſomno,vigilia, exercitatione, nauigatione, equitatione,venere, venatione,ambulationibus, pro omnibus denique, in quib. aliquid corpore agimus,iuxta eundem lib.3. de ſym. cauſ. c.1. vſurpatur.

Neque alio ſenſu ſacros codices interpretamur: quibus Senarii iſti aurei concinne concinunt:

ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην:
θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός:

μένει

μένει δ' ἑκάστῳ τοῦθ' ὅπερ μέλλει παθεῖν.

Et perbelle ſcribitur ab Hippocrat.lib.de aere,aquis & locis cap.11. de morbo Scytharum, cuius Herodotus in Thalia meminit: qui, cum prælio fuſis Medis,vniuerſa Aſia potiti, & poſt in Aſcalonem Syriæ Palæſtinæ vrbem ingreſſi,vetuſtiſſimum Vraniȩ Veneris templum depeculati eſſent,ira numinis ἐνάρεες, ſiue ἐνάειες,ſiue ἀνανδριεῖς facti ſunt: ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτέῳ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι,καὶ τ' ἄλλα πάντα:καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον.οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον:ἀλλὰ πάντα θεῖα: ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιουτέων,καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίγνεται.

Similimodo concinnatas Aſtronomorum prædictiones moderamur.Plato in Epinomide, θεῖον γένος ἄστρων vocat,ἀνόλεθρον τε καὶ ἀθάνατον,καὶ θεῖον τὸ παράπαν ἐξ ἁπάσης ἀνάγκης:illorumque φύσιν πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ θεὸν ἀποτελεῖν,ſcribit.In qua ſententia ſunt Auerroes lib.3.de cœlo,comm.25.& 1. cœli commen.13.& 19 & Ariſtot.1.de cœlo cap.9.1.Meteor.cap.3.4.& 9.2.cœli tex.42.Ioua ſuperioribus corporibus vtitur in iis,quæ ἀπροαιρέτου naturæ modo fiunt: vt in his inferioribus δυνάμεις φυσικὰς reſuſcitent,ſeminaque actionum latentia corroborent: quo vnumquodque eorum in ſuo genere ſub ea conditione, qua Deus iuſſit,a cœleſtibus corporibus cieatur.Qua ratione a Deo mere παθητικῶς ſiderum actiones proficiſci, νοῦν ἔχων enuntiare poteſt cum Eccleſiaſtico c.43.In ſublimi, inquit, apparatus eſt caſtrenſis, in æthere cœleſti refulgens,cœli pulchritudo,ſiderum ſplendor,lucens ornatus,in ſupremis Domini locis, ad cuius ſacra iuſſa ſtant illa continuo,nec in ſuis ſtationibus fatiſcunt.Ab actu ſimpliciſſimo ceteri actus cum potentia mixti ſcaturiunt. Non enim ignis forma ſuam moueret materiam:niſi Deus omnia moueret.Neq;

rerum generatio a Sole, aliisque penderet sideribus: nisi penderent hæc a Deo. Quare ea generant: quia Deus generat. Hinc εὐσχημόνως εὔστημ@ καὶ θεόμυστης Philosophiæ Mystes, 1. de cœlo context. 32. Deum & naturam nihil frustra facere, ait: quod lib. 2. contex. 50. sic repetit: ἡ φύσις μηδὲν εἰκῆ μάτην καὶ περίεργον ἐργάζεται, ἀλλὰ ἀεὶ ζητεῖ τέλος, ἐπεὶ ἅπαν τὸ γινόμενον βαδίζει ἐπὶ τέλος. Vnde etiam citra κυφολογίαν εὐσεβέες Deum semper generare dicimus: dum conseruat. Immo, si Ioua magistratu se abdicans, machinæ mundi non præesset: neque Sol, quando in Capricorni & Aquarii signis remotissimum sui a nobis recessus limitem occupat, gelu inueheret, nec terrã obdormientem puluino niueo, stragulo amphitapo ex stiriis, & lecticariis sindonibus e pruina cooperiret: neq; idem circa mediam Sagittarii regionem & Piscium ἀστερισμὸν, cum directiorum in terras subiitratas radiorum adlisu, tum stellarum Pegasi, Persei & Andromedæ ope, tepidiores Fauonii eliceret auras, ilicia implentes, agros, collinos apprime humectantes, & tellurem vegetãtes: neq; superata zodiaci ac æquatoris sectione, in ariete, subsolanos vẽtos aridiores prouocaret, qui, vt proscindi solum censeri, occari & lirari possit, torrentem absorbent: neq; Pleiadum, Hyadumque in tauro, vt & hædorum, orionis & arcturi ὑπηρεσία, austrinos humidosq; ventos ab omnibus plagis exsuscitaret, ad semina atq; plantas pluuiis rigandas: neque geminorum stellæ calorem fœcundũ prosilientibus rebus impertirentur: neq; cancri signum spicis e vaginis emergentibus, & herbis in festucã surgentibus, atq; arborum fructibus grandescentibus, humorem aptum suppeditaret: neq; leonis sidus, cum flammeis caniculæ stellis, quæ vibratu radiorum solis vicini acrius

crius excandeſcūt, luxurie ſuperflui madoris diſcuſſa, maturitatem fructuum & vuarum pubeſcentiū promoueret, ſimulq; tamen euocatis eteſiis frugum cerealium vredinem auerteret: neq; vdum & vētoſum virginis aſtrum, arcturi vi, exſuccam terrā rigando, ſementi leguminum aptiorem redderet, neq; corrugatas, ceu quodā rubiginis carbone, Sirii æſtu, vuas pluuiis reficiens, qualos vindemiatorios impleret: neque libra ad alteram vtriuſque circuli ſectionem conſcendens, coagmentatis ventis temperatis feliciorem ὀπώραν, leguminum συντέλειαν, ac ſerotina frigidiorum regionum σταφυλοβολεῖα iuuaret: neq; Scorpii ἀστερισμὸς, interuentu Hyadum, Pleiadum, orionis & hœdorum, tellurem æſtiuis laboribus exhauſtam emolliret ad hibernam ſementem: neque deniq; Sol ſagittarium ingreſſus, a ſolo obrutis & adhuc tenellis ſeminibus gelu repentinum arceret, donec actis firmatiſque radicibus contra horridioris cœli iniurias ſe munire poſſunt: omnes iſtæ viciſſitudines, (κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν, ne ſimus λογοδαίδαλοι, aut ἐειδαυταιοὶ) quas per ſingulos Solis anfractus experiuntur coloni, flacceſcerent, nec ita ſtatis periodis recurrerent: niſi a primo motore δογματιστῷ dependerent. Sic etiam nec oriens Sol cōuerſum ad ſeſe hemiſphærium terræ colluſtraret lampade: nec pro diuerſo ſitu ad ſubditas plagas, proque diſtantia a puncto verticali, motu ſuo quatuor anni cardines diſtingueret: niſi Ioua περιεσκεμμένος ἀρχιτέκτων καὶ δημιουργὸς, hos naturæ limites fundaſſet: a quo ἀρχοειδῶς iſta omnia oriuntur. Nec in alias colonias collocamus mutationes aeris minùs inſignes, per anni tempora & menſes: quas variationum ἐνιαυσιαίας centurias temperat atque concinnat Solis per puncta ἰσημερινὰ,

aut τροπικὰ πάρεδρος: quique in proxima his plenilunia & Lunam intermenstruam incidunt astrorum positus. Hi etiam μηνιαίας moderantur: vt & Lunæ φάσεις, siue articuli in angulos Solis incidentes, & προσνεύσεις κατὰ τὴν λόξωσιν τοῦ διὰ μέσων, Planetarumque συναφαὶ καὶ ἀπόρροιαι: quæ quidem & καθολικώτεραι sunt Ptolemæo. Sic ἡμερησίας cœli constitutiones exasperant ac mitigant Solis & Lunæ ad stellas errantes inerrantesque adcessus recessusque: quæ tamen non parum mutantur pro ipsarum stellarum, Planetarum præcipue, matutina vespertinaque ἐπιτολῇ καὶ κρύψει, siue ἀνατολῇ καὶ δύσει: prout etiam Sol stellarum fixarum vires exstimulat. Deniq; ὡριαίας mutationes cient Solis, Lunæ, Planetarumque per κέντρα decursus, & Lunę in latitudinem deflexus ac digressiones: vnde non solum tempestates, turbines, imbres, ἐτήσιμοι, sed etiam vrica, carbunculus, sterilitas. Hic etiam priscos quosdã philosophos λοφοπῶλιν videmus. Ptolemæus σκοπιήτης adfirmat, siderum verbere animantia germinaque omnia crescere, decrescereque. Et Iamblicus ex Ægyptiorum doctrina, qui cœlorũ influxum duxerunt πρόσκλιντρον, natura δεισιδαίμονες & μυστηριακοί, ait: quicquid boni adest, id Solari potestate adesse, certũ est: &, si quid ab aliis habemus, ab ipso tamen absoluitur. Hoc respectu Heraclitus Solem vocat cœlestis lucis fontẽ: Orpheus vitæ lumen: Plato cœlestem ignem, astrum animatum, maximum & diurnum. Albumasar per Solem & Lunam omnibus vim infundi, insinuarique adserit. Qui in eo tandem παχύδερμοι Ethnici redacti sunt eidololatriæ: vt, cum istas cœlestes Solis rotationes caussam esse fœcunditatis & sterilitatis animaduerterẽt, Solem numinis instar venerati sint: quod Plotinus recenset. Licet autem

hi

hi προείζειν σύμενδαν φιλομώμοις, & nimium triLuere astris videantur: non alio tamen ſenſu hæc interpretamur: quam quo Hermes ſcripſit, poſt Deum, Solem & Lunam viuentium omnium vitam eſſe. Qua ſacerdotis Ægyptii ſententia nil aptius dici potuit vel apud Gymnoſophiſtas, vel Druydas, & Semnotheos ſiue Sardos. Sic etiam dextre accipimus: quod Cicero 2. de nat. Deor. ait: nulla in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas ineſt: contraque omnis ordo, veritas, ratio, conſtantia. Et: cœleſtem admirabilem ordinem incredibilemque conſtantiam, ex qua conſeruatio & ſalus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt. Porro, quantumuis Aſtrologi cœleſtes cauſſas ἀναγκαίως eaſdem perpetuo actiones edere dicant: (ἐξ ἀνάγκης γὰρ γινόμενα, vt Peripatetici ſentiunt, ἀεὶ ὡσαύτως γίνονται) immo primam cauſſam adamantino vinculo ſecundis ita copulēt, vt aliud agere nequeat, quam quod eædem cauſſę flagitant: liberrima tamen Dei, Monarchæ & omnipotentis architecti voluntas facit: vt pleraq; ἐνδεχομένως in rerum natura contingant. Hinc quidem φύσις ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον efficit idem: ſicque in creatis ἀνάγκη καθ' ὑπόθεσιν potius, quam ἀνάγκη κυρίως locum habet. Et recte huc quadrat illud Ptolemæi: ὑποπίπτει γὰρ ἀεὶ ἡ κεραχυτέρα αἰτία τῇ μείζονι, καὶ ἰσχυροτέρᾳ. Hæc prima cauſſa vim ſecundis impertitur: earum actiones & ἐνεργείας ἀπεραιρέτους incitat, acuit, infrenat, coh bet & mutat, cum vult: denique omnia liberrime diſpenſat, iam κατ' οἰκονομίαν, per legitimam cauſſarum & ἐνεργειῶν ſeriem: iam κατ' εὐδοκίαν, ſuo arbitrio quid præter ordinem cauſſarum phyſicarum & cœleſtium moliendo: iam κατὰ συγχώρησιν indulgendo. Sic in aſtris & cœ-

lestibus aliis corporibus accidit. Qui Deus enim illa sine cessatione statis vicibus circumagi, cursusq; eosdem eadem lege repetere iussit: idem, quoties vult, spreto caussarum connexu, vel sistit concitatissimas sphærarum & orbium cœlestium vertigines, vel roborat, vel cohibet. Ita legimus Iosuæ 10. Iosuæ iussu in pugna Israelitarum contra Amorræos, Solē apud Gabaonem restitisse in medio cœlo, & Lunā ad vallem Aialonē, spatio circiter vnius integræ dies: qualis sane dies neq; ante neq; postea fuit, vt ita hominis vocem exaudierit Ioua. Et lib. 4. Reg. c. 20. & Esaiæ c. 38. cum Ezechias lethaliter ægrotaret, Ioua oratus ab Esaia vate vmbram per gradus, quibus descenderat, in Achazi solario retro decē gradibus retraxit: estq; regressus Sol decem gradus, per quos descenderat. Quemadmodum autē hæc ex orthodoxæ religionis fontibus deriuata sunt: ita nequaquā floccipēdimus obseruata philosophorum ex astris manantia. Habēt quippe sua κριτήρια & demonstrationes, si non τοῦ διότι, saltem τοῦ ὅτι: quæ quidem ἀπὸ τῆς συμπαρατηρήσεως scaturiunt: stabiliuntur aūt experientia atq; rationibus a posteriori conuasatis. Aristot. 1. prior. anal. c. 31. Gal. lib. de cogn. cur. an. morb. c. 8. Multo inficiamur minus stellarum, Planetarum maxime, efficaciam: quæ suas vires in elementarem extendunt orbem: dum porrectis in terram, & reuerberatu coactis radiis, ex eorum resultu, firmatur atq; inualescit virtus: quam etiam terram orbium gyro amiciunt, & quotidiano cursu periodicaq; vertigine ambiunt. Conniuemus etiam hos effectus variari: prout Planetæ combēnonibus zodiaci sociantur: prout quoq; variis cōfractibus intorquent ac eiaculantur radios: prout pernici vel lento cursu rotātur: prout ad fastigia suorum Epicyclorum vel Eccentricorum conscendunt, iisque e-

mẽſis reuiſunt ima παείγεια:prout deniq; in diuerſos
ætheris tractus exſpaciantur. Imo cum Hippo. lib. de
aere, aquis & locis c. 6. neceſſarium dicimus: nos maxime
obſeruare oportere magnas temporum mutationes,
vt neq; medicinas in illis libẽtes exhibeamus,
neq; vramus, quę circa ventrem, neq; ſecemus prius,
quam prętereant dies decem, aut plures, & non pauciores.
Periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia, maxime
vero æſtiuum. Periculoſum etiã æquinoctium
vtrumque, magis vero autumnale. Oportet aũt & aſtrorum
exortus conſiderare, pręcipue canis, deinde
arcturi, & pleiadũ occaſum. Morbi enim in his maxime
diebus iudicantur, aliiq; perimunt, alii vero deſinũt,
reliqui vero oẽs in aliam ſpeciem, aliumq; ſtatum
tranſmutantur, &c. Explodimus aũt anilia Stoicorum
deliramenta: qui primam cauſſam compedibus
cathenatam cœlo adfixerũt: quaſi illa ob hoc pilulis
ſclopettorum & falconettorũ imperuia ſit: qui
item aſtrorũ ſtatutis pecuino ſeruitio voluntates hominum
obſtringi, baubauerunt. Sic largiemur illis,
Deum quidem pœnas atq; iram denuntiare, infauſtis
Planetarum cõiugiis, ecclipſibus, cometis, aliiſq; inſolentibus
ſignis: aſt opinari, (vt μετεωροφένακες ſomniant)
ab his concitari ſingularia ἐπιδήμια λοιμικὰ καὶ ὀλέθρια,
nouos morbos ἐνδήμους actutum generari, adluuiones
in quibuſdam mundi plagis moueri, Imperatores
& reges certos interimi, atq; bella cieri, ridiculæ
dementiæ eſt: quæ ex lutulentis Chaldæorum
ciſternis profluxit. Omnibus ſpoliatus eſt machinis
vapor ſtellæ crinitæ ardens, ſiue potius tam denſus &
compactus, vt illuſtrari, tam vero rarus, vt radios illuſtrantis
Solis trãſmittere poſſit (quemadmodum,
Stobæo referente in Eclogis, Heraclides Ponticus
ſenſit) quibus cogat: vt reges armis concurrant. Licet

enim nonnulli ſiccitatem aeris & caliditatem incul-
cent:a qua corpora vſtulata, & humore epoto atque
in fumum ſoluto exſiccata ſunt: ſicque ob humores
torridos, vehementia incendii cometæ cumulent &
acuant flauam ac rubram bilem:qua efferueſcente
incandeſcunt facilius animi, & exſiliunt impotẽtius
ad cædes, rationis limites trãſgreſſi: vnde & inſignes
in temperamentis mutationes accidere dicũt, a qui-
bus feruidiores oriuntur impetus: qui impreſſis ad-
fectionibus reſpondent: elumbia tamen hæc ſunt
cauſſarum lenocinia: quæ vel elumbibus elumbium
Ambubaiarum potiunculis auerrũcari poſſent. Vah
grauiora longe negotia! principes cataphractos claſ-
ſicum canere iubẽt. Sic cometę & eiuſmodi alia me-
teora perniciales morbos nunquam inuehere valẽt
ob ſiccitatem. τῶν δὲ καταστάσιων, inquit Hippocr. 3. aph.
15. τοῦ ἐνιαυτοῦ, τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσὶν ὑγιει-
νότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες. Quin Cometæ ex ſeipſis
potius ſalubritatem participant: dum halitus denſos,
qui continua ſuccedentium vaporum farragine a-
luntur, abſumunt: cum ἀναφύσημα ἄνω φερόμενον quo-
tidie rarius & magis aereum fit, lentoreq; ac pingui-
tudine exuitur: vnde, quia in pluuias denſari nequit,
venti & ſiccitates ſequuntur. Id etiam ex prognoſti-
co Ptolemæi de tempeſtatibus liquet: qui, αἳ μὲν, in-
quit τῶν κομητῶν συστροφαὶ πάντοτε αὐχμοὺς καὶ ἀνέμους προσ-
ημαίνουσι, καὶ τοσοῦτον μείζονας, ὅσον ἂν ἐκ πλειόνων μερῶν καὶ
ἐπιπολὺ ἡ σύστασις ᾖ. Sic ante bellum Peloponneſiacum
anno mundi 3563. ingens Cometes poſt Solis occu-
bitum, 75. dies continuos fulſit: quem mox tantus
ventorum conflictus excepit: vt fragmen a monte a-
uulſum in ſublime abripuerint: quod, vbi decidiſſet
ad vrbẽ Thraciæ Aegos Potamos, in quo loco poſt-
ea Attica

ea Attica classis a Lacedæmoniis victa est duce Lysandro:& captiuorum Atheniensium tria millia post prælium nouo exemplo crudelitatis interfecta, ob adiunctos Corcyreos,& odiũ Periclis aduersus Megarenses) e cœlo præcipitatum fuisse, creditum est. Similiter legimus, anno 4. Olympiadis 21. Aristæo Athenis prætore, in ipsa bruma Cometam cũ splendore, tertiam cœli partem occupante, ab occasu æquinoctiali Austrum versus processisse: cumque cingulum Orionis attigisset, exstinctum. Huius hyemis reliqua pars fuit siccissima,& flatibus Septentrionalibus abundans. Postea, cum contrarii vẽti simul spirarent, Aquilo in sinu Corinthiaco fluctus concitauit: extra sinum vero Auster obluctans, cum fluctus intra sinum cogeret, post aliquot terræ motus, quibus Achaiæ vrbes Helicæ & Bura corruerunt, accidit etiam diluuium, quod magnã Achaiæ vastitatem attulit. Et anno 4. Olympiadis 109. Lycomacho Athenis prætore, iuxta circulum æquinoctialem Cometes apparuit: quem ventus horribilis prope Corinthum secutus est. Eiusmodi quotidie obuia sunt Cometarum exempla. Si contra aera Cometa non expurgetur: halitus virulenta qualitate inquinabunt aerem: qui halitus, nõ autem Cometæ, pestiferorum morborum fomites censentur. Præterea, cum calor in abstrusis telluris cuniculis stabulans, subterranea mouet, coquit, alterat,& extenuat in vapores, eadem prorsus in macrocosmo, qua calor natiuus in microcosmo, norma: quomodo quid ὑπὲρ φύσιν, supra omnes totius naturæ cancellos, portendet, quod κατὰ φύσιν accidit? Cum præsertim verissimum sit, fumum hunc in elatiorem aeris regionem tanquam penuarium conglomeratum, nullo pacto aptũ esse ad talia

euentuum ostenta, qui in solius Iouæ arbitrio sunt monstranda. Quicquid nonnulli vitiligent de iuba: quam proceræ barbæ instar exserunt crinita sidera, & πωγωνίων repræsentant speciem: interdum vero sine vlla adpendice villis hispidioribus cooperta horrent. Vt hinc sole meridiano clarius sit: cum semper aliquis effectus sit alterius signum propter cohærentiam, neutrum hic ab altero ἀναγκαίως pẽdere. Oportet siquidem, (vt Galen. 6. apho. 16. scribit) signum secundum aliquid ei, quod ab ipso ostenditur, connecti. Et ἀξιομνημόνευτον ἀξίωμα est: requiri ἀναλογίαν τῶν ἐνεργούντων αἰτιῶν πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὕλην, & in materia ἐπιτηδειότητα ad patiendum. Sic non perpetuo Luna pluuias ciet: licet Tauri Hyades, Pleiadesque subeat, vel nebulosas prætereat Cancri stellas, quibus asellorum & præsepis est nomen. Caussarum enim effectus a vi contraria vel discuti, vel prohiberi possunt: ne vel vires exserant, vel vt exsertæ interrumpantur. Quin multas istiusmodi stellarum συζυγίας, multas luminum defectiones, multos Cometas, nulla talis excepit pernicies mortalium: qualem, velut cosmocritico circino re punctim notata, arguti vaticinati fuerant astrologi. Multæ contra vrbes bello vastatæ: multi viri clarissimi fato functi: multa exterminata regna, sine eiusmodi signis. Quis Cometes, quive infausti planetarum coitus antecessere pestem illam: de qua 2. Regum cap. 24. & lib. 1. Paralipom. cap. 21. legitur: cum Israelitis infestus satan Dauidem impulit ad numerandos Israelitas, a Bersaba ad Danem vsque: triduum terra ense Iouæ & pestilẽtia infestatur: & omnes Israelitarum fines a Iouæ genio vastantur, donec ex eis septuaginta hominum millia ceciderunt? Sed non mirum est, illiusmodi vatum oculos

lippientes

lippientes tersis specillis quandoque indigere, ad cometarum planetarumque altitudines indagandas, & portenta ènucleanda. Nam cum Lunæ distantia a centro terræ contineat 1210. semidiametros terræ, semidiameter vero terræ milliaria Germanica 860, iuxta hypotheses Procli: facile augurari hinc possumus, octauæ sphæræ a centro terræ remotius esse spatium, quam vt ab humana ὀξυωπία ἀκριβῶς concipi possit. Imo nubes, cum proximæ terræ adsistunt, 288000. passibus, seu 72. milliaribus Germanicis, secundum Vitellionem, absunt: veluti, cum longissime a terra recesserunt, 772000. passibus, seu *139.* milliaribus nostratibus. Sic sane ad cœlestium rerum intellectionem, mentis nostræ directa acies tam imbecilla est, quam ad Solem intuendum nycticoracis oculus. Quamobrem istos Dei titillatores procul a diuinorum hominum auribus garrire iubeamus: quos Esaias quoque cap. 47. exsibilat: atqui euenient tibi hæc duo repente eodem die, orbitas & viduitas, & plene euenient ob tuas tot præstigias, ob astrologiæ tuæ tantam copiam, quas ista improbitate freta negas te conspici: quæ (tua ista sapientia ac scientia te peruertente.) cogitas cum animo tuo, te eam esse, præter quam nulla sit. Atqui eueniet tibi malum, cuius ortum ignorabis: accidet tibi calamitas, quam nō poteris auertruncare: eueniet de improuiso tibi necopinanti vastitas. Ita, quæso, cum astrologia tua, cūq; istis tot præstigiis, in quibus a pueritia elaborasti: si quid possis proficere, & præ multitudine tuorū consiliorū fatigata, corroborari. Adsint sane, teq; defendant cœli ventilatores, contēplatores siderū, ex nouis lunis diuinantes, a tuis futuris casib. Illi vero stipularū similes igni cōburentur, ne seipsos

quidem a flamma tutantes, nulla ad calefcendũ pruna, aut rogo, ad quem fedeatur. Cum idcirco Efaiam non humanorum fpirituum excitatio, fed Spiritus fanctus docere hæc iufferit: valeat, quauis in foro fcrutario digna profcriptione, fententia Aftrologicæ fuperftitionis, aftris admodũ iniuriæ: quæ, quicquid in infimis accidit, cœlo acceptum refert, ad naufeam vfque illud Philofophi eructans: τῆς γενέσεως καὶ φθορᾶς αἴτιον ἐστὶ τὸ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον φορεῖν.

Ad ftrigum incantamenta quod attinet, ficuti nec tyro cœleftis philofophiæ de Iobo inficiabit, Deũ quandoq; conniuere, vt diabolus, fagarum ope, homines prodigiofis morborum tormentis ad internecionem vfque vexet: ita econtra in republ. Chriftiana blafphemæ vulgi fententiæ aqua & igni interdicendum: quod quarumcunq; inualetudinum difficilium farraginem capularibus aniculis imputat, Dei robur depeculans: quafi is fit adeo elumbis, vt ne quidem nutu vafritiem diaboli & latrocinia lamiarum compefcere abfq; comperẽdinatione poffit. Sic hercle nihil a veritate remotius eft vulgi fententia: quicquid enim laudat, vituperio dignum eft: quicquid cogitat, vanum: quicquid loquitur, falfum: quod improbat, bonum eft: quod adprobat, malum: & quicquid extollit, infame: vt Ioannes XXIII Pontifex Romanus, referente Balæo, fentit. In hoc cœno ob fagarum turbinem omnes non folum mediaftini, fed etiam primores nonnulli hærent: de quibus Efaias cap. 9. fcribit: non redit populus ad eum, a quo cæditur. Axioma Achilleum 8 Phyfico. eft, naturam nihil abfque ordine vel meditatam effe, vel effeciffe illam: fapiens enim cum fit, monetur vero fine: ficuti infipiens falfa finis fpecie, non fine. Huius naturæ opulentia

pulentia ac liberalitate materia suppeditatur: huius prudentia atque sedulitate alitur opus, atque prouehitur ad finem suum: hæc euocat ac distribuit suæ quamq; formæ materiam: quam, qualem, quantam, quando, quorsum decere oportereque existimauit. Hoc naturæ ordine calor naturalis, cum quotidianis supplementis reficitur, redintegrascit, quãtus quantus in ipsis fuerat primordiis. Eodem ordine, quia laborat agens naturalis, & in agendo patitur, tametsi animæ vis sit eadem, tamen instrumentum, id est, calor ipse, multo vsu debilitatum, atque, vt ita dicamus, detritum, non potest, quod ab eo iure naturæ exigitur, perficere pensum. Quo fit, vt primore ætate vegetior, tum quotidiano agitatus opere calor fiat vietus, ac deinde flaccescat, postremo vero etiam aboleatur. Hæc ἀναντίῤῥητος est sanitatis, morborum & mortis œconomia: a qua natura ne transuersum quidem vnguem discedit: cuius vestigiis dogmaticus insistit medicus. Quæ vero supra has naturæ leges sunt: ex naturæ legibus iudicanda non sunt. In hanc classem referuntur adfectus portentosi: in quos homines a veneficis deturbantur. Quamuis enim Cardan. lib. 18. de mirabilib. & Io. Baptista Porta lib. 2. Magiç Natural. cap. 26. item Carrichter. lib. 2. cap. 10. 11. 12. 13. & 14. illos naturalibus adscribant pharmacis, quæ certis anni temporibus, certisque signiferi rotationibus ad certam effatorum obmurmurationem sagç concinnant: vires tamen hasce a natura insitas non habent. Quin ex ipsarummet lamiarum ὁμολογίᾳ liquet, illis a diabolo innumera suggeri: quorum natalitium & robur ignorent. Atque hinc videre est: cur morbi ex fascino pleraque remedia naturalia respuant: vt ἀλεξιτήρια: quibus cum Iacob. Auberto Exer-

cit. 41. ad lib. Fern. de abdit. alii palmam tribuunt: si presertim ex his arte Spagirica extractum, ex fecibus vero sal paretur, quod extracto incorporatur: inter quæ principem meretur locum Antidotus siue theriaca Herculea, ac arcanum siue tinctura Mumiæ: quicquid nonnulli de hyperico, in destinata Marti, Ioui, & Veneri constellatione euulso, eiusdemq; farinæ iunceis bipaliis baubentur. Talia iccirco pathemata quia legitimam naturæ lithurgiam aspernãtur: neq; a natura, neque a naturali medico, ceu extorria, εὐςόχως καὶ ἐυτύχως tractari possunt. τῶν νέσων φύσις ἰητρός: φύσεως δ' ὑπηρέτης ἰητρός: inquit Hippocr. 6. Epid. sect. 5 aphorism. 1. idem Baptista Codronchius libr. 3. de veneficiis c. 6. sentit. Quid igitur scrutinii Christianis cum diabolo, præstigiatricibusque diaboli vetulis? Vtinam Magi lemuriis initiati, (qui in aulis nõ infrequenti numero blaterientes, sana consilia cauillantur) canant receptui: ne, dum temporarios corporis morbos a diabolo inflictos, diaboli scientia auerruncare tentant, in sonticos animarum morbos & meditullium orci præcipitentur. Sed manum de tabula: ne quis in iustitiæ συνεδρίῳ, ex sententia legis καθ' αὐτὸ, ideo nobis grandem impingat dicam: quod, cum sciamus, geometricũ ab arithmetico, arithmeticũ a geometrico exulare, (alioquin illud ἀνάριθμον, hoc ἀγεωμέτρητον erit) contra decretum artis ὁμογενὲς, ἰατροφιλοσοφήματα, hac φιλοπονηρίᾳ sagarum, cumulatim conspurcemus.

Restat iam, vt ad acriores contentiones vitandas, (instigante sic Galeno 1. de element. cap. 2.) ne rationibus implicari se ac decipi suspicentur, rem sic se habere, exemplis de nouitia principum quorundam morborum prosapia, ostendamus. Demonstrationes enim

enim ex iis, quæ manifeste apparent, licet, dum res singulares obliteratis earum caussis, monstrant, sapientiæ nomen non mereantur, teste Arist. 1. Metaph. cap. 1. necessarias tamen & cogentes habent probationes: vt Gal. lib. 3. de facult. natur. cap 2. scribit.

Morbum Gallicum anno Christi nati 1493. aut iuxta Beniuen. cap. 1. de abditis, 1496. cum Carolus octauus Gallorum Rex cum Alfonso Rege ad Neapolim belligeraretur, e Tartaro, tanquam Lernam malorum e Trophonio specu emersisse: plerique rentur: excepto Th. Paracelso, qui hoc, anno 1478. lib. 4. de tum. & vlc. morbi Gallici, c. 3. vel anno 1480. lib. 1. de cau. luis Gallicę, c. 3. accidisse scribit: quo tempore Veneris influentia in sua exaltatione fuit. Licet autem tum indomite sæuierit hęc labes: postquam Hispani ex India tam pretiosam mercem conuexerunt: quæ Italiam primum, deinde Galliam, cæterasq; Europæ prouincias peragrans, plurimos adoriebatur: qui habenis laxatis libidni cũ scortis obscænis enormiter indulgerent: fatentur tamen Nortmanni, qui Americæ partem, qua lõgitudine in Septentrionem desinit, & quam Floridam nuncupant, lustrarunt, pudendagram ibi iam multis seculis endemiam esse: imo ex illis quamplurimos repente, atque absque euidenti caussa, si quis saltem cum muliere, cui menses fluunt, concumbat, adfligere populariter dicunt: vt perinde eos inuadat, ac nos ἐξανθήματα & ἐκθύματα: vnde ipsam non infacete Joubertus & alii Galli Variolam magnam indigitant. In Numidia candida quoque, Nigritica Æthiopica ac Libya purpurea hęc virus iamdudum innotescit. Nam eo polluti, si ex Africa in dicta loca commigrent, solius cœli beneficio sine remediis conualescunt.

Hanc infrænem luem nō penicillo adumbrauit, sed viuis depinxit coloribus ipse Hippocr.lib.3.Epidem. sect.3.vbi recenset omnia fere morbi Indici sympto-mata:qualia sunt,abscessus ad suppurationes:carniū, neruorum & ossium denudationes atq; elapsus magni:fluxio collecta,non puri similis, sed deterior putredo:glabrities totius capitis & menti,cum vel sine febri:sacer ignis,cum minimis vulnusculis & inflammatione:brachii & cubiti defluxus : membrorū dolor:circa fauces tubercula : linguæ inflammationes: abscessus circa dentes:voces vitiatæ, impeditæ & inuolutæ:tabes incipiens : ardens febris : sed omnium grauissimum esse scribit,cum pubem & pudenda vrget hoc malum. Morbos corriuales a pellicibus immūdis,ante syphilidis nomen orbi cognitum, exstirparunt Guilhelmus Salicetus,qui circa annum 1270. vixit : Valescus item Tharantanus, qui anno 1418. Philorium exarauit:nec non Bernardus Gordonius, qui medio inter vtrumq; tempore claruit. Nonnulli artis nostræ primores morbum Hispanicum farraginem ex centonibus multorum morborum compilatam,eorumq; Protei cuiusdam instar, apparitorem & proxenetam dicunt,mētagræ,licheniis, lepræ Græcorum,phlyctænarū,serpiginis,exanthematum & adfiniū : qui omnes antiquis medicis cogniti fuere.Paracels.lib.4.de tumor.& vlcer.morbi Gallici c. 4.similiter arbitratur morbum Gallicum malum esse ex omnis generis contagiis affectibus conflatū: non secus ac pictores quandoq; plures inuicem colores commiscere,ex quibus tandem vnicus oriatur, cernimus.Et lib.2.Chirurg.magnæ tract.1.c.7.morbum Gallicum originem duxisse scribit, ex coitu leprosi Galli cum scorto impudenti,bubonibus vene-

reis

reis laborante:quod deinde ſcortum cõtagio omnes
infecit,qui poſtea in eius amplexus venerunt:atq; ſic
ex lepra & bubone venereo Gallica iſta lues orta,per
contagium totum perreptauit orbem : quemadmo-
dum ex equi & aſinæ coitu, mulorum genus exſtitit:
neque vero inter initia alio, quam per venereos am-
plexus contactu malum cõtagioſum fuit. Etſi autem
Iul.Palmarius lib. 1.de lue venerea cap. 5. literis pro-
diderit, hanc luem indies ita conſeneſcere: vt, quæ
nunc graſſatur,fœditate cum oriente morbo non ſit
comparanda: propter nimirum vlcera in magnitu-
dinem quernæ glãdis exporrecta,ſpurcam ab iis pro-
fluentem ſaniem, fœtorem intolerabilem,& puſtu-
las ex nigro vireſcentes,vel cõſpectu ipſo, ſtomacho
ſtomachum facientes:reuera tamen experientia ob-
ſtipa refragatur. Quicquid etiam Lemnius lib.2. de
occult. natur. miracul.cap.14.dicat: partim medico-
rum opera domitam eſſe vim mali, humorumq; ſæ-
uitiam mitigatam : partim naturam adſuetudine ad
dolores obcalluiſſe:dum videlicet vel deferueſcit ar-
dor & ebullitio,minorque fit humorum concurſus:
vel natura ſpatio temporis adſueta malo, velut do-
meſtico ac familiari,non amplius cum illo luctatur:
aut enim alitur vitioſis illis humoribus, aut non of-
fenditur:quod ſuum cœnoſorum,cerdonum, & clo-
acas ac foricas proluentium exemplo λοξοβάτης cum
προσοχθισμῷ eruditorũ,probare conatur. Noſtra me-
moria tantum hæc hydra creuit: vt vno truncato ca-
pite,innumera ſubinde repullulent:dum multos in-
uenias:qui,cum hoc cruciatuum phrontiſterio ἀβίω-
τος ſit ὁ βίος,recordati Senarii ἀδεσπότου: βίος βίου δεόμε-
νος οὐκ ἔστιν βίος:cẽties in pollinctorum ſandapilas de-
turbari mallent: quam tot doloribus, noctu potiſſi-

mum artus lancinantibus, (Palmerius lib. 1. de lue Vener. cap.4 (tot tuberculis scirrhosis, tot vniuersi corporis verrucis, (Marcell. Donat. lib. 3. de histor. med. mirabil. cap.5. & Leonard. Botall. lib. de morb. Gallic. cap. 8.) tam virulenta gonorrhæa, (Fernel. lib. 6. Patholog. cap. 13. Dodon. obseru. Medicin. 41.) acerrima stranguria (Pareus lib. 18. cap. 28) tot deterrimis pudendorum vlceribus, vuluę penisq; foraminibus, (Andreas Petrus Perusinus hypomn. Pareus de abditis cap. 51 Schenckius ex Franco Hildesio lib. 6. obseru. 232. & 230.) inguinum bubonibus, vuulę & ossis cribrosi in palato excisione, tendonum & membranarum ab ossibus diuulsione, pericranii & cranii ad menyngas vsq; erosione atq; carie, (Vidus Vidius lib. 2. de curat. membr. c. 18) elephantiasi, (Valeriol. lib. 5. obseru. 7. & Gordon. part. 1. Lilii Medic. c. 22.) cachexia, cadauerina facie, similiq; mortis carnificina indesinenter torqueri: ii prætertim, qui propter λυσιάζειν libidinis pœnas luunt: dum nulla coeundi adsuetudine satiantur, nulla continuatione lassescũt: licet non secus ac Cornel. Gallus Prætorius, & Titus Ætherius eques Rom. (Vall. lib. 9. cap. 12. & Plinius lib. 7. cap. 53.) vel Beltrandus Ferrerius, (Pontan. lib. de obedientia ca. 10.) aut Giachetus Galutianus, (Fulg. lib. 9. cap. 12.) inter Venerea basia exspirare cogerentur. Quin tantum est morbi vaframentum: vt non duntaxat viginti vel triginta annorum interuallo fomes mali quasi sepultus in ipsis medullis delitescat & reuirescat: quod, præter Ingrassiam, Fernel. lib. 2. cap. 14. de abdit. rerum causs. & Cardan. in Hippoc. lib. de aliment. obseruarunt: sed etiam internas partes pancratice adoriatur fœdis pustulis, & vlceribus pulmonis, tracheæ, ventriculi & hepatis:

quod

quod teſtantur Fernel.loco citato:Ioubert.lib.de variol.magna cap.4. Bernard.Tomitanus li.2.de morbo Gallic.cap.13. Alex. Benedict.lib.13. de curand. morb.cap.23. Quæ ſymptomata ſi quis in vnius aut alterius ſaltem Gallici curatione percontatus fuerit: animaduertet, luem hanc capitalem veteribus viſam:quod vero iam truculẽtius ferocit, id ferocientibus in victu ac inexhauſta ſalacitate facinoribus imputandum.

Neque nouus eſt morbus,aut a Gallico diuerſus: quem Theuetus Tom.1.Coſm.lib.3.cap.2.& hiſtor. plant.Lugd.lib.18.c.132. depingunt: qui Borozail aut Zail Æthiopum lingua nominatur, & in vtraq; ora fluuii Senega, regna Mely meridiẽ, vt & Tombotu ſeptentrionem ſpectãtia, ob immodicam Venerem genitales partes virorum fœminarumque occupat: quam luem medici decocto herbę Achanecę,& fructus eius Aluard & Lefack nũcupati, ea prorſus norma curant,qua nos ligno Gaiacino.

Eadem de Brunno Gallico, noua Morauiæ lue, quam Thomas Iordanus & Ioannes Sporiſchius peculiari tractatu deſcribunt,nobis eſt ſententia. Eiuſmodi ſcarificationis ſymptomata aliquot annis ciues & vicinos noſtros in balneis infeſtarunt. Turma accidentium, μιάσματα e morbi Gallici familia proſiliiſſe, luculenter demonſtrat: nihil enim rari, nihil noui in lue Morauica, quod alienum a Syphilide: eadem igitur proſapia, eadem natura, eadem virulentiæ Galliæ appellatio, eadem contagii propagatio. Cur iccirco mirum, ſi & eadem fuerit curatio per Turpetum minerale, per lignum Gaiacinum, per ἱδρωτικά? Nec dubitandum de ſcalpelli vel cucurbitularum infectione: (quod clariſſimus

Crato lib.2.Epist.Medicin.2.aliquot exemplis enodate probat) cum nō alii, quam ii, quibus sanguis per cucurbitulas est extractus, infecti sint: & quod malum in eo loco, vbi cutis incisa & cucurbita admota fuerat, cœpit, ac vniuersam massam sanguineam permeauit, & neruosas quoq; partes adflixit. Vidit Crato, quendam in maximo periculo fuisse, cui scalpello, quo vlcus tonsor aperuerat, vena secta esset. Vidimus nos Curiæ Nariscorum, κακοτεχνίᾳ & incuria balneatoris scarificātis, cuius digitum, quo scalprum concutiebat, κακοήθη inuaserat, quamuis perizomate atque emplastro vlcus oblimaret, innumeros iisdem cassibus irretitos, & genuinis morbi Indici remediis a sepulcreto vindicatos fuisse. Et cur saltem hoc in balneis meritoriis contigit, vbi colluuies hominum impurorum visitur: balineis autem domesticis vtentes immunes sunt? Incassum igitur Sporischius se macerauit: dum luem hanc & nouam, & Cometæ sub finem anni 1577. scintillanti adscribendam, exuberante sermonis tela persuadere nititur.

Westphalis, Geldris, Frisiis & Ditmarsis in Daniæ collimitio censetur quidam morbus ἔνδημος: qui tamen in aliis etiam Germaniæ tabernis hodie diuersatur. Dicitur Varus ab idiomate Varen: quo notatur discurrentium lumbricorum genus: vnde diuersum esse adfectum apparet a tuberculo duro cutis in facie, quod alias ἴονθον & ἄκνην vocant: de quo Galen. lib.5. de compos. medicam. sec. loc. cap.3. Aetius lib. 8. cap.13. Paulus lib.3. c.25. Cassius problem.33. Tagault. lib.1. Institut. Chirurg. c.2. scribunt. Germani nominant Den Mitesser/den lauffenden vnd zehrenden Wurm/ Noribergenses,/dürre Maden/ Silesii & Misnenses, den Riebkuchen. Infantibus maxime est infe-

infestus: vnde apud Brunsuicenses, die guten Kinderen dicitur. Prodit se cum exedentibus corrodentibusque cruciatibus, instar arthritidis, abstrusos corporis mæandros perrepentibus: non secus ac si lumbrici musculos & carnem subito permearent: qui tamen noctu magis exasperantur, & dorso, lumbisque presertim, multum facessunt negotii: tumores etiam circa dearticulationes quandoque eleuantur, cum lituris subnigricantibus, Scorbuto similibus, &, si suppurantur illæ, abscessibus pedum: atque si æger inunctus farina triticea ex melle subacta, calori hypocausti Laconicive exponatur: vel si loco calido corpus crusta furnacei panis subcineria confricetur: vel (quod Dudithius lib. 3. Episto. Craton. de mulierculis Polonis scribit) iniiciatur in labrum calidum aquæ, in quo pueri lauant, panis in micas friati manipulus, cineres item parum, & elotis pueris aqua percolata, panis ille in massam compingatur, quæ in diuersas partes manibus distrahatur, dein humeri & brachiola farina aceto permixta inungantur: vel edulcatum condimentum calidum, quale est melicraton, forinsecus illinatur: vel decocto radicis viticellæ in lixiuio querno infantulus perfundatur: catervatim vermiculi, forma ἀσκαρίδων viuentium, e poris capitella nigris punctis insignita exserunt: quę nouacula demetuntur: tandem citra ἀνορεξίαν, vermiculis humorem alimentarium depopulantibus, in eam ἀτροφίαν & maciem incidunt: vt cuncta deperdita carne, vix ossibus hæreant, cum tanta artuum titubatione, vt ne quidem pedibus inniti possint: & tunc nostrates Den alten Vater indigitant. Licet autem in pluribus aluus sit compressa: in sedis tamen familiaricæ scaphio vermiculi instar eorũ, qui e putridis ca-

ſeis prorepunt, viſuntur: quales etiam in fundo matulæ innatant. Malum hoc quidem plerique communi calculo nouum eſſe rentur: ſed paulo acutius rem rimantes deprehendunt eſſe δρακόντιον priſcorum. Negat Gal. lib. 6. de locis affect. c. 3. ſe Dracunculos vidiſſe, his verbis: in quodam Arabiæ loco, vt aiunt, in tibiis hominum Dracunculi vocati naſcuntur, neruoſa natura, colore, craſſitudineq; lumbricis ſimiles: cum igitur multos audiuerim, qui ſeſe vidiſſe eos dicerent, ipſe vero nunquam viderim, idcirco neque de ortu, neque de eſſentia ipſorum quicquam exacte coniicere poſſum. At Plutarchus ætate Galeno aliquantum ſuperior 8. Sympoſiac. q. 9. morbum hunc dilucide deſcribit: οἱ δὲ περὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν νοσήσαντες, ὡς Ἀγαθαρχίδας ἱστόρηκεν, ἄλλοις τε συμπτώμασιν ἐχρήσαντο καινοῖς, καὶ ἀνιστορήτοις: καὶ δρακόντια μικρὰ τὰς κνήμας διεσθίοντα, καὶ τοὺς βραχίονας ἐξέκοπτεν: ἁπτομένων δὲ αὖθις ἀνεδύετο, καὶ φλεγμονὰς ἀκαρτερήτους ἐνειλούμενα τοῖς μυώδεσι παρεῖχεν: καὶ τοῦτο τὸ πάθος οὔτε πρότερον οἶδεν οὐδείς: οὔτε ὕστερον ἄλλοις, ἀλλὰ ἐκείνοις μόνον γενόμενον, ὡς ἕτερα πολλά. Maris rubri incolæ, vt Agatharchides retulit, adfectibus nouis & nunquam auditis tentati ſunt: Dracunculi enim parui crura edentes & brachia, eruperunt: qui, ſi tangebantur, ſtatim emergebant, & inflammationes intolerabiles, infixi muſculis pariebāt: & hoc morbi genus prius nemo vidit vnquam: neq; poſterius aliis, niſi his ſolis contigiſſe, vt alia multa. Agatarchides in 5. περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ſcribit: populos quoſdam nigros & locuſtarum eſores, non admodum diſſimili Dracunculis morbo cōſumtos interire: in quorum corporibus, ob valde ſiccum nutrimentum, adpropinquante ſenectute, alata quædam pediculorum genera innaſcuntur, figura quidem caninis

minis muſcis ſimiliũ,ſed alioquin minorum: incipiũt a pectore ac ventre, breuiq; vniuerſam faciei cutem depaſcuntur:atq; horum alii primum ſcabioſorũ inſtar adficiũtur: deinde ſeipſos grauiter dilacerãt: tandemq; morbo conſiſtente, necnon cũ beſtiolarum exortu tenuib. effuſis humoribus, intolerabiles cruciatus ſubire miſeri coguntur. Ita quoq; Diod. lib. 4. & Strabo lib. 16. ſcribũt de Acridophagis Aethiopiæ populis: ad quos veris tempore Zephyrus & Libycus vẽti infinitum pene locuſtarum ex deſerto, cui conterm ini ſunt, deferunt numerum: quas ſale ſuperinfuſo diutius ſeruant, cibum guſtu eis ſuauem: quique ſolus eorum per omne tempus locuſtarum eſt victus. Vitæ breuis ſunt, vt qui longiſſime viuunt, quadrageſimum non excedant annum. Finis eorum admirabilis eſt. Nam propinquante ſenecta, pediculi alati, non ſolum viſu varii, ſed ſpecie horrida ac turpes, in corporibus nati, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primũ veluti ſcabiei cuiuſdam pruritu adlectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate & dolore percitus, vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta vero vermiũ copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, vt deleri nequeãt. Hoc pacto ſiue cibi ſiue aeris cauſſa miſerum ſortiuntur vitæ finem. Vnde aliquis non abs re dicere poſſet, ex vermibus illos ali, & ab iiſdem rurſum eos necari. Aetius ſimiliter tetrab. 4. ſermon. ſecundo, capit. 85. ex Leonidæ tamen potius, quam ſua met obſeruatione, *δρακόντιον* lumbrico ſimilem eſſe dicit: interdum magnum, alias paruum reperiri, & frequentius quidem in cruribus, aliquando vero

&in brachiorum musculis oriri & consistere: nasci autem in Æthiopia atque India maxime pueris, lumbricis latis non absimilem, mouerique sub cute sine molestia: verum temporis progressu circa Dracunculi extremitatem suppurationem fieri, cuteq; aperta Dracunculum caput exserere: quem si qui tentet attrahere, dolorem ingentem moueri, si præsertim eum abrumpi contigerit: quod enim intus relinquitur, acerbissimos dolores excitare: proinde, ne intro animal recurrat, valido filo brachium constringi oportere, idque quotidie agendum esse, vt Dracunculus paulatim progrediēs integer excludatur. Auic. lib.4. Canon. fen.3. tract.2. cap.12. licet animalia esse non palam adseueret, morbum hunc tamen a se visum innuit, & venam Medeni nominat: Haliabbas lib.9. Practicæ cap.67. venam saniosam: Rhasis interpres lib.12. cap.2. Continent. venam ciuilem: Abynzoar lib.2. tract.7. cap.20. venam medianam & Halalnachalaidini: Aisaharauius pract.12. tract.18. venam exientem: Albucas li.2. c.91. venam cruris. Ægin. lib. 4. cap. vlt. ex Sorani mente, esse animal inficiatur: sed neruosam substantiam, quæ opinionem motus solum præbeat. Mentionem etiam huius adfectus faciunt Rhasis in Almansor. cap.14. tract.7. Iul. Pollux lib.4. Tagaul. lib.1. Instit. Chirurg. cap.2. Guiliel. Placentin. in calce Chirurgiæ: Leonard. Bertapalia cap. de ventositate perambulante: Sauanorol. cap. de vermib. Cardan. lib. method. medend. sectio 4. cap.5. de vago & discurrente dolore: Henric. a Bra Medicus Campensis lib.20. obseruat. Petri Foresti: Thomas a Veiga commen. ad lib.6. Galeni de loc. affect. Georg. Kuffnerus lib. de morb. pueror. cap.12. Schenckius lib.5. obseruat.186. & 188. Palmam omnibus præripiunt

plunt, Wierus peculiari hac de re tractatu, & Pareus lib.7. Chirurg. cap.21. qui tamen aduerso campo castra metantur. Hieron. Montuus de infant. malis, vocat pilarem adfectionem, & Pareus, Gallorum dialecto, cridones a crinibus: quod ab exiguis quidem, qui vix aciculæ longitudinem æquent, sed crassis & spissis pilis oriatur id malum: qui subcutanei eliciuntur foras, & tenuibus volsellis auelluntur. Nec multum dissimilis est adfectus, quem Pedicellum Piceni, Scirum Taurini, Brigantem Vascones, (vt Scaliger Exerc.194. sect.7. scribit) Syrones & Cyrones Abinzoar, Arabes assoab & assaolat, Germani Seuern vnd Seuerlin vocant. Animalculum est tam pusillum, vt vix oculis capiatur eius magnitudo, & ipsum esse vna ex Epicuri atomis videatur. Ita sub epidermide habitat, vt actis cuniculis vrat, cutimque excoriando molestissimum pruritum cieat. Solis calore se mouet, si extrahatur acu: & nec sine sono crepat, si vngue prematur, vel manus supra carbones ignitos aliquandiu fricentur. Adserimus itaque, neque hunc morbum esse nouum: licet norma curandi pauxillum variet: & symptomata nunc grauiora, nunc mitiora iam appapareant. Constanter quoque credimus, αὐτοψίᾳ indubitata, & ratione firma edocti, δρακόντιον esse animalcum non duntaxat in intestinis, (Beniuen. de abdit. cap.85. Amat. Lusit. Centur.5. curat.46. Gabucin. comm. de lumbr. cap.13. Brassauol. comm. aphor.26. lib.3. Hipp.) Ventriculo, (Petrus Aponens. Differen. 101. Conciliat. Gabucin. loco citato: Beniuen. cap. 88. de abdit. Forest. lib.18. obseru.19.) pulmonibus, (Auenzoar lib.1. tract.11. cap.3. Alsaharauius Pract. cap.1. tract.13. Fernel. Patholog. lib.6. cap.10. Tho. a Veiga comm. ad cap.5. lib.1. Gal. de loc. affect. Beni-

uen.cap.77.de abdit.) cerebro, (Rhasis cap. 10. lib. 1. Continent. Auicen. tract. 2. cap. 3. lib. 3. Canon. Holler. lib. 1. de morb. intern. cap. 1. Forest. libr. 9. Schol. obseruat. 2. Ioubert. cap. 9. de capitis affect.) hepate, (Hieronymus Montuus capit. 19. Tom. 4. Anasceu. morb. Wierus de præstigiis dæmonum, lib. 4. cap. 16. Schenckius ex Ænylio Campolongo Patauino libr. 3. obseruat. 33.) renibus, (Gentil. commen. ad lib. 3. Auicen. fen. 1. tract. 2. cap. 3. Canon. Vidus Vidius libro 10. cap. 14. de curat. membr. Fernel. lib. 6. Pathol. cap. 10. Scholiogr. ad cap. 50. & 54. libr. 1. Holler. de morb. intern.) vesica, (Cardan. comment. ad aphor. 76. libr. 4. Hippocr. Montuus lib. 4. cap. 19. Anasceu. morbor. Rondelet. Histor. Aquatil. de cancro fluuiatili: Pareus lib. 19. cap. 3.) venis ac sanguine, (Plinius lib. 26. cap. 13. Montuus Anasceu. tomo 4. cap. 1.) vasis spermaticis & vtero, (Mercurial. de morb. mulieb. libr. 4. cap. 1.) mammis, (Balduin. Ronsseius Miscellan. Epistol. 10. Rondelet. Histor. aquatil. cap. de cancro) immo & ipso corde, (Alexand. Pedemont. libr. 1. Secret. Cornax libro secundo de consult. Medic. cap. 28. Iohan. Hebenstreit lib. de peste: Schenckius libro 2. obseruat. 194. ex Sphererio:) vermes creari, sed etiam in phthiriasi ex cute erumpere tum pediculos, tum grandiora quandoque animalia, compertissimum nobis sit.

In Britannia insula siue Anglia, anno 1486. populariter grassari cœperunt febres sudorificæ: quas ἱδρωπυρέτους nonnulli dixere: quæ postea inferiorem Germaniam, Galliam, Belgicam, Hollãdiam, Zelandiam, Flandriam & Brabãtiam, ab anno Christi 1525. vel, (vt Gemma libr. 1. Cosmocrit. cap. 8. numerat) 1529. vsque in annum 1530. autumno potissimum

perua-

peruagatæ ſunt. Harum tanta fuit truculentia: vt vix centeſimus quiſque valetudinem recuperaret: aut, ſi qui euaderent, in morbum bis terq; relapſi, tandem conciderent: referente Polyd. Virgilio in Chronicis Angliæ. Correpti languore confeſtim diſſoluebantur: animi deliquio, cum enormi virium iactura & continuo cardiaco, corruebant: effrenis accedebat inquietudo, καρδιωγμὸς & æſtuans capitis dolor, cum ſiti, pulſu crebro, citato & inæquali, ſine bubone, ſine carbunculo, ſine exanthemate, ſine ecthymate: decumbentes confertim ſudore diffluebant putido: vt intra viginti quatuor horas vita cederent, qui præſertim neque ſudores prolicerent. (vt I. Caius de Ephem. Britann. diſſerit:) neq; καρδιακοῖς ſe munirent: vnde & in febrium ephemerarum tribu collocabantur. Pleriq; hunc morbum priſcos fugiſſe, mordicus certant. Alii iſtius febris κακοήθειαν ad σύντηξιν vel συμφύτου τῆς ὑγρότητος, vel ſolidæ partium ſubſtantiæ referunt: qualem in διαφορητικοῖς ſudoribus accidere ſcribunt Galen. libr. 3. de ſymptomat. cauſſ. circa finem, cap. 2. & Auicenn. lib. 1. fen. 1. doctr. 5. cap. 1. quamque peſtilentis priuatim vocatæ febris ſymptoma perpetuum eſſe vult idem Galen. 3. Epidem. ſectione tertia, ſentent. 57. Verba Galeni 3. de ſymptomat. cauſſis, capitulo citato, ex quibus opinionis ſuæ fundamentum exſtruere conantur, hæc ſunt. Fit quædam veluti σύντηξις ſiue ἀναστοιχείωσις, colliquatio ſiue redementatio, ἢ ἀνάλυσις, ſiue, quomodocunque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando ſuccorum, qui in venis ſunt, duntaxat: quod autem ex ea colliquatione prouenit, alias ad ventrem confluit, alias ad vrinas, alias ad ſudores pellitur: ſuperueniunt autem multi ſudores; vbi

fluxio carnoſi generis minus craſſa in halitus eſt reſoluta. Non proſpere hi philoſophantur, etiam contra mentem Galeni: qui adiuncta limitatione, verba ſua his cancellis cogit: quædam: veluti: quomodocunq; aliter nominare libet. Σύντηξις a calore induci nequit: hic enim, vt patet ex 4. Meteor. ca. 6. ſola pinguia & frigore concreta eliquat: reliqua incraſſat & indurat magis, dum humorē euocat: vnde iuxta Philoſophum: ἐξατμιζομένου τοῦ ὑγροῦ, παχύνεται τὸ ξηρὸν, καὶ συνίσταται. Humorem autem ἔμφυτον & partium carnoſarum ſubſtantiam, a calore natiuo temperato, non autē a frigore concreta eſſe, nemo, niſi repueraſcens aliquod ſilicernium, negabit. οὐκ ἄλλό τι τὸ διαπλάσσον ἐξ ἀρχῆς τὸ ζῶον, ὥσπερ οὐδ᾽ αὖθις αὐξάνον, ἢ μέχρι τελευτῆς τρέφον, ὅτι μὴ τὸ θερμὸν τὸ ἔμφυτον: τοιγὰρ οὖν τοῦτο πάντων τῶν φυσικῶν ἔργων αἴτιον ὑπάρχον: inquit Galen. 1. aphor. com. 15. Sicut ergo nulla alia caro externo calori, ne ſub Sirio quidem, qui exuſtione infamis eſt, admota, liquabitur: ita neque humana. Imo a calore æſtuoſo exſiccabitur potius ſubſtantia partium, pertinacioremq; nanciſcetur duritiem. Ariſtot. ſect. 2. proble. 32. Gal. lib. 1. de temperam. cap. 2. Licet autem emacrentur inde ægri: fit hoc ideo, quod rorem & cambium, quę debebant partibus & mathematice & phyſice vniri, caloris δυσκρασία deprædatur: vnde μάρανσις, & extrema particularum eneruatio: quæ alimonia de pauperatæ incipiunt fatiſcere, nec retinendo amplius ſunt vlli, ne exiguo quidem, familiari ſucco. Et hinc Galen. 3. de ſympt. cau. cap. 2. quaſi ſeipſum enodans, cum prius dixiſſet, eſſe quandam veluti colliquationem, poſtea dilucidius loquitur, ſudores, qui reſoluto corporis habitu proueniunt, ſyncopen producere, illoſque a reſoluta natura oriri, philoſophice profitetur.

fitetur. Eodem sensu Hipp. 1. Prognost. tex. 26. sudores hos ob corporum exsolutionem fieri scribit. Sic Aristot. 1. de gener. animal. c. 18. colliquamenti caussam ponit resolutionem præter naturam. Et Hippoc. lib. 2. prognost. tex. 35. consumtionem maluit dicere. Nisi forte vocabulum, liquare, accipiant cum Galen. lib. 1. de facul. natur. cap. 13. cum loquitur de medicamentis euacuantibus, pro eo, quod est in humores soluere: & sicut 11. method. medend. cap. 20 nominat humores & succos per balnea liquatos: item lib. 2. aphoris. 37. vbi dicit, medicamentum purgatorium destitutum proprio & familiari humore, sanguinē colliquare & carnes, vt ex ipsis, quod sibi proprium est, attrahat: &, quemadmodum Hippocr. lib. de vlcerib. scribit, carnes contusas ac dissectas putrescere, pus fieri, eliquari & consumi: vt denique etiam intelligit Empedocles apud Galen. lib. de histor. Philosoph. in fine: cum sudores & lacrymas attenuato & eliquato sanguine manare censet.

Alii ἱδρωπυρετὸν ad febris Cardiacæ familiam ablegant: quam ex Hippocrat. lib. 4. aphoris. 65. describit Holler. libr. 2. de morb. intern. quod in ea vehemens æstus est: facies rubra: magnus cordis saltus: exigua, frequensquè spiratio, qualis eorum, qui orthopnœa laborant: dolor in regione cordis: sudor tenuis, inclinante morbo, frigidus aliquando, instantis mortis nuntius, ab exstincta facultate vitali: aliquando tantum ὕγρανσις siue ὑγρασία erumpit: aliquando solus vapor calidus per cutim exit: ex quibus omnibus syncope & mors.

Nos sudorem Britannicum dicimus eiusdem esse prosapiæ cum febre: quæ a Galen. lib. aduersus Lycum cap. 2. appellata ἐλώδης concinnius, quam τυφώ-

δης,(cum in hac ob craſſiorem humorem plus fumi, quam humidi effluuii gignatur: in illa plus tenuioris ichoris prorumpat:) in ſumme humidarum febrium corona collocatur: Hippocrati lib. 6. Epidem. comment. 1. ſentent. 29 νοτιώδης & ἱδρώδης nuncupata. In hac ægrotantes a prima ſtatim die ſudant, ſudoreque ipſo aut parum, aut nihil leuantur: teſte Galen. lib. aduerſ. Lyc. cap. 2. Quod vero in Anglia adeo ferociuit: fecit id, non operoſarum, lautarumque menſarum, ac ciborum affluentia, aut quotidianus vini Cretici aut muſcati vſus: vt Lemnius libro ſecundo, de complexion. cap. 2. opinatur: neque, quod Fracaſtor. lib. 2. cap. 5. de morb. contag. vult, ſoli ratio, quod maxime gypſeum eſt, vnde & Albion olim appellatum fuit, ex quo corrupti vapores eleuantur: ſed vber regionis & cœli mador, propter quem inſolenti contagio aer deturpatus in poros cutis humectatos, ideoque hiantes ſeſe abſque peſſulo inſinuauit: & ſic peſtilitate vicinas terras ditauit: quod Gemma libro primo, Coſmocrit. cap. 8. adnotat. Simili ratione alios morbos, qui non, vt ſuapte natura peſtilentes, mutua ſocietate homines contaminant, ſed qua epidemii ſunt, nonnihil reſipiunt malignitatis vulgaris, aſperius ſæuire quotidie obſeruamus. Sic ex Wieri libr. obſeruation. Medicin. rarar. ſcimus, annis 1564. & 1565. anginas, pleuritides & peripneumonias peſtilentes, plurimas inferioris Germaniæ ditiones peruagatas eſſe: quod etiam Iacob. Oethæus lib. obſeruat. teſtatur. Sic Hieronymus Fracaſtor. in Syphilide, & Andreas Gallus libr. 4. Faſciculi de peſte, anno Chriſti 1548. tempore Martiniani Imperatoris, Orientales, Occidentales, totamque Europam, peſtiferam peripneumoniam, cum reiectione

ſanguinis, & ſpiritus difficultate, tam truculenter aggreſſam ſcribunt, vt quoſque obuios non duntaxat ex mutua conſuetudine, aut ex propinquitate, aut ex contactu, verum etiam affectorum oculis ſanos aſpicientibus intra quatuor vel quinque dies necaret: & ab oriente vſque ad occaſum mortalium decimam partem vix ſuperſtitem relinqueret. Sic Dodon. obſeru. Medic. cap. 21. annorum 1557. Octobri, & 1565. Ianuario menſibus, adfini peripneumonia infinitam hominum multitudinem correptam, refert. Sic pluribus annis variolas, minorennes & grandæuos paſſim vexare conſpicimus, cum tanta contagii malignitate: vt & iecur, lien, pulmones, omniaque interiora, haud ſecus atque cutis, ſordidiſſimis papulis manantibus & cruſtoſis ſcateant: vlcuſcula circa palatum, vuam fauceſque in cancrum degenerent: quin etiam, morbi Gallici inſtar, carnoſas partes lanient, oſſa arrodant, apoſtemata circa iuncturas generent, & ſanguinis mictu, aqua intercute, tabe & pectoris anguſtia e medio tollant. Rhaſis libro decimooctauo Continent. cap. 4. Fernel. libr. 2. de abdit. cap. 12, Pareus libro decimonono, cap. 1. Gartias Lopius comment. de varia. rei Medic. lect. 5. Marcell. Donat. tract. de variol. cap. 29. Idem in dyſenteria epidemica maligna accidere, experientia teſtatur: quę non ſolum pueris maxime infeſta eſt, ſed multos quoque maiorennes lethaliter adoritur: ſicut Georgius Turonenſ. libro quinto hiſtor. ſcribit, ſub Childeberto Rege dyſenteriam morbum vniuerſam ferme Galliam occupaſſe. Nec alius proſapiæ eſt ſpaſmus ille, qui annis 1596. & 1597. Weſtphaliam, Coloniam Agrippinenſem, Witgenſteinēſem & Waldeckenſem Comitatus, atque Heſſiam populariter

& gladiatorie inuasit: quem morbum vulgus die Kribel kranckheit/ Krimpffsucht oder ziehende Seuche indigitauit: & ob symptomatum insolentiam nouum esse suspicatum fuit. Agitatio est conuellens, ex pestilentibus ichoribus & malignis vaporibus neruos vellicantibus scaturiens: quod etiam quasi intento digito monstrant adfectus, in quos malum desiit: vt morbus Herculeus, resolutio neruorum, veternus, mania, lumbago, paralysis, & conuulsoriæ artuum cōquassationes: quibus similia in peste correptis obseruarunt Card. lib. 2. de subtilit. Gemma, lib. 1. Cosmocrit. cap. 17. Valeriol. lib. 3. loc. commun. cap. 18. Salius lib. de peste cap. 5. Item remedia huic lui destinata euincunt: quæ ex alexiteriis & κεφαλικοῖς simul conflata sunt. Idem credunt Paracelsici: qui pleuresin pesti similem esse scribunt, quod ad caussam attinet: dum pleuresis ex sale auripigmenti, pestis ex sale arsenicali fortiori generatur: nec pleuresis prius esse pestilens potest, quam auripigmentum arsenici perniciem induat: cum spiritus Iliados spiritum arsenicalem, ceu bonum a malo, per digestionem naturæ separat: qui, si ad tartarum cedat, & ita coarctetur, ne libere membra per poros obstructos penetrare possit, oppilationes arsenicales & putredines pestiferas pro natura veneni concitat.

In idem tablinum irrepit Epidemicus catarrhus cum febre: qui anno Christi 1580. ἐπικοινῶς ab Austro principium sumens, sub Sirii ortum, tempestate Aquilonia, maxime autem circa interlunium æquinoctii autumnalis, municipatim peruagatus Europam: imo in omnes fere mundi regiones est debacchatus. In ἐπιδημίᾳ plerunque ἀκίνδυνος erat, vt etiam ὀρθοστάδην ægri munia obirent: lassitudo articulorum

διάλυ-

διάλυσιν, ponderis atque ὀϛοκόπου ſenſum dolorificum inuehebat: calor horrorque vniuerſum corpus, apprime vero thoracem atque caput infeſtabat, cum tuſſi arida, in qua nihil exſcreabant: vt Hippocr. lib. 1. epidem. com. 1. ſent. 12. & Galen. 4. aphor. 54. vocat: cum raucitate, faucium aſpredine, difficultate anhelitus, ventriculi languore, & vomitu bilis porraceæ: alii ἀγρυπνίᾳ vexabantur: alii veterno torpeſcebant. Mox cum ἀνάβασις ſeu ἐπίδοσις morbi ingrueret, omnia pedetentim ingraueſcebant, vt febris, tuſſis, σκορδινισμὸς, grauedo & capitis dolor, παραφροσύνη, cruciatus extremorum pungitiui, vigiliæ, δυσηκοΐα, facultatis vitalis exſolutio, linguæ ariditas & ſcabredo, grauis extraneuſque anhelitus: quo ſolo ſigno ſæpe periti contagium deprehendunt, teſte Fracaſtor. lib. 2. de morb. contag. cap. 4. Circa ſtatum cuncta exacerbeſcebant: inprimis autem catarrhus, ſcreatus & tuſſis: paucis quibuſdam tumores penes glandulas & fauces emergebant: pleriſque ſudor erumpebat: aliis examuſſim per aluum, aliis per vrinam, ſaburra veneni particeps exonerabatur: nonnullis hæmorrhagia narium bono erat: aliquot ἐξανθήματα & ἐκθύματα effloreſcebant, lenticulis ſimilia: quidam in phthiſin, peripneumoniam & febrem hecticā præcipitabantur. In morbi declinatione, quamuis ſymptomatum multorum συνδρομὴ obſoleſceret, remanebāt tamen in conualeſcentibus tuſſis & raucedo. Hæc eſt σύνοψις, vel σκιαγραφία potius iſtius adfectus: de quo Neotericorum tam variæ fuerunt cenſuræ: pro quarum varietate varia indidere nomina. Vocarunt enim catarrhum febrilem, febrem catarrhoſam, ardores ſuffocantes, febres ſuffocatiuas, catarrhos epidemicos, tuſſim popularem, cephalæam catarrhoſam, cepha-

lalgiam contagiosam, peripneumoniam epidemicam. Fernelio libr. 2. de abdit. causs. cap. 12. adposite est dicta grauedo anhelosa. Galli concinne la cocuIuche seu coqueluche nominant, & hos imitati quidam cocceluchám, vulgi more, quem linguæ magistrum dixit Plato: quod ægri cucullo caput velarent: nam arbitrabantur a cerebro in pulmones fluxionem deturbari, & caput cucullo tegentes, sperabant se sic melius habituros. Alemanni appellarunt Den Behemischen Ziep / den Schafhusten vnd Schafkranckheit / die Lungensucht / das Hünerwehe / quod laborantes instar gallinarum coryza vexabantur. Sed cum nomina spernenda sint, rationum vero soliditas inquirenda: vt Galenus ex Platone lib. de Empiricarum informat. cap. 6. hortatur: alio lembum dirigamus.

Morbus hic tam eos pancratice violauit, qui præsidiis panchrestis suffulcirentur: quam illos, qui medicinæ auxilio destituerentur. Quæ res fecit: vt non solum vulgus, (quod a Gal. libr. 1. de element. cap. 4. Hippocratis auctoritate, vocatur imperitorum hominum multitudo:) in admirationem traheret: sed etiam peritioribus medicis animum suspenderet. Cumque hi de natura adfectus ambigerent: de nouis etiam febribus, nouaque medicandi via solliciti esse cœperunt. Sed incassum hoc Sisyphi saxum voluerunt. Reuera enim cognita fuit Hippocrati huius morbi κατάστασις: quæ est, οἷον νοσημάτων ἰδέα, καθ' ἣν ἐκ τοιῶνδε καὶ τηλικῶνδε σύγκειται τῶν καθ' ὅλου καιρῶν: siue ἐκ τῶν ὅλων τοῦ νοσήματος καιρῶν ποιὰ σύνθεσις: vt Galenus lib. 1. de crisib. cap. 4. definit. Hippocrat. libro 3. epidem. sectione 3. sic scribit: Multi fauces doluerunt: voces vitiatæ, febres ardentes, alui turbatæ, ciborum

fastidia:

fastidia: aliqui siticulosi, aliqui non: diu soporosi, & rursus insomnes: multæ iudicationes penitus interceptæ, quædam ægre fientes, tabidi multi, &c. Ibidem quoque adeo luculenter, cum Austrinam, tum Aquilonarem aeris constitutionem depingit, qualem anno 80. habuimus: vt qui dubitet, in Sole lucem desiderare videatur. Idem morbus, quo ad omnia symptomata, annis 1510. 1551. 1557. 1564. nec non 1565. populariter viguit tanta immanitate, vt repente sanis alioqui degentibus obreperet: & quanquam multo plures adoriretur, quam iugularet: suo tamen impetu, proprioque veneni genere sese pestilentem prodidit: de quibus videantur Valeriol. in addendice loco. commun. cap. 2. Iul. Palm. lib. de febre pestil. c. 2. & Ioan. Coyttarus lib. de febre purpurata epidemiali c. 2. Huius sæuitia eo tempore quo Romę Germaniam inuasit, supra nouem millia hominum absumta sunt. Quidam hanc febrem ad eam, quæ a Gal. lib. 6. epid. sect. 1. comm. 19. ex Hippocrate πεμφιγώδης appellatur, referunt: siue iam dicatur, vt ait Galen. ἐν τῇ γλώσσαις, νοτίδος μεστὸς καὶ ὑγρότητος, ab effluuio aeroso & vaporoso per cutem sæpius erumpente: siue πνευματώδης, nata spiritibus incensis: (πέμφιξ enim, cuius varia est interpretatio, idē quod πνεῦμα significat: vt auctor est Thucy.) siue ἡ μετὰ πεμφίγων, quod cum pustulis efflorescat. Nam spiritus & ichores morborum contagiosorum, quorū μιάσματα attractu aeris hauriuntur, vehiculum esse dicūt: & in iis morbis maxime elaborādum, vt sudoriferis & hydroticis noxium pellatur foras, & principes corporis partes, inprimis cor, muniātur, vel triuiis notum est. Qui in putridarū febriū tribu hanc collocarunt, nec in μιάσματα disseminata oculos incertos habuerunt:

remedia cum multorum internecione propinarunt: quod etiam Pareus lib. 21. de peste cap. 24. adnotat. Sicut in Hispania supra bis mille hominũ intra paucos dies obierunt: quibus Mantuæ Carpentanæ, vbi regia est, sanguis fuit minutus. Rex, cum ad Lusitaniç fines eadem pedica irretiretur, in acie nouaculæ versatus fuit: cui medici viginti tres vncias sanguinis per cucurbitulas, & quatuordecim incisa vena detraxissent: vt scribit Crato lib. 2. Epistol. 5. Tantum ponderis apud Hispanos habet illud Galeni 2. aphor. 17. & lib. de constitut. artis medic. cap. 19. κένωσις ὁμοτίμως ἁπάντων τῶν χυμῶν, ἡ μὲν ἀκριβεστάτη, διὰ φλεβοτομίας ἐστί. Prçstitisset ex methodo, vasorum meatus blande adstringi, ne veneno in exta pateat irruptio: exacerbato vero sanguine, vasorumque tubis, eo euacuato, amplificatis, circumsistens extra labes promtius se in cor insinuat: vnde omnia atrociora: quæ vero sentina intus iam a corde & partibus principibus, ad extimam superficiem detrudi cœpta est, cum euidentissimo vitæ discrimine interna versus reuocatur. Idem de catharticis dicendum: cum neque per hçc educi possint contagii seminaria, cuius fomes non tangatur: cũ in corde & corporis penetralibus deliteat. Quod inprimis susque deque fecere illi: qui exsecrando antimonii vitro, turpethoque minerali, radicitus hoc malum exstirpare ausi sunt: quo vero successu, norũt id probe vespillones & præficæ. Galen. lib. 1. de hum. comm. 12. hanc cynosuram nobis suggerit: in purgatione studendum semper: vt inde maior vtilitas ex vacuatis humoribus prauis, quam noxa ex dissolutione virium exsistat. Friuole itaque tales medici per Europam, qui ob putridos vapores e cisternis putredinis exhalantes, de via curationis deflexerunt, de sua

eru-

ditione aliis ſecus exiſtimandi, ob ἐπικουκιάστρια ægrorum,nonnihil loci dederunt.

Eodem fato luem Pannonicam ſeu febrem Vngaricam theriodem non prius viſam adſerũt omnes: quam anno 1566. Maximilianus II. Imp. contra Solymannum Turcarum tyrannum ad Camoram ſuſcepit expeditionem: tunc enim per exauctoratum militem ab Vngaris, quibus vernaculus eſt morbus, ad Germanos, Belgas, Italos, Bohemos & totam Europam tranſiit: plurimoſque crudeliſſime morte mulctauit. Balthaſ. Conradin. cap. 10. de febre Vnga. ſcribit, in ſæuiſſimis capitis doloribus ex praua venenataq; eluuie, quæ in cerebri ventriculis aliquibus coaceruatur, naſci vermes: quos Anatomici inibi deprehenderunt: qui quandoque confertim prorepunt in febre Vngarica: nõnulli etiam craſſi quidem, ſed non ita longi per aures prodeunt: quæ cauſſa quoque eſt, cur vulgus circa initia hanc luem cerebri vermem multis locis nominauit. In eadem ſententia ſunt Beniuen. ca. 100. de abdit. & Volcher. Coiter. in appen. obſeru. anatom. & chirurg. Sic Corn. Gem. in appen. Coſm. ſcribit, in quadam matrona poſt capitis vehementiſſimos & diuturnos maxime cruciatus peſtilentis hæmitritæi, diſſecta caluaria magnam putredinis vim circa ſubſtãtiam cerebri & inter meninges, tum vermiculorum, tum cimicum copiam incredibilem animaduerſam. Nec multum ab his diſſentire videtur Fernel. lib. 5. Pathol. cap. 7. de vermibus duobus villoſis, inſtar digiti in naribus inuentis, qui militem in furorem adegerũt. Manant hæc ex Indorum Medicorum ſchola: qui ſodam a vermibus in anteriore parte capitis, & ſuper locum ſtricturæ narium, vbi oues & capræ dicuntur perpetuo vermes habe-

re, vt cerui in gutture, item apud velamina siue tunicas cerebri generatis, oriri censent: qui motu, tentione, corrosione & odore fœtido deprehenduntur: vt Rhasis cap. 10. lib. 1. Continent. & Auic. tract. 2. cap. 3. lib. 3. Canon. & cum his Ioubert. cap. 9. Isagog. Therapeut. methodi scribunt. In hoc volutabro hodie pleriq; medicorum hærent: qui luis Pannonicæ scatebras accuratius nõ ruminantur. Hos ad Coiterum amandamus: qui, licet prius priscorũ auctoritate ceu fascino occœcatus, idem adfirmarat, post tamen oculis lynceis credens, palinodiam canit pag. 110. obseru. Anat. & Chirurg. de nutrice quadam anno 1567. hoc morbi genere exstincta. Aperui, inquit, caput, dum serra cranium remouebam, effluxit aqua loturæ carnium similis: tenuis membrana & plexus choroidis vasa aquoso & pituitoso sanguine turgebant: vterque vẽtriculus tam dexter, quam sinister plenus aqua fuit inuentus: nullam nec in membranis, nec in cerebri substantia deprehendere quiui inflammationem: ex sinubus duræ membranæ cerebri, vt alias ex suspendio enecatorum cerebris, extraxi fibras siue filamenta crassa, lumbricis nõ dissimilia, ex alba pituita conflata: similes sumsi ex cordis ventriculis. Hinc accidisse opinor, quod multi medici & præcipue barbitonsores in Germania, anatomiæ prorsus ignari, qui febri maligna cum lenticulis, præterito anno satis vulgari, quam Vngaricum appellant morbum, exstinctos aperuerunt, tam principibus, quam stulto vulgo, in hoc morbo cerebrum putrefieri, atque ex ea putredine in cerebro vermes generari, persuaserint: dant itaque his ægris allium & olfaciendum & comedendum, tãquam vermibus lethale venenum. Quorum palato hæc promulsis Coiteriana minime

sapit:

ſapit: ii ſalubriora opſonia e ſuo penuario promant: malumus παλινδρομεῖν, ἢ κακῶς δρομεῖν, extra veritatis orbitam. Vngaricum morbum ad febris ardentis ſpeciem referimus: quæ καῦσος exquiſitus & legitimus dicitur. In hoc exacerbationes nullo cum manifeſto rigore fiunt, vacantque ἀπυρεξίᾳ, ſed modice tantum remittuntur, ſemperque noua prehendit, priuſquam prior reſederit. Eius cauſſa eſt, vt ſcribit Hippocrat. lib. περὶ διαίτης ὀξέων, ſanies tenuis, quam ἰχῶρα vocat, acris ac bilioſa, a venis per æſtatem ſiccatis attracta, & toto in corpore accenſa, vel a partibus robuſtioribus depulſa in imbecilliorem. Signa eius παθογνωμονικὰ ſunt calor deuians, & ſitis inexhauſta: alia vero συνεδρεύοντα, vt lingua ſicca, nigricans & ſcabra, (Galen. lib. 1. de loc. affect. cap. 5.) vigiliæ indefeſſæ, delirium, & ſimilia, quæ Hippocr. lib. 1. epid. com. 2. ſent. 75. his verbis proponit: cum febres ardentes inciperent, ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, a qua parum rigebant, inſomnes erant, grauiter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi, paululum in fronte & clauiculis ſudabant, ſed nemo per totum corpus, multum delirabāt, timores, mœſtitiæ, extremitates ſubfrigidæ, vt ſummi pedes, magiſq; manus: acceſſiones diebus paribus: plurimi quarto die maxime lab rabant: ſudores diutiſſime ſubfrigidi: extremitates non iam ad calorem redibant, ſed liuidæ erant ac ſubfrigidæ: nec ſitiebāt: adhæc erāt vrinæ his nigræ, tenues, paucæ: & alui ſiſtebantur: nec pr fluxit e naribus ſanguis, ne his quidē, quib. hæc acciderūt, ſed parum ſtillarunt: neq; recidiua vlli horum aduenit: ceterū ad 6. diem cum ſudore moriebantur. Modū inſuper generationis deſcribit exacte Gal. com. 2. in lib. 1. epid. Hipp. tex. 73. Ardentium febrium, ait, &

phrenitidis pro loci, quem tenẽt, diuersitate, auctor idem est humor. Nam cum in vasorum capedinibus vna cum sanguine continetur flaua bilis, vtcunq; accendatur, contingit febres ardentes prodire: præcipue vero, vbi in ventris, aut iecinoris, aut pulmonis venis bilis efferuescat. At quando ad solidas corporis partes perueniat, ac eas permeet, rigorem constituit. Sin autem in cerebrum, eiusque membranas sit impacta, phrenitides inducit. Verum prius quam inhærescat, perfluens venas in his sitas, non phrenitides, ceterum quæ in vigoribus sunt febrium, deliria efficit. Proinde bilis, quæ primo in venis imis ardentis febris caussa fuerat, in statu hæc Austrino ab Arcturo ad æquinoctium, ad caput sublata, & in cerebro defixa eiusque membranis, phrenitides generauit. Hoc sensu idem Gal. lib. de Comate cap. 2. phrenitides & febres ardentes iisdẽ constitutionibus & caussis excitari scribit. Et Hippoc. lib. de structur. homin. phrenesin ex perurentibus fieri febribus ait, vaporibus ex visceribus per dorsum ad cerebrum emissis, quibus humidum cerebri arescit. Quæ omnia si quis cum symptomatibus Vngarici morbi a Iordano ca. 19. tract. 1. de pestis phænom. & Balthas. Conradino descriptis, συνεχῶς conferet: lubens in nostram ibit sententiam. Morbus hic cum in acutorum corona collocetur a Galen. lib. 3. de difficult. respirat. cap. 9. & comm. aphor. 29. par. 3. accessione pestilitatis extremam induit perniciem: cuius vi innumeros iugulauit initio, eandemque indolem hodie mordicus fouet. Ob hanc itaq; caussam refrigerantibus & alexipharmacis simul malum hoc eradicatur: quod puluis rubeus Pannonicus, Pannonico morbo peculiariter destinatus, abunde testatur. Quia vero in omnibus

bus fere papulæ siue puncturæ, vniuersum corpus, maiore tamen ex parte thoracis regionem, tergum circa spinam dorsualem, interscapilia, giberum, lacertos & brachia obsident: vel hoc argumento cum Fracastor. lib. 2. de morb. contag. cap. 6. & 7. & libr. 3. cap. 6. euincere conantur, non solum luem Pannonicam nouam esse, sed etiã noua stipatam febri, quam stigmaticam, Itali le petechie, & vulgus lenticulas, puncticula & peticulas vocant. Eam annis 1505. & 1528. in Italiam ex Cypro vicinisque insulis commigrasse volunt. Ad ἐνθύματα & ἐξανθήματα hæc referenda censent eruditi: ἐνθύζειν enim est ἐξορμᾷν, impetu ferri & erumpere. Ortum habent ab humoribus superfluis tenuibus. Quæ papulæ in altum extuberant, a calidiore: quæ depressæ & latæ sunt, a contrario humore fiunt. Pro humoris autem conditione colorem mutant: pro eiusdem malitia grauius mitiusque sæuiunt: pro regionum & victus diuersitate varia ac dissimilia cient accidentia: quemadmodum fusius infra Exercitat. 5. de lituris Scorbuticis declarabimus. Maxima tamen ex parte constat sanguinis pituitosi subtiliorem portionem transsudare, & sub cute detentam colore sanguineo tingi. Est enim in venis pituita sanguini permixta: & pituitosus sanguis est aquosior ob frigiditatẽ, ideoq; dilutior: quocirca ratione seri liberius transsudabit. Gal. lib. 3. de sym. caus. cap. 2. Nec nouum est hoc accidens: cum idem agnouerit Gal. 5. Method. medend. cap. 12. qui in vlceribus ex pesti. ẽtia, ait, euasuri sunt, iis vacuatis pustulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparent, vlcerosæ quidem pluribus, omnibus certe siccæ. Et reliquiæ sunt sanguinis, quas veluti cinerem natura ad cutim trudit. Et lib. de

atra bile cap. 4. meminit exanthematum pestiferorum ex sanguine atro, quibus deinde exsiccatis discussisq; quasi squamę decidebant ex affecta parte: eaque distinguit ab exanthematis sine febre & sine peste, a melancholici humoris redundantia, ad extimas pulsa partes ortis. Nec alius farinę sunt τρηχώματα κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδείγμασιν: aspredines in cute miliaceæ, culicum morsib. maxime similes: vt Hippoc. lib. 2. Epid. sect. 3. scribit: quas idem alias lib. 7. Epid. in Pherecydæ historia ὑπὸ κωνώπων ἀναδείγματα: & in Coac. prænot. κωνώπων κεντήματα: & 2. prorrhet. aliquoties κνιδώσιας vocat: quæ sunt, (vt Gal. in ling. explan. interpretatur:) νύξεις τινὲς κνησμώδεις, οἷαι καὶ ἀπὸ κνίδης γίνονται: i. velut vrticæ vredines quædam: vt Plin. lib. 9. c. 45. loquitur. Minime iccirco morbus Vngaricus medicis peritis est νεοδαμώδης aut νεοπαγὴς, sed νεοειδής.

Mentagram etiam tanquam alienigenum & extorrem, plerique ciuitate donare abnutant. Antesignanum habent Plinium: qui ca. 1. lib. 26. refert: malum hoc Tiberii Claudii Cæsaris principatu, primũ in Italiam irrepsisse, omnique æuo priore non Italiæ modo, verum etiam vniuersæ Europæ incognitum, Perusino quodam equite Romano quęstorio scriba, ex Asia contagionem eius importãte: tanta quidem fœditate, vt quæcunq; mors præferenda esset: tanta etiam contagione, vt osculo solo veloci transitu inficeret, sed proceres maxime. At mentagra non est diuersa ab impetiginoso morbo, quem Græci λειχῆνος nomine designant: quo Plin. quoque non solum impetiginem proprie a Gal. in suis finitionibus sic dictam, quæ est summæ cutis asperitas cum multa prurigine, sed etiam mentagram appellat: quæ fœdior

tantum,

tantum, & agrestior est impetigine. Et impetigines a Græcis λειχῆνας dici, testantur inprimis Cass. Felix, & Cæl. Aurelian. lib. 1. Chron. c. 4. Nomen autem mentagræ lui iocutari lasciuia, (vt est procax natura multorum in alienis miseriis:) inditum est a mẽto, in quo fere oritur: & definitur, non quidem piscium squamulis, vt lepra, sed fœdis in cute furfuribus, vt ψώρα, totos primum vultus, deinde vero & collum, pectus manusque occupantibus, oculis duntaxat immunibus: & facile, discussis tenuibus aut vstione incrassatis succis, in deteriores morbos, vt ψώραν ἀγρίαν, quandoque & lepram desciscit: cum nimirum circulares squamarum erosiones profundiorem carnis σύντηξιν & exulcerationem inuehunt. Ex quibus patet, cespitasse Simphorianum Champerium libro 2. Practic. cap. 12. aliosque, quorum Paracelſ. libr. 1. de causs. & orig. luis Gallic. cap. 1. & Tagault. lib. 1. Instit. Chirurg. cap. 2. mentionem faciunt: qui mentagram esse luem veneream suspicabantur: quique, cum non possent adfectus subtiliter distinguere, morbos eorum adfectuum nominibus, quos referre videbantur, nuncuparunt: digni sane, qui Anticyras nauigent. Galenum non fugit hic morbus: nam lib. 5. de composit. medicamen. sec. loc. cap. 4. 5. 6. & 7. ex Archigene, Critone, Leucio, Artemidoro, Heraclida Tarentino, & aliis antiquioribus, ficosas papularum eruptiones, siue adfectiones vlcerosas & asperas, in mento sua sponte prouenientes, describit: quod sit iniucundissima adfectio, quæ pruriginem inducit & adfectarum partium circumtẽtionem, & periculum non modicum: proserpit enim aliquando per totam faciẽ, oculosq; cõtingit, & ferme extremę deformitatis caussa exsistit. In quib. locis Gal. explorata veterum

remedia ad eiusmodi menti lichenas tam perspicue recenset: vt hercle ii nodum in scirpo quæsierint: qui de mentagræ noua origine cogitarunt, nouisq; medicamentis. Quanquam non immerito. Siquidē certum est ex Plin. libr. 26. cap. 1. Manilium Cornutum ex Prætoriis legatum Aquitanicæ prouinciæ, HS CC. (ducenta sestertia, quæ summa est nostrorum aureorum 4000.) elocasse in eo morbo curandum sese.

Quidam & Ranunculum priscorum subterfugisse visum, effutiunt. Hic tumor interdum inflammationis, sæpius œdematis mollis, laxi, rari & indolentis, descripti a Gal. lib. 15. Method. med. cap. 4. specie colligitur, sub lingua in molli & laxa oris parte, cui lingua incubat & quasi vinculo adligatur, tanta quandoq; magnitudine, vt inferiores dentes superet, venasque adeo intendat, ac si noua lingua oriretur: rima autem media, dextram a sinistra dirimente, posticam procumbētis ranæ partem repræsentet: quam ob caussam, non autem, vt Pareus lib. 7. cap 5. existimat, quod hoc linguæ vitio correpti, coaxando magis, quam eloquendo, sensa mentis enūtiare videantur, βάτραχος Græcis, ranula & ranunculus Latinis Arabibusque, der Frosch/ Germanis, aliis minus proprie glandula dicitur. In hoc tumore exuberat mucus viscidus lentusque oui albumini, aut iuxta Gesn. lib. 2. histor. animal. pag. 51. lacti coagulato, qualis forte materia atheromatis est, persimilis: aut ex sententia Praxagoræ & Philotimi pituitæ vitreæ, quæ ὑαλῶδες φλέγμα dicitur, ὅτι τῷ ὑάλῳ κεχυμένῃ προσέοικε τὴν χροιὰν καὶ τὴν σύστασιν: vt videre est apud Gal. libr. 2. de loc. adfect. cap. 5. 1. de sympt. causs. cap. 7. 4. de sanit. tuend. cap. 4. libr. de inæq. intemp. cap. 8. & 2. de differ. febr. cap. 6. Hic mucus extemplo prosilit, si locus intra os ferro

ferro ignito aut ſcalpello aperiatur: ſi vero diutius in linguæ venis, quas Græci ὑπογλωττίδας, Latini Raninas appellant, moretur, in lapideam duritiem conuertitur: vt teſtantur Ioubert. ad Paradox. 3. Decad. 2. contra Seidelium: Cardan. commen. lib. de aliment. Hippoc. ſect. 4c. tex. 41. Auenzoar lib. 2. tract. 2. cap. 2. Cornel. Gemma lib. 1. Coſmocr. cap. 6. Kentman. lib. de Calcul. num. 3. Iacob. de Foroliuio comm. ad aph. 79. lib. 4. Hipp. Nicol. Florent. ſerm. 5. tract. 9. cap. 12. Minorennes confertim iſte morbus adoritur, propter humorum crudorum, inprimis pituitoſorum ex ingluuie copiam. Auicen. lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 3. Galen. partic. 3. aphor. 26. lib. 2. de natur. hum. comm. 13. & com. 23. ex Hippocr. lib. de vict. idiot. Et idem affectus eſt, quem, vt Pareus lib. 23. cap. 17. ſcribit, Gallorum vulgus cancrum album nominat: adhæreſcit recens editis puellis colore & conſiſtentia cretaceum aliquod excrementum, ad oris internas partes, linguamque totam, & lactandi libertatem intercipit, in vlcera mox in fauces vſque gulamq; ſerpentia, niſi detergeatur, degenerans, & mortis cauſſas pleriſque inferens. Et hæc deſcriptio Ranunculi eſt apud Auicen. lib. 3. fen. 6. cap. 17. Paulum lib. 5. cap. 16. Aetium lib. 8. cap. 37. Galenus eius naturam ſingillatim ideo non enodauit: quod videret ranunculi generationem curationemq; nihil diſcrepare a phlegmones vel œdematis conditionibus: ne tam multis iterationum cumulis, contra legem prudentiæ καθ' ὅλου πρῶτον, delinqueret: vti faciunt ἰατροὶ ἀδόλεσχοι, in Senario antiquo: quam maculam ipſe Galen. lib. 3. de difficult. reſpirat. cap. 4. interpretibus Hippocratis, & Galeno Gentilis in com. præfat. Auicen. lib. 1. fen. 1. doct. 1. eandem ob cauſſam inuritere conantur. De

Hippocrate multo minus mirari licet: qui, vt videre est in Gal.com.aph.16.part. 3. tantæ fuit breuitatis: vt aliquot exempla proponeret, & de similib. iudicium discentibus relinqueret: aut, quæ alibi dixerat, in aliis locis non repeteret, studiosorum prudentiæ & industriæ cognoscenda permittens: quod ex eiusdem Galeni part. 1. com.aph. *12*. patet.

Simili trutina singulares quosdam naturæ conatus libramus: quos minime ambigimus priscis cognitos, aut saltem ab ipsis non enodate extricatos fuisse: cum rariores fuerint, neq; sensibus actutum occurrentes habeant caussas. Vt propterea nõnulli, qui antiqua adserere malunt, quam mucronem iis admouere styli censorii, falso suspicentur, naturæ in eiusmodi effectib. id adscribi posse, quod iactatur in prouerbio: lapillum a stolido in puteum iaci, quem multi sapientes nequeant extrahere. Licet enim hoc abditum sit: non tamen est ab intellectu deuium, neq; in naturæ maiestate recõditum latet, quod ingeniorum solertia nondum satis videntur excussisse. Britonibus maxime, sed & aliis etiam in Franconia, Burgonia, Austria, Rhetia, familiare est, colicum dolorem in πάρεσιν seu παράλυσιν artuum transire: quibus propter influxum humorũ & flatuum sæpe malum recurrit.

Huius morbi mentionem faciunt, præter Ægin. lib. 3. cap. 18. & 43. Hippocr. & Gal. in calce libri de humorib. & lib. 6. Epid. com. 4. sent. 3. ᾧ τὸ ἔντερον ἐπὶ δεξιᾷ ἐπόνεε, ἀρθριτικὸς ἐγένετο, καὶ ἡσυχιώτερος: ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἰητρεύθη, ἐπιπονώτερος. Cui intestinum in dextra parte dolebat: (intelligit autem Gal. in com. dolorem colicum:) articulorum morbo laborauit, erat quietior: postquam autem hic curatus fuit, erat dolentior. Et simile

simile quid innuit Hippocr. in Coac. prænotion. circa intestinum tenue dolores diuturni, & circa lumbos, & ad præcordia, si ægri cibos auersantur, vna cum febre, his dolor intensus ad caput progressus occidit ipsos conuulsorio modo. Varii hic varios adornant canales: per quos ex osculis venarum, quæ inter tunicas intestinorum inseruntur, in neruos fiat materiæ morbidæ transpositio: quam controuersiam etiam in probation. vrinar. Philosoph. cap. 2. penicillo adumbrauimus. Quidam πάρεσιν, quæ colicæ passionis pedissequa est, a paralysi, quæ ἀποπληξίαν vel παραπληξίαν comitatur, ortu & caussis differre aiunt: cum in paralysi cerebrum ac principium neruorum laboret: itaque capiti & spinæ dorsuali remedia admouent: in paresi vero post colicam, malum ab intestinis, principio neruorum plerunque sarto tecto, ἀθρόως in musculos, ligamenta, tendones & membra exteriora irruat: itaque praua extorum intemperie profligata, materiam in partibus exterioribus discutiunt, easdemque roborant.

De modo vero aut silent: aut occultam animæ vim obtrudunt, quæ interuentu spirituum penitissimos corporis Labyrinthos trannat: aut, ne ἀσύμβολοι putentur sicut omnia alia sublunaria sunt porosa, ita & corpus humanum σύμπνουν καὶ σύῤῥουν ἑαυτῷ, adsentiente etiam Galeno libro septimo, aphorism. quinquagesimo quarto, vel σηραγγώδες aut σηραγγώδες esse, (quemadmodum Galen. in lexico Hippocratis loquitur:) adserunt: cum natura, passim in corporibus ope caloris & spiritus nouos insolentesque aditus sibi ipsa moliatur, ac velut cuniculos agat, ad inuia quæque & inaccessa: aut minus expedita itinera vsque eo amplificet, vt multa

eorum, quæ neque ex ſeſe, neq; ex ſolo corporis momento atque impulſu tranſire queunt, libere permeent. Alii humores attenuatos ex inteſtinis eodem modo ad manus & pedes protrudi aiunt, quo in acutis morbis peccans materia plerunque per ſudorem vacuari ſolet. Nonnulli humorem per inteſtinorum tunicas penetrare intra lumborum & ſpinæ vertebras, indeque ad nucham procedere, mox ſecundum neruos ad artuum extremitatem deſcẽdere opinantur. Verum enimuero tales ἐκ προαιρέσεως committunt elenchum petiti eius, quod erat in principio: quos etiam refutat Eraſtus part. 4. Diſput. Antiparacelſ. Non enim duntaxat ſilent, quomodo humor tam craſſus per denſas inteſtinorum tunicas permeare, & per ligamenta membranaſque, quibus veſtiuntur vertebræ, ad ſpinam & extremitates manuum prorepere poſſit: ſed etiam naturam omnibus ideo deridendam propinant, quod vſitatis & patentibus meatibus exploſis, ipſa impeditiſſimum iter & longinquos anfractus comminiſcatur, ad Augiæ ſtabulum eluendum. Nos cum Hippocrate & Galeno locis citatis πάρεσιν a colica ad arthritidis familiam ideo amandamus: quod videamus in illis maxime hanc μετάστασιν ſiue μετάβασιν morborum contingere, qui arthritide laborant, periodica præſertim: cum humores a natura ex exterum venis imi ventris in muſculos artuum detruduntur. Omnes autem muſculi conſtant neruorum fibris, quibus caro circumcreuit, tanquam fulciens earum robur: plurimas inſuper venas & arterias conſperſas habent: quæ omnia circumſcripte exilis pellicula, nempe tendo, ambit: cuius quoq; caput plane neruiceum eſt, venter medius venis arteriiſque amicitur, extremitas contextis confu-

confuſiſque neruorum fibris concreuit: iuxta Auic. lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 2. Galen. libr. 1. de ſemin. cap. 10. de plenitud. cap. 5. 2. de loc. adfect. cap. 6. & libr. 2. cap. 7. & 2. lib. 1. de Hippoc. & Platon. decretis cap. 9. 2. de tempera. cap. 3. & in præfat. lib. de oſſibus. Non itaque mirum, humores in membranis oſſa tendoneique velantibus, in tendonibus item, atque combennonibus fibris nerueis, viciniſque neruis, ac in nonnullis ligamentis a perioſtio ortis aut nerui participibus: vacua item articulationum partiumq; ambientium ſpatia occupantes, & in ligamentis, ac tandem per carnem, parteſque circumiacentes, ſparſos, mordentem, diſtendentem & lancinantem cruciatum parere: dum pro ligamentorum expãſione conſortes partes extenduntur, arctantur & premuntur. Si iidem humores ad enteranea remeauerint: imbecillitates quidem in iũcturis & oſſium compagibus, quæ per διάρθρωσιν atq; κατὰ συνάρθρωσιν compinguntur, aliquandiu ſuperſtites erunt: dolores vero iam non amplius nodos, ſed inteſtina vexabunt. Hinc audias ægros eiuſmodi, qui prius cum illo apud Philoſtratum lib. 1. Sophiſtar. in Polemone querebantur: δεῖ ἐσθίειν, χεῖρας οὐκ ἔχω: δεῖ βαδίζειν, πόδες οὐκ εἰσί μοι: δεῖ ἀλγεῖν, τότε καὶ πόδες εἰσί μοι καὶ χεῖρες: nunc eiulare, omnem arthritidem in ſumine ſtabulari. Ratio propatula eſt. In noſtris dolores colici plerunq; ab humore crudo, corruptove cum bile craſſa confuſo oriuntur, qui in meſenterio aut venis maioribus conſarcinatus eſt. Huic fere continuo iunguntur flatus craſſi, tunicas inteſtinorum diſtendentes ac diuellentes. Per tunicarum porro expanſionem, oſcula meſaraicarum coanguſtantur & obliterantur: fibræ quoque orbiculares ob tantam extenſionem ab influente ſa-

burra coire ac constringere se nequeunt: sæpe etiam vasa a commeatu humoris crudi obstruuntur, si præsertim pituita frigida & viscida cruditatis pedissequa sit, quæ non solum viam præcludit, sed flatibus etiam fomitem suggerit. Vnde cumulatos dolores enteranea delumbata refugiunt. Quæ omnia descensum excrementorum remorantur: si inprimis & bilis per duodenum secretio inhibeatur propter hepatis oppilationes, colicos assidue concitantes. Vt nihil de coli & crassiorum intestinorum anfractibus dicamus: qui densis membranis vestiti, multoq; intus adipe infarcti, excrementa & flatus mordicus retinent: qui contra in exilibus extis ob pellicularum tenuitatem adipisq; penuriam facilius subtus erumpunt. Si hic medici ἀσύφηλοι humorum fusionem & concitationem exagitationem non auertent, χαλαστικοῖς caussam tensionis tunicarum demolientes, flatibus hypothyrum reserantes, intestinorum intemperiem & eneruationem declinantes, simulque dolorem consopientes, ne ab hoc stimulata natura plus sentinæ exorbitantis intestinis communicet: sed potius violentia & scammoneata cathartica, omissis enematibus, (leuiora enim remedia sæpissime nauci facit malum:) enormiter calefacientia atque corpus exacerbantia exhibebunt: oleum tales igni subministrabunt: cuius rei exemplum Gal. lib. 12. Meth. med. c. 7. proponit. Magis enim fundent, magis concitabunt, magis irritabunt materiam, quæ exitum quæret. Cum autē hic ceu pessulo præclusus sit, humores ὀργῶντες & vsu calefacientium attenuati, in venæ cauæ propagines, & ab his in habitum corporis turmatim regerentur. Similes etiam fieri conspicimus intermittentium febriū conuersiones in colicos dolores:

es:qui eãdem ob caussam in πάρεσιν artuũ desinunt: um tubis ad extra obseratis humores a natura, qui antea ex mesenterio, aliisve locis in intestina detur- babãtur, per venas in musculos, & ab his ad ligamẽ- a, tendonesque eructantur. Et quoties obseruamus, diarrhœæ vel dysenteriæ intempestiue cohibitæ, suc- cedere πάρεσιν artuũ & epilepsiam: vt testatur Holl. com. 1. ad aph. 38. li. 6. sect. 2. Coac. Hip. Modus is est, quẽ proposuimus. Naturæ hoc familiarissimũ est: vt ἐν τοῖς κυρίοις μέρεσι μοχθηροὺς χυμοὺς ἐκκενοῦσα, nunc in in- testina, nunc in articulos exoneret, nũc ad cutim ex- trudat: quos cũ euacuare propter crassitiẽ nõ possit, ibi eos deponit: teste Gal. part. 2. aph. 15 3. aphor. 20. & aph. 21. lib. de atra bile, c. 4. & 2. de nat. hum. com. 5. Si iam hæ partes saburra humorũ scateãt, & sic fatiscũt: promtius & facilius in has excrementa corporis flu- ent, & in iis pro sua ipsorũ natura adfectus excitabũt: vt Gal. 1. de facul. alim. c. 5. scribit. Perpetuas itaq; eui- dentesq; profitemur ἀναστομώσιας, συστολὰς καὶ διαστολὰς venarum arteriarũq;, quarũ interuentu, instar caussæ sine qua non, materia ex intestinis in artus, & ex his in illa regurgitare potest. De paralysi, quã creberri- me colicos quatere animaduertimus, abstrusior qui- dem videtur quæstio: cuius tamen veritas & solutio aperta est illi: qui ex recensitis τῇ ἐκ λόγου κρίσει colliget: quemadmodũ fertilis in articulis est soboles venarũ, in quas ex venis intestinorũ materiæ morbificæ μετά- στασις fieri, & arthritis introduci põt: ita in iisdẽ artub. plurimi sunt musculi & tendones, sine quibus caro nusquã per se in corpore reperitur, teste Gal. lib. 2. de lo. adf. c. 2. in quos venæ terminantes, sarcinã ab inte- stinis transmissam exonerant: qui musculi & tẽdones ceu commanipulones, præsertim quo ad originem

ex innumeris neruis compacti sunt: si autem nerui humore infarciantur, qui vbertate sua spiritum expilat, aut madore exstinguit, aut neruos molliendo dissoluit, ne secundum indolem possint modice tendi, quo leui contractione facta partem, cui tendo inseritur, trahere queant: vnde propter nimiam mollitiem & laxitatem musculorum tendonumq;, membrum labascit, & sic immobile quodammodo permanet: (quod infra de scelotyrbe explanabimus:) facile paralysis, adfinesque morbi cientur: qualibus colicos sæpissime irretiri videmus. Idem euincit inuicta dogmatis Aristotelei veritas de ortu neruorum, lib. 3. histor. animal. cap. 3. & 5. quam Gentil. super Auicen. lib. 1. fen. 1. doct. 5. cap. 1. quæst. 6. maxime autem Gal. sparsim, præcipue vero lib. 7. & 1. de placit. Hippocr. & Platon. cap. 8. demoliri conatur: cui viro incomparabilis doctrinæ quantum gratiæ habēdum est ob sedulitatem & inuētionem multarum rerum: tantum retinebimus nos libertatis ad iudicandum ob veritatem. Cerebro id muneris concreditum est: vt sanguinem feruidum e cordis specu adscendētem sua frigiditate humiditateque, qua a vitæ primordio prægnans est, temperet: siue, vt sedem & calorē cordis ad mediocritatem quandam reducat, sicut Arist. 2. de par. ani. cap. 7. loquitur: ne tenuissima sanguinis pars sublimata, in auram euanescat: neve commeatus ad vberes continenterque scaturientes humores vnquam desit: neque sanguinis calidioris agitatio officium sentiendi intercipiat atque refringat. Sic tubi quidam ab oculis, siue nerui visorii appellati, ad venas circa cerebrum diuaricatas meant: sic organa auditus in occiput penetrant, vt inde temperatum ac sincerum sanguinem pro alimonia sorbeant. Hunc sangui-

ſanguinis florem, venulæ & arteriæ capillares circa cerebrum ex caua & aorta erepentes, quibus cerebrum tanquam ſiphonibus conſperſum eſt, ad hoc ſubinde exſpuunt: quarum, quæ caluam ingrediũtur, nonnullæ πλέγμα δικτυοειδὲς in ventriculis cerebri, inter os σφηνοειδὲς & craſſam menyngem conſtruunt: aliæ ſinus durioris pelliculæ fabricant, e quibus tubi ſanguinis in tenuem membranã ſparguntur. Ab hac membrana tenui extrinſecus, & plexu retiformi intrinſecus, cerebri ſubſtantiam tenuiſſimę venulæ capillamenti inſtar ſubeunt: e quibus, licet in cadauere obliteratis, in cerebro ſani animalis paulo ante iugulati compreſſo, minutiſſime ſanguis exſudare cateruatim cernitur. Hæ venulę fuiſſent nauci, ſi non a cerebro ad ſenſuum organa deferrentur, cum cerebro non ſit opus tanto ſanguinis commeatu, tenuioris præſertim: quem aliis particulis præparat, & cui vniuerſum vaſorum genus & popina totius corporis, vndique de ſuo aliquid atque adeo multum largiri ſolet. Deinde ſi nerui aut non ſunt venæ, aut cum venis nõ continui, neceſſario ſanguinem illum in ſubſtantiam cerebri venæ eliminabunt: & aut adſimilabitur parti: aut extra vaſa fluctuans, nec tamen obſoletus, in neruos readſumetur: quod ἀδύνατον: cum inprimis ſpirituoſus ſanguis in venis cerebri cõgeſtus, poſtquã ſemel ex tunicis ipſum hoſpitantibus egreſſum habuerit, aliis vaſis iterum claudi minime poſſit: quia indoles ſpiritus eſt tolutim & vndiquaq; diffundi, non autem anguſtis cancellis cogi. Continuæ igitur neceſſario, aut eædem ſunt venulæ ingredientes cerebrum, & ex eodem ad ſenſuum inſtrumenta egredientes. Nullum vero aliud corpus exire conſpicimus e cerebro, præter neruos. Nerui igitur ſunt

venulæ multę in vnum coagmentatæ corpus, ex pluribus & tenuissimis canalibus conflatum: quod anatomia quoque demonstrat: iccirco fissilis est neruus secūdum longitudinem: nam venulæ in fibras rectas constituentes desinūt. Prope cerebrum autem ideo albicantes visuntur, non quod substantiæ similitudine originem referant: (cerebri enim substantia non est dura & constans, vt neruorum: licet Hippocr. lib. de carnib. innuere videatur:) sed quod venularum illarum filamenta natura cerebro quasi tomento fulcire voluit: & mucor albus ac viscosus nerui fibras glutinans, prope cerebrū, molliorem reddit neruum humidioremque. Neruus itaq; est nihil aliud, quam extremitas aortæ: quæ, quatenus in caput adscendit, in cerebro naturam nerui induit, vnde nerui cerebri: quatenus vero ad crura & articulos corporis dispergitur, suis aliis propaginibus, pelliculas ossiū, tendones & ligamenta constituit: quæ omnia neruosæ substantiæ deprehenduntur. Sic Aristot. 3. de histor. anim. cap. 3. inquit: aorta arctior est, & vehementer neruosa, deductaque longius ad caput, aut imas partes, in angustum admodum coarctatur, ac nerui naturam ex toto accipit. Et ca. 5. vena aorta neruosa est, & quidem postrema eius neruo omnino constant: quippe quæ nullo intus cauo distinguantur, tendanturque modo neruorum, qua desinunt adplicata ad nodos ossium lubricos. Si quis obstipas ceruices exuens hæc ἐκ τῶν ποδῶν ἐς κεφαλὴν, (vt Aristophanes in Pluto loquitur:) æquilibrio veritatis ponderauerit: facile proram puppimq; rei adprehendet: quomodo in crisi & absq; hac quandoq; per innumeras inualetudines, materiæ exorbitantis ex venis in neruos μετάστασις contingere possit. Nec tamen semper in cerebrum

rebrum, qua ſolum in neruos iuxta illos via patet, ex inferioribus partibus raptum humorũ fieri neceſſe eſt: cum frequentius colica paſſio oriatur ab humoribus crudis ex toto corpore ad inteſtina eff[u]ſis. Licet Caſp. Hofmannus lib. 3. Conſil. Medico. Craton. Conſ. 14. probare conetur, in illa tantum colica artus reſolui, quæ magna ex parte pendet ex delapſu pituitoſi humoris ex capite per venas in inteſtina: quibus nimirum ab excrementis infarctis, humores reliqui, relicta priori conſueta via, ad propiorem viam declinant, & ita ſecundum neruos ad muſculos, & ſic ad manus & pedes contendunt. Eraſtus contra part. 4. Diſp. Antiparacel. ex infinitis prope nullum ſe vidiſſe hoc malo affectum ſcribit, qui non eſſet natura calidiore & ſicciore: & in quo non multa bilis generaretur. Qua in ſententia eſt etiã Coiter. lib. obſer. Anat. & Chir. quibus & infallibilis ſuffragatur experientia. Et mirum, hic illos vel talpa cęciores eſſe. Adfirmant cum Gal. par. 2. aph. 3. 1. de ſympt. cau. c. 8. lib. 1. de ſem. cap. 16. τὸ ἐγκέφαλον εἶναι τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν, a quo vis mouendi & ſentiendi omnibus animalis particulis trãſmittitur: amplius cum eodem auctore libro de tot. morb. tempor. cap. 7. adſerunt, cerebrum eſſe vnum ex principiis facultatũ corpus totum gubernantium: imo animæ opera in cerebro, & in eius quiete ſapiẽtiam collocant, cum Hipp. lib. de inſania & Gal. lib. 1. de humor. com. 9. Experientia præterea teſtatur, cerebrum nequidem exæſtuãtium exſpirationũ turbinẽ pati poſſe: quod in ardentiſſimarũ febrium vigore illis accidit: qui Hippoc. lib. 2. epid. in fine ſect. 2. ſunt οἱ διαλεγομένοις ἀλλοχόοι, & 3. progn. ſent. 8. ἀλλοφάσσοντες, ἐκ τοῦ ἄλλοτε φάσκειν ἄλλα, quos idẽ Hipp. paſſim ληρῆσαι, παραληρῆσαι, παρενεχθῆναι, παραφρονῆσαι, παραλέγειν:

Galenus vero παραπαίοντα καὶ παρακρούοντα dicit, libro 1. Prorrhet.com.1.7.aphoriſ.9.3.epidem.com.1.ſent. 2.lib.3.de difficult. reſpirat. cap.11. Quid iam dicendum de humoribus trucibus, qui dolores cient implacabiles, perinde ac ſi partes terebro perforentur, & per quos palus videtur infixus: vt Gal.lib.2.de loc. adfect.cap.5.ſcribit: quibus inteſtina, vt Camerinæ cloaca, non ſunt ferendo: ſi iidem in caput ferrẽtur, quibus non ſymptomatis cerebri ſonticis tales expoſiti eſſent? Videmus tamen illos ab omni dolore & morbo capitis tunc immunes eſſe: cum iſtiuſmodi adfectuum tranſmutationes fiunt. Alii, vt ſalebroſas Labyrinthi, vbi Proteus degit, ambages ſuperare poſſent, filum Ariadnes ab Hippocrate & Galeno extorſerunt: qui lib.4.de ration.vict.in acut.comm.27. ſcribunt: cum vitioſis ſuccis corpus refertum fuerit, bilis atræ, ceterorumq; acrium humorum, influxiones exoriuntur: ob quas dolet æger magis, mordenturque interna, grauanturque morſæ a prædictis humoribus, quæ in adfecto loco ſunt, venæ: idq; ipſum rei alterius cauſſa redditur contraria. Nempe repleta a fluxibus huiuſmodi particula, corrũpitur quidem inprimis ſanguis ipſe, vaſa vero opplentur, quod in eo cũctas ſpirituum vias arcet cohibetque: qui, cum naturales pertranſire meatus nequeũt, intercipiuntur, ſanguiſque ſtat, atque cum eo ſpiritus: vnde infrigidationes fiunt, vertigines, aphoniæ, capitis grauitates, & conuulſiones: quibus ſuccedunt paraplexiæ & epilepſiæ, cum in locos, oppletas venas continentes, deſederint ipſi fluxus. Eodem ſenſu & Fern. lib.5.Patholog.cap.3.ſepe flauam bilem paralyſin infligere ſcribit, cum ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi ac in neruorum origines ef-
funditur:

funditur: quem tamen refutat Rondelet. cap. 23. de curand. morb. Vnde colligunt, paralysin a colica non in neruis, sed vasis caussam habere: quorum repletione & consensu nerui partium refrigerantur, dum spiritu influente ac facultatis commeatu destituuntur: non secus, ac alia neruum aut medullam cõstringentia, &, quo minus spiritus animalis in eam distribuatur partem, in quam neruus propagatur, impedientia, resolutionem inuehunt. Verum, cum πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ᾽, siue πρᾶγμ᾽, (vt Aristot. 1. Rhetoric. versum Theognideum mutat:) ἀνιαρὸν ἔφυ: & iuxta Gal. lib. 1. de differ. febr. cap. 1. maxime propriæ & principalissimæ differentiæ rerum ab earum substantia sumantur: in priori sententia, quæ naturam rei iuxta ἕξιν ὁδοποιητικὴν μετὰ λόγου, solerter καὶ εὐστόχως scrutatur, potius acquiescet candidus lector: quam in posteriori, quæ legi κατὰ παντὸς grandem impingere dicam videtur.

Amplius Gal. lib. 6. de loc. adfect. in fine cap. 4. scribit: aliæ quædam fiunt purgationes, sed raro, vt cum thorax & pulmo per aluum purgatur: quæ infra septum trãsuersum positæ sunt partes, per vrinas: quorum caussam cum nonnulli ignorent, neque id vnquam accidisse viderint, quod a multis visum est, negant fieri posse, vt abscessu interim in pulmone orto, pus expurgari per renes possit: nos vero pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per intestina & aluum expurgari vidimus. Idem de quibusdã neotericis, vt Iacob. Dominyneto lib. 3. ca. vlt. possumus dicere: quos dum Hippocratis aphorismus 16. libr. 6. terret, ὑπὸ πλευρίτιδος, ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγινομένη, κακόν: nouum hunc naturæ effectum dictitant. Et mirari ædepol licet, hic Valerio-

lam, hominem alias in abstrusis casibus & lynceis oculis, & limato iudicio pollentem, lib.1.obser. 4. & 5. ad naturæ arcano quodam modo operantis, salutéq; ægro molientis munia confugere, quę cognitionem nostram multo maxime superent: cum cõfluxibile & conspirabile sit vniuersum corpus: siquidẽ confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia: vt Hip. li. de alim. & 6. epid. sect. 5. dixit. Eadem dubitatio oritur de iisdem morbis, maxime pleuritide, cũ per semitas vrinarias repurgantur. Hos naturæ conatus obseruarunt Gal. 1. de loc. adfect. c. 1. & li. 6. c. 4. Aret. 1. de cau. & sign. Chronic. c. 13. & 9. & lib. 2. de cau. & sign. acut. c. 1. & lib. 1. c. 10. Gemma lib. 1. Cosmocrit. c. 7. Beniu. medic. obser. c. 43. & Dodon. in com. Alexan. Bened. lib. 3. Anat. c. 9. Amat. Lusit. curat. 42. cent. 7. Langius lib. 2. Epist. 40. Holler. com. ad Hip. aph. 66. sect. 3. lib. 3. Coac. Iul. Alexand. com. ad cap. 4. lib. 5. Gal. de loc. affect. Marcell. Donat. libr. 3. cap. 9. de histor. mirab. Med. Barthol. Eustach. de rerum structura, c. 16. 39. & 41. Fallop. lib. obseruat. de vena azygos: & com. Francisci Michini. And. Laur. libr. 3. quæst. 13. Anat. Cum thorax & pulmo per ventrem purgatur, hanc Gal. li. 6. de loc. adfect. c. 4. proponit viam: quod caua vena, mediante vase quodam, stelechiææ, id est, venæ, quæ arboris caudici proportione respondet, videtur interdum adaptari. Si hoc principiũ e tripode dictum a Galeno, expungent Galenici: infinita gignẽtur portenta, quæ ab Arist. 3. de hist. anim. c. 2. sunt animaduersa. Nam sanguis extra vasa genuina fluet in sinus quosdam: & egressus vel corrumpetur; aut particulæ adglutinabitur: rursusq; in siphones venæ cauæ modo prorsus abstruso adsumetur: cum præsertim hepatis corpulentia tenuissima membrana amiciatur:

quæ

quæ sanguinem in tanto viscere errantem non hospitari valebit: non poterit etiam cor influentiam suam vniuerso sanguini impertiri, si canalis nō sit continuus: vnde sanguis calore cordis expilatus concrescet & putrescet: denique, (vt de experientia nihil dicamus, quod per fistulam inflato venæ portæ trunco, videamus quoque inflari venam cauam:) docent idem icterici, in quibus bilis regurgitans primo sanguinem venæ portæ inficit: quæ vena, venæ cauæ sanguinem largitur, cuius rami ad exteriora totius corporis propagantur: vnde vniuersum corpus bile flaua subfusum cernitur. Vena itaque portæ necessario osculis cum vena caua conniuet & continuatur: licet in cadaueribus non appareat, in quibus ob exsilium caloris refrigerata corpora, inprimisque coriacea, in sese coguntur, porique ipsorum obliterantur: venæ etiam principes spoliatæ sanguine collabuntur: vt contra cauitates & spiracula omnis generis in viuentibus semper magis obuia sunt sensibus, naturæ tamen venarum occultantur intus. Quamuis etiam rami venæ portæ in concaua hepatis parte recta ad extrema vsq; tendāt, alii item per gibbam eius partem ex vena caua discurrant, non tamen ibi desinunt, sed variis anfractibus per mediam hepatis substantiam reciprocantur: quod patet, si hepatis particulam diutius lauemus, vt sanguis concretus contabescat, tunc relinquitur veluti retis cuiusdam tenuissimi contextus. Vena porro caua, materiam exorbitantem in peripneumonia, pleuritide & aliis pulmonum adfœtibus amandatam recipit per capacem ramum, qui arteriarum instar tunica duplici obuallatur, vena ἀρτηριώδης nuncupata: quæ ex elatissima dextri cordis ventriculi parte, iuxta

dextrum latus ventriculorum ſepti enaſcitur, & magnæ innitens arteriæ, ſiniſtrorſumque nonnihil ſuo caudice inclinans, tandem in duos diſcinditur truncos: quorum dexter ad ſiniſtrũ latus caudicis magnæ arteriæ, poſticumq; eius caudicis ſpelæum dextrorſum reflexus, in dextros pulmonis lobos digeritur, ſiniſter vero in ſiniſtros. Hanc viam etiam monſtrat Galen. lib. 5. de loc. adfect. cap. 3. & lib. 2. de nat. hum. com. 6. In pleuritide ad venam cauam per ἄζυγον venam, quæ illius ſoboles eſt, materia deportatur. Vena itaque caua tranſlumens pus pulmonum per venam arterialem, illud impertitur venæ portæ, cum qua orificiis conniuet. In reſina autem parte iecoris a vena portæ riuuli complures, tanquam a trunco radices propagantur: qui venæ ſunt meſaraicæ: quorum quædam in ventriculum multis ſiphonibus aguntur, aliis quidem in ἔκφυσιν δωδεκαδάκτυλον aliis vero in ſuperiora dextraq; protenſis: quædam ſub duodenum inteſtinum, alias ſub ieiunum ſe demergentes, idque tranſſilientes, in μεσάραιον ſiue μεσεντέριον exſpatiantur: quædam in pancreas immerſæ, per meſaræi radicem, quæ ſpinæ dorſuali adhæreſcit, ad colum inteſtinum commigrant: quædam e ſpecu folliculi fellis per pancreas in duodenum, & hinc omentum, & tandem in gracilia enteranea, ipſumque cæcum multiplici ſobole diſperguntur.

Concinna etiam via, pulmonum atque membranæ coſtas ſubcingentis pus per aluum extrudendi, hæc eſt. Truncus magnæ arteriæ ſubtus ad thoracis vertebras explicatus, ab ima ſede, propagines in octo inferiora thoracis interualla deriuat, quæ ad coſtarum verarum cartilagines vſque prorepunt, ſpuriarum vero intercapedines vſque in ſuminis latera excedunt.

cedunt. Ab elatiori porro anterioreve arteriæ magnæ corporis parte, alia arteria, in summam intestini mediani sedem plurima sobole diffusa, venæ portæ modo excurrit in ieiunũ, ileum & coli intestini partem, quę a iecoris specu ad dextrum renem pertinet. Alia item arteria infra seminales arterias, ab antica magnæ arteriæ regione explantatur, & in humiliorem mesenterii sedem distribuitur, inque colum intestinum, qua a liene ad rectum intestinum prorepit, ac dein in ipsum quoque rectum inprimis digeritur. Atque vt hæc euidentia & minime ἀσύμφυλα sunt: ita nec veritas aphorismi Hippocratici, 16. lib. 6. corruit: si Galeni commentaria ruminabimur: vbi inquit: in mediocri morbo laterali atque pulmonia, profluuium alui superueniés, potest interdum prodesse ratione euacuationis, & magis, cum signa coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbus est citra periculum: contra habito, detento atque vexato homini a talibus passionibus accidit, quibus profluuium alui solet aduenire, cum non bene possit amplius hepar ad se trahere alimentum, neq; conuertere in sanguinem, & quandoque ventriculus alimentum corrumpat. Quæ si legisset Iacotius com. ad aphor. 4. lib. 6. sect. 2. Coac. Hippocr. pag. 825. non tergiueriatus esset. Et hi quidem sunt tubi sensui patentes: (quæstionem enim de distributione venarum, vt decidatur, solo sensu scientifico egere, scribit Gal. com. 6. lib. 2. de nat. human.) quibus morbi thoracis per ventrem critice euacuari possunt. Per vrinæ autem canales quomodo illa expulsio accidat, idem Gal. libr. 6. de loc. adfect. c. 4. has vias proponit: dum scribit: leuem arteriã pulmonis, quantum puris ex erupta vomica suscipit, id

in ſiniſtrum cordis ſinum deferre, quod inde in magnam ipſius arteriã incidens, per renes trãſit in veſicã: etenim vt a caua vena, ita ex magna quoq; arteria rami deſcendunt ad renes. Hi rami ab vtroq; magnæ arteriæ latere ſatis ampli educuntur: hæq; arteriæ integræ in renes abſumuntur, vixque venarum modo ramulos notatu dignos in pinguem renum tunicam diſſeminant. Quanquam nec ἀλογιστί, ſi quis non oſcitanter microcoſmi ſtructuram rimetur, hac via poteſt fieri. Vena caua ab arteriali vena pulmonum pus ſorbet: ſimul autem atque caua, iuxta poſticam iecoris ſedem, ex eius conuexo proſilit, ramum ingẽtem lumbis largitur: qui extemplo, vt lumbis incedit, in renum corpus venas emulgentes infert, præter alios prætenues ramos in thecis atque inuolucris renum: qui a priori, antequam penitus lumbos attingit, originem trahũt. Nec e liturgia naturæ hæc puris in cor μετάστασις eliminanda eſt: licet Plin. lib. *11*. cap. 37. ſcribat: cor ſolum viſcerum vitiis nõ maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit, læſumque illico mortem adfert: ceteris corruptis vitalitas in corde durat: cuius etiam ſuffragator eſt Aret. lib. 1. de cauſ. & ſign. acut. c. 9. qui cor neq; odoris inſignem fœditatem, neque vlcera, neq; ſanioſos humores ſuſtinere adſeuerat: licet etiam Fernel. lib. 5. Patholog. c. 16. auctor ſit, non paucos inopinato e viuis, horæ quadrante, ereptos eſſe, in quibus diſſectis, non alia mortis cauſſa comparuit, quam repentina vomicæ diſruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetrauerat, ipſius vim extinguens atque obruens. His tamen experientia reſponſitat, quæ plures hac euacuatione ſanitati reſtitutos docet. Holler. comm. 1. lib. 6. ſect. 2. aph. 4. & aph. 75. lib. 4. Coac. Hipp. refert, mulierem quatuor

menſes

menſes integros pus, & aliquando propter puris acrimoniam ſanguinem puri commixtum minxiſſe: in cuius corde inuenti ſunt duo calculi, & abſceſſus multi, qui expurgabantur per vrinas. Hoc nō credidit Gal. qui lib. 1. de loc. adfect. cap. 5. impoſſibile eſſe vult, vt cor apoſtema ſuſtineat. Aretæ. vero lib. 2. de cauſſ. & ſign. acut. cap. 7. palinodiam canit, cor raro magnam vomicam nanciſci, homo enim citius moritur: at paruam in eo haud raro oriri. Exemplis hoc declarat Matth. Cornax cap. vlt. explicat. ſuæ hiſtor. ex anatomia Nicolai Maſſæ, qui vlcus ſeu apoſtema in ipſa auricula & ſubſtantia cordis magnitudine oui gallinacei inuenit: reperit item plus quam mediam partem cordis ſanioſam & putredine abſumtam: quæ putrefactio in exiguo tempore tam validum membrum conſumere non potuit, ſed neceſſarium eſt, diuturnam perſtitiſſe, priuſquā tam nobile membrum, fortiſſimis & duriſſimis villis conſtans, adeo euinceretur: quod etiam teſtantur crebra totius anni mortem prægreſſi, animi deliquia. Adfines recenſent caſus Franciſc. Rota cap. 23. de torment. vulner. curand. Columb. lib. 15. Anatom. Fernel. libr. 5. Patholog. cap. 12. Trincauel. libro 6. de rat. curand. part. human. adfect. Ioubert. adnot. ad tractat. de vulner. Guidonis. Et Schenckius libro 2. obſeruation. 206. cadauer diſſectum refert, in cuius pericardio plus quam menſura puris albi continebatur, tota cordis ſuperficies abſumta erat & putrida, extenuatumque admodum cor. Si in hiſce cor puri, cui longo tempore id dies noctéſque metata præſtitit, fuit citra ſubitam internecionem hominis tolerando: cur hāc immunitatem puri abrogabimus, quod ſaltē veredarii inſtar, abſq; diutina procraſtinatione, cordis alueum

per venam arterialem leuemq; arteriam traiicit? Sic etiã angina & phrenitide infestatos sæpe pus emingere cernimus, saburra purulenta a venis iugularibus in venam cauam, ab hac in venas emulgentes & renes transfusa. Iisdem canalibus & pleuriticos per vrinas expurgari dicimus. Quãquam hic principem locum sibi vendicet vena ἀζυγὴς siue ἄζυγος: quæ ex venæ cauæ trunco a dextro latere exoritur: a qua vena suæ vtrinque geniculatim pullulant propagines, singulæ ad octo aut nouem costrarum imarum singula interualla perreptãtes:& a qua membranis thoracem intersepientibus, qua dorso cõtinuantur, surculi obferũtur. In plurimis etiam venæ sine pari propagines ad omnes thoracis costas perueniunt. Immo interdũ hæc vena, circa nonam thoracis vertebram, vtriusque lateris costarum radicibus ramos exporrigit. Huius venæ sine coniuge extima pars, sub septi transuersi & sexti musculi femur mouentis scatebra latens, nunc in parte superiore, nunc in exteriore, ad emulgentem venam sinistri lateris inseritur: aliquando tribus quatuorve ramulis summis, posticis ac imis emulgentem adit: frequentius autem, ex obseruatione Fallopii, in ipsam venam emulgentem immediate vnico ramo implantatur. Ex quibus effectuum naturæ & criticarum expulsionum solers conspicitur demonstratio. Ex vena caua, (in quam materiæ purulentæ regurgitatio e totius corporis venis facilime fit, cum sit omnium venarum capacissima, ideoque μεγίστη dicta:) patentes viæ sunt, nunc ad venas mesaraicas & hinc ad aluum, nunc recta ad venas renum emulgentes, nunc per ambages ad venam ἄζυγον, & hinc ad renes & vesicam: prout natura, licet inerudita & indocta, quæ opus sunt, efficiens, sibi ipsi

itinera

itinera non cogitatione adinuenit. Hipp. lib.*6*. epid. com.5.ſent.2.& lib.de alimento.Gal.7.aph 54.Auerroes *12*. Metaphyſ. com. 12.

Atque ſicut hæc ſunt nequaquam noua, licet quidam πτδιμβαλέες, minus propitio genio nati, variis compere ndinationibus omnes ſubterfugiant difficultates: ita nec illud: quo modo retenti menſes ſanguinis vomitu purgentur. Hippocrati hic modus naturæ compertus fuit: qui 5. aphoriſ. 32. inquit: γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται. Quem aphoriſmum Celſus lib.2.cap.7.ſic reddit: mulier ſanguinem vomens profuſis menſibus liberatur. Eundem repetit Gal.lib.5.method. med.cap.3. Huius euentus recordantur quoque Rab Moyſes part.*24*. aphor. Aretæ.lib.2.cap.2. Amat.Luſitan.centur.*2*.curat.*17* Beniuen.obſeruat.medicin.cap.41. Dodon.c. *26*.Braſſauol.com.ad aphor.31.& 32.lib.5.Hippocr. & aphor.25.libr.4. Langius tomo 2.epiſt.10.Pareus lib.*13*.cap.52.Bald.Ronſſeus lib. de hyſteric. adfect. Nicol.Rocheus lib. de morb. mulier. curand. cap.3. Albertin.Botton.lib.de morb.muliebr. cap.21. & Iacob.Oethæus lib.obſeru.Ioan.Langius, ciuis cognatuſque noſter, lib.1.Epiſtol.40.vult venas matricis in hepar, cor & venæ cauæ ramos humorem emittere, inde in ventriculum per venas, quæ eius orificium ac fundum ambiens, deſtillare, qui deinde vomitu expurgetur. Nonnullis hi meatus longius petiti, nimiſque exiles videntur, quam vt per illos tanta copia ſanguis ad ventriculum refundi poſſit, quanta ſæpe vomitione redditur, quandoque etiam duarum heminarum ſeu cotylarum Atticarum quantitatem ſuperans: quam menſuram menſtruorum naturalem ſtatuit Hippoc.lib.1. de morb.mulieb. & Aetius lib.16.

cap. 4. Est vero mensura cotylæ nouem vel decem vnciarum, paulo plus minusve: ita quod quantitas menstrui debet esse triginta vnciarum: vt Mercurial. lib. 4. de morb. mulieb. c. 1. computat: siue, vt Holler. lib. 5. com. aphor. 36. & 57. Hipp. explanat, a cheopina vsque ad tres semisextariolos Parisienses. Isti itaq; venas vteri cum venis mesenterii ἀναστομώσει committi volunt, per quas in intestina sanguis vterinus, indeque in ventriculum transponatur. Sed hæc intricatiora sunt, nondumq; demonstrata: mirumque est, sanguinem in exta delatum non potius per alvum, quo natura vergit, deorsum extrudi: quam ad ventriculum per sinuosos anfractus sursum deportari, nec qualitate aliqua ab excrementis & sentina intestinorum, quæ adluit, coinquinari. Nos rationibus Achilleis edocti arbitramur, fluorem lunarem emanare non per κοτυληδόνας vel acetabula: (vt illa sic cum Hipp. & Gal. lib. 1. de semin. cap. 7. & lib. 5. aph. 45. ex sententia Dioclis Carystii & Praxagoræ Coi Nicharchi filii, lib. 1. de naturalib. nominemus: licet vix in homine hac appellatione digna sint: cum in quibusdam tantum, vt bobus, capris, ceruis, aliisque huiuscemodi animalibus, impręgnationis initio, forma extumescentium hæmorrhoidum cœcarum, & herbæ κυμβαλίου, subflaua, mollia ac mucosa, dimidiatoq; piso simillima videantur: vti ex Philosophorum Imperatore, lib. 3. de histor. anim. c. 1. & lib. 2. de gen. animal. c. 5. & Gal. lib. de dissect. vuluæ, c. 10. patet:) sed per vteri ceruicem. Vterum venæ crassiores a caua post illarum supra sacri ossis initium factam diuaricationem accedunt, quæ primum in duos insignes truncos ad quartam lumborum vertebram diuiduntur: & hi rursus singuli in duos grandes, sed amplitu-
dine

line impares ramos diſſecãtur: e quibus craſſior per inguina crus adit, humilior graciliorq; per pubis oſſis foramen elabitur, & ſic venas vteri conſtituunt: ramus autem quilibet inſignem educit venarũ propaginem, quæ dextrum vteri latus propter fundi orificium accedunt, ibique in multas ſciſſæ ſoboles, quaſdam ſurſum in humiliorem fundi ſedem exporrigunt: quaſdam per vteri ceruicem deorſum digerunt. Huic ſententię adſtipulatur Veſal. lib. 5 de corp. hum. fabric. cap. 15. & 16. & Columb. lib. 6. Anat. & Albertin. Botton. de morb. muliebr. cap. 20. Si itaq; crudior ille ſanguis a venæ cauæ propaginibus ad ceruicem vteri quaſcunque ob cauſſas non deferetur: in venæ cauæ taberna diuerſabitur. Hic ſi in venas iugulares ex caua tranſmittetur a natura, ſanguinis profluuium e naribus ſequetur: quod creberrime contingit: ſicut Hipp. 5. aphor. 33. ait: γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν. Quem aphoriſmum Celſ. lib. 2. cap. 8. ſic vertit: menſtruo ſuppreſſus ſanguis e naribus fuſus, omni periculo liberat. Idem obſeruarunt Amat. Luſitan. Centur. 2. curat. 17. Braſſauol. com. ad aphoriſ. 25. lib. 4. & aphor. 32. lib. 5. Hipp. Et Iacob. Oethmus lib. obſer. Nec diſſona propter collimitiũ ratio eſt cum iis, quibus menſibus cunctantibus non ſolum ſanguis ex auribus erumpit, vt Braſſauol. loco citato vidit: ſed etiam lacrymæ cruentæ exſtillant: quod, præter eundẽ, animaduerterunt Dodon. obſer. med. c. 15. Lud. Mercatus libr. 1. de mulier. affect. cap. 7. & Salomon. Albert. in oratione de ſudore cruento. Si vero per venam cauam in venam portæ deportabitur ſanguis, & hinc per venas meſaraicas in inteſtina: per aluum excernetur: cuius euacuationis etiam Galen.

com.aphor. 33.lib.5.meminit:item Hippocr.lib.1.de morb.mulieb.& Cordæus com. 1. ad eundem Hipp. librum.

Amplius Gal.lib. de atra bile cap. 8. ſcribit, vrinas nigras ſuperuenientes in febre quadam, mulierem a febre liberaſſe, quia nimirum menſtrua, quæ per vterum non excernebantur, ad veſicam cõuerſa ſunt. Idem viderunt Braſſauol.com.ad aph.75.lib.4.Hipp. Pareus lib.23.cap.52.Scholiogr. ad libr.1. Holler.de morb.intern.cap.52.Per eoſdem fere hoc contingit tubos,per quos pus pulmonum cum vrina expurgari prius diximus.Vena caua,vbi iam mediæ vertebrarum ſedi innititur,ab vtroque latere ampliſſimam propaginem renibus impertitur, dextram quidem dextro reni,ſiniſtram autem ſiniſtro tranſuerſim deriuans.Hæ propagines ſeroſum ſanguinem ad renes, vt illum excolent, ac ab vrina liberent, deferentes, ob idque emulgentes vulgo dictæ, admodum craſſæ ſunt:per quas commode ſanguis menſtruus in vena caua hoſpitãs ad renes,& hinc ad vreteres, demumque ad veſicam deturbari poteſt. Præterea, quamuis Hippoc.lib.5.aphor.40 ſcribat: γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συςρέφεται, μανίην σημαίνει: id eſt,vt Celſ.libr. 2.cap.7.interpretatur, mammæ ſuffuſæ ſanguine furorem mulieri febricitanti prædicunt: experientia tamen teſtatur,nõnullis fœminis ſtatis periodis fluorem lunarem citra valetudinis detruncationem, adeo vbertim per mammas euacuari, vt ei exhauriendo quatuor aut quinque mantilia vix ſufficiãt: quod videre Amat.Luſitan.Centur.2.curat.21.& Cent.7. curat.48.Dalechamp.annot.ad cap.13.lib.26.Plinii: Cordæus comm 6.lib.1.Hipp.de muliebr.morb.Pareus lib.23.cap.52.& Andr.Laurent.Anat.lib.1.q.10.

Explodi-

Explodimus autem hic caſum: quem Hippoc.lib.de ſtruct.homin.recenſet: fœmina ſi lactare plus nimio cogatur, loco lactis ſanguinem emittit: quale exemplum etiam recitat Braſſauola. Mammæ ebibunt humores, quibus adhærent, duræq; fiunt & augeſcunt: ſunt enim ſpongiformis figuræ: vt Hipp. circa finem lib.de veteri medic.& Ariſtot.lib 1. hiſtor.anim.cap. 12.& lib.7.cap.11.ſcribunt. Viæ euidentes ſunt: nam, vt Gentil.ſuper Auic.lib.1.fen.4.cap.1.ait, mammillæ ſunt colligatæ matrici, mediantibus venis aliquibus: vnde facile tranſpoſitio menſtruorum ab vtero ad mammas fieri poteſt. Venæ mammillas implicantes, præter eas, quę ab axillaris venę iam thoracis amplitudinem egreſſæ ramo dependent, & in muſculos pectori ſubſtratos diſtribuũtur, item præter eas, quæ venæ elatiorem ſcapulæ ſedem & ſummum humerum perreptant, ab illis venis initium ſumunt, quæ a caua in iugulo prodeunt, & ſub pectoris oſſe verſus ſumen ad vmbilicum vſq; propemodum ſimul cum attenſis ipſis arteriis excurrunt, ac per coſtarum cartilaginum interualla ſurculos in anteriora pectoris diſpenſant. At per venæ cauæ propagines ſuper os ilii iuxta quartam lumborum vertebram menſtrua expurgantur. Propter continuas iccirco venarum anaſtomoſes facile iſta μετάστασις ſanguinis menſtrui fieri poteſt: non ſecus ac hoc cohibito lac in mammis, etiam quandoq; virginum, deprehenditur: quod Hip. lib.5.aphor.39.adnotat: ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε. Item Alex.Benedict.lib.3.Anat.cap.4.& Chriſt.a Vega comm.ad dictum aphoriſmum Hippoc. Modum ſuccinctum, quamuis paulum ab his declinantem, proponit And. Laurent.lib.1.Anato. circa calcem quæſt.10.his ver-

bis: cum sympathia simplex fere omnis per vasorum communionem fiat, quomodo mammarum & vteri vasa inter se communicent, paucis aperiamus. Volunt fere omnes Anatomici, epigastriæ ascendentis ramulos cum mammariæ descendentis riuulis coire, fierique harum venarum anastomoses. Ego harum venarum coitum non nego, sed patentiores & breuiores ductus communionis huius caussas viasq; inuenio. Epigastrica enim vena per vterum non spargitur, sæpiusq; a ramulo crurali oritur. Mammaria item, quam vocant, per interiorem sterni partem excurrit, triangularem musculum alitura, neque ad mammas ramulos, nisi forte capillares diffundit. Existimo itaque per hypogastricam & spermaticam, quæ peculiares sunt vteri venæ, refluere ad truncum cauæ sanguinem, lac, ceterosque humores: a trunco mox in axillarem, a qua thoracicæ duæ insignes exortæ, pectorales musculos, & glandosum mammarum corpus irrigant. Contra a thoracicis refluere lac ad axillarem, ab hac in cauæ truncum, a quo per spermaticum ramum in vterum, per hypogastricum, nunc in vterum, nunc in vesicam feratur, vnde plerunque lacteæ feruntur vrinæ post partum. Est etiam lactis per vrinas expurgationi locus, breuiorque ductus per emulgentes ramos. Hæc ille. Sanguis idem menstruus a vena portæ, (quam necessario osculis committi radicibus venæ cauæ, nuper de thoracis per aluum expurgatione, & lib. de probation. vrinar. cap. 2. demonstrauimus:) in ventriculum mittetur, quod per aliquot venas commodissime fieri potest: prima ventriculi vena a portæ vena prosiliẽs, priusquam in duos grandes truncos discinditur, ad imum ventriculi orificium, posticamque eius sedem

excur-

excurrit: altera, ex dextra venæ portæ regione, qua in duos grandiores truncos finditur, explantata, toti dimidiæ inferiori ventriculi parti ſubtenditur, ſuperiori pellicula omenti ſubfulta, a qua & anterior & poſterior fundi ventriculi dextra ſedes ſurculos mutuatur: tertia admodum exilis a venæ portæ graciliori ſiniſtrove caudice enata, in poſteriorem ventriculi ſedem, iuxta dextrum ipſius gibbũ diſpergitur: quarta, quę eſt princeps ac in numeroſiorem ſobolem diuiſa, a venæ portæ trũco procedit ſurſum ad medium poſterioris ſedis vẽtriculi, per quam ſedem primum vtrinq; ramũ ſpargit in plures ſurculos diuaricatum, dehinc ſurſum dextrum ſuperioris ventriculi oris latus coronę modo cingẽs, ramulos complures deorſum in ventriculi corpus ingerit, paucoſq; & graciles ſtomacho impertitur: ab eadem vena propago circa dextrum oris ventriculi latus, ad humilius ventriculi orificiũ pertingit: quinta, ab ampliore venę portę ramo prognata, ſiniſtrã ventriculi fundi ſedẽ ambit, & ramos in vẽtriculi anteriora, poſterioraq; eiaculatur. Per manifeſtos hoſce venę portæ tubos in ventriculum menſtruum fluorem illabi poſſe, adfirmamus.

Atq; ita exercẽtur a natura ingenia noſtra curioſa. Ex quibus ad veritatem collimans, luculenter cognoſcet, ſi modo res non primoribus ſaltem labris, veluti canes e Nilo bibunt, delibauerit, genuinas inſolentium caſuum cauſſas: in quibus indagãdis, licet plurimi, quibus πειςάτων circumſpectus familiaris non eſt, deſudarint, operam tamẽ & oleum perdere viſi ſunt: dum Andabatarum more, iam cœcos, iam ſuccenturiatos & ex naturæ lithurgia exterminãdos canales commenti ſunt.

Cõi ſimul ſorte nec Scorbutum ceu nouam luem

a priſcis ſacelli Aſclepiadei Hierophãtis deſcriptum, argutiſſimi etiam autumant. Hi Plinii veſtigiis inſiſtunt: qui lib. 25. natural. histor. cap. 3. ſcribit: nec beſtiarum ſcelera ad nocendum ſola ſunt, ſed interim aquarum quoq; & locorum: in Germania trans Rhenum caſtris a Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compageſq; in genubus diſſoluerentur: ſtomacacen medici vocabant & ſceletyrben. Vixit autem Germanicus, qui Germaniæ Armeniæ & Syriæ præfuit, iuſſu poſtea Tiberii in Syria a Piſone veneno interemtus, circa annum mundi 4001. Vrbis conditæ, 789. Chriſti 39. Nos Scorbutum veteribus ad vnguem cognitum, adſeueramus. Hippoc. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, εἰλεὸν αἱματίτην deſcribit: quam adfectionem cũ Scorbuto toto cœlo conuenire, nõ ambigimus. τάδε δὲ ἐν τῷ νοσήματι πάσχει. ἐκ τοῦ στόματος κακὸν ὄζει ἀπὸ τῶν ὀδόντων: καὶ τὰ οὖλα ἀφίσταται: καὶ ἀπὸ τῶν ῥινῶν αἷμα ῥέει: ἐνίοτε δὲ καὶ ἐκ τῶν σκελέων ἕλκεα ἐκφλυνδάνει: καὶ τὰ μὲν ὑγιαίνεται: τὰ δὲ ἄλλα πάσχει: καὶ ἡ χροιὴ μέλαινα καὶ λεπτόδερμος. Id eſt: Hæc vero in morbo accidunt: ex ore male olet a dentibus: & gingiuæ diſcedunt: & a naribus ſanguis fluit: aliquando etiam ex cruribus vlcera pullulant, & alia ſanescunt, alia emergunt: & color niger fit, & cutis tenuis. Hæc belle indoli Scorbuti quadrare, nemo inficiatur: at, quod ſubdit Hippocrates, περιφοιτητὴς δὲ καὶ ταλαιπωρέειν πρόθυμος, eſt autem ad deambulandum ac laborandum promtus, id recalcitrare Scorbuto barbantur. Doctores opinantur in Græco contextu voculam οὐκ deſiderari: vt ex diametro contrarius ſit ſenſus, eos ad deambulandum nempe ac laborandum minime eſſe promtos. Quod etiam ex prægreſſis liquet: dum

voluulum

voluulum hæmatiten reliqua eadẽ pati ſcribit Hipp. cum prioribus voluuli ſpeciebus: (inquit enim, εἴλεος αἱματίτης τὰ μὲν ἄλλα πάσχει πλῆθος τὰ αὐτὰ τοῖσι πρόσθεν:) vt, quod crura grauia ſunt, &, ſi obambulent, tremũt, &, ſi ad adcliuem locum iter faciant, vehementer anhelant. Quin compitis compertum eſt, cruribus fatiſcentibus homines, neque ϛαδιοδρόμους, neq; χορηγοὺς eſſe poſſe. Et humor melancholicus ſuapte natura corpus deſes reddit: quam ob cauſſam & pandum aſinum eſſe animal melancholicum, rentur etiam ſubulci & porculatores. Vt tanto minus neceſſe ſit, ſcęletyrben a ſtomacace ſecludere. Amplius auctores priſci ſcorbutum ſub magnis lienibus delinearunt. Hippocr. lib. de internis adfect. cum ſecundum ſplenis morbum enodat, inquit: πάσχει οὖν ὑπὸ τούτου τοῦ νοσήματος τάδε: ἡ γαστὴρ φυσᾶται: μετὰ δὲ καὶ ὁ σπλὴν οἰδεῖ, καὶ σκληρός ἐστι: καὶ ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τὸν σπλῆνα: ἡ δὲ χροιὴ τρέπεται, καὶ ὁρῆται μέλας, ἔπωχρος, σιδιοειδής: καὶ ἐκ τοῦ ὠτὸς κακὸν ὄζει: καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει: καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀφίσταται: καὶ ἐκ τῶν κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυται ὁκοῖά περ ἐπινυκτίδες: τὰ δὲ γυῖα λεπτύνεται: καὶ ἡ κόπρος οὐχ ὑποχωρεῖ. Hoc eſt: Patitur æger ab hoc morbo hæc: venter inflatur: poſtea vero etiam ſplen intumeſcit, & durus eſt: & dolores acuti in ſplenem incidunt: color autem mutatur, & cõſpicitur niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens: & ex aure male olet: & gingiuæ male olent, & a dentibus diſcedunt: & ex tibiis vlcera erumpunt, velut puſtulæ nocturnæ: membra vero attenuantur: & ſtercus non ſecedit. Et in calce lib. 2. Prorrhet. ait: quicunque, dum neque febricitant, neque decolores ſunt, ſæpe & verticem & tempora dolent, ſi non aliũ manifeſtũ habuerint abſceſſum in facie, aut grauiter loquantur, aut dentes doleant, his ſanguinem

per nares erupturum esse, exspectandum est. Quibus vero ex naribus sanguis fluit, hi alioqui sani esse videntur: hos autē vel splenem in tumorem eleuatum habere comperies, vel caput dolere, & splendicans quiddam ipsis ob oculos obuersatur. Plerisque vero horum simul & caput & splen hoc modo se habere apparent. Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia his sunt, quibus splenes magni. Quicunque vero habent splenes magnos, & neque sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neq; oris graueolentia, horum tibiæ vlcera praua habent, & cicatrices nigras. Quibus partes sub oculis vehementer attolluntur, eos magnos habere lienes comperies: si vero etiam in pedibus tumores accesserint, aquam etiam habere videbuntur. Idem Celsus, velut Hippocratis emissarius, lib. 2. cap. 6. iisdem verbis repetit. Et Hippocrat. lib. ἐν τῷ περὶ παθῶν scribit: ὁκόσοι σπλῆνα ἔχουσι μέγαν, ὅσοι μὲν εἰσὶ χολώδεες, κακόχροοί τε γίνονται, καὶ κακελκέες, καὶ δυσώδεες ἐκ τοῦ στόματος, καὶ λεπτοί. Similiter Aretæus lib. 1. de causs. & sign. Chronic. cap. 14. ait: lienosi sunt καχέκται, οἰδαλέοι, ἰδεῖν ἀπρεπέες, πολυελκέες πάντη, μάλιστα δὲ ἐς κνήμας: στρογγύλα, πελιδνὰ, κοῖλα, ῥυπαρὰ, δυσαλθέα τὰ ἕλκεα: id est, malo habitu præditi, tumidi, ad labores inepti, vndique prauis vlceribus referti, maxime in tibiis: vlcera vero in acutum tendunt, siue sunt rotunda, liuida, concaua, sordida, ægre medicabilia. Cæl. Siccensis lib. 3. Chronic. cap. 4. dicit: lienosos oris fœtor adficit, cum gingiuarum putrefactione, & defluxione: tenuatur etiam cutis ventris, venæ nigræ apparent & crassiores, & in cruribus vlcera difficile in cicatricem, vel indecenter venientia. Æscul. c. 4. scribit: quando intumuerit pars splenis vsq; ad sinistrum inguen, & præcordia ipsa vsq; ad iugulum dolent, &

ex vicinitate aliud latus dolet, cum colore pallido & liuido, exinde tumeſcit totum corpus cum oris fœtore, in capite: ante omnia difficultas pedum. Ægin. lib. 3. cap. 49. ait, ſcirrho ſplenis preſſis os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt. In eadem ſententia ſunt Auic. lib. 3. fen 15. tract. 2. cap. 5. Aetius tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 7. Alexan. Trallian. lib. 3. cap. 23. & Moufetus lib. 7. Noſomanticæ Hippocrateæ, aphoriſm. 52. Quæ omnia teſtantur, Scorbutum veteres non fugiſſe, concinneque in magnorum lienum tribu collocari: cum ab his, vel ipſorummet aduerſariorum ſuffragio, Scorbuti τὸ εἶ) dependeat. Wierus πολυτίμητος hæc ſuggillat. Scribit enim, Hippocratem & eius adſeclas in hac eſſe ſententia: quod eodem tempore vtrumq; ſymptoma, nempe gingiuarum vitium, & tibiarum vlcera in ſplene magno non coniungatur: ſed tibiarum vlcera tum primum ſubſequantur, quando humor ille melancholicus acris non feratur ſurſum ad gingiuas, vel ſanguinis eruptione minuatur, verum ad tibias ſubſidat, fœde exulceret, & cicatrices poſtea nigras relinquat: in Scorbuto autem ſimul gingiuæ putreſcunt, fœtentque, & tibiarum lituræ amplæ liueſcunt: quæ etiam quam rariſſime in exulcerationem perueniunt, aut præcedunt vlcera rara, malitioſaque, ſi forte tandem emergant: nullam autem dicit, macularum magnarum in hoc morbo fere ſemper apparentium, apud Hippocratem fieri mentionem, ſed ſolarum cicatricum nigrarum poſt vlcera relictarum, quæ communes ſunt cunctis exulcerationibus ab humore melancholico ortis.

Huius ἀνταγωνιστὴς Balduinus Ronſſeus eſt. Et reuera, (cum non ſimus καταδημαγωγούμενοι:)

Wierus incassum auctoribus in scenam productis ἀνταποπαρδεῖν videtur. Hippocr. enim lib. de inter. adfect. & de adfectib. item Auic. Ægin. Cælius, Æscula. Aeti. atque Trallian. & oris fœtorem, & vlcera maligna in cruribus sociant. Non tamē propterea necessarium est, hanc symptomatum cōbinationem semper concurrere. Humor exorbitans potest per nares euacuari. Idem de hæmorrhoidibus, & mēstrua purgatione dicimus. Si superius hospitatur, possunt inde gingiuæ corrumpi, & os putere: si vero vniuersus sidit ad crura, facile lituras plumbeas, &, si salsus sit, exesa quoq; carne, vlcera inuehet: aliquando vero potest tanta vbertate coaceruari, si præsertim nulla euacuatio vel per hęmorrhagiam narium, vel hęmorrhoidas, vel menses præcesserit: vt ille sanguis & ad summa & ima cateruatim repat, & vtrumque inducat atque exasperet symptoma: quod nostra memoria creberrime contingit, in qua & natura elumbis est, & enormes in victu errores patrantur: vt supra demonstrauimus. Idem in Scorbuticis quotidie videre est. Sic in aliis morbis non perpetuo omnia simul symptomata coagulare & coagmentari fatum mandat. Quamuis enim, teste Gal. lib. de cau. morb. cap. 6. corpus a caussis alteretur, quæ omnes nunc eiusdem speciei exsistūt, plerunq; autem viribus contrariæ, nonnunquam vero superant, quæ ex ipsis sunt vel numero plures, vel diuturniores, vel potētiores, interim vero ex æquo læduntur: eius tamen dispositiones cum caussa consentientes facilime læduntur: contrariæ autem ac renitentes, quantum viribus ac magnitudine contrarietas valet, tantum inuictę perdurant: cum nulla caussarum sine patientis aptitudine agere possit: vt idem 1. de differ. febr. cap. 4. ait. Sic omni-

omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas eſt, iuxta Celſum lib. 1. cap. 3. item illa corpora, quæ inter ſanitatem firmam, conſtantem, καθ' ἕξιν, & fallacem κατὰ σχέσιν, tanquam media & vtriuſque naturæ participantia collocantur: ſicut Galen. lib. 5. de ſanit. tuen. cap. 4. & lib. ad Thraſybul. cap. 6. loquitur. Sic etiam in Scorbuto quidam ſolo gingiuarum & oris vitio infeſtabuntur, citra lituras & vlcera: aliis contra, citra oris ac gingiuarum adfectus lituræ atque vlcera negotium faceſſent: plurimis etiam cacochymis, inque diæta delinquentibus, & gingiuarum putredo, & oris fœtor, & macularum veſtigia, & vlcerum exeſio eueniunt: ſi præſertim & cœlum morbidum fuerit. Quod vero Wierus ait, Hippocratem nullam macularum nigrarum feciſſe mentionem: miramur illum, non Hippocratis genio & aphoriſticæ breuitati hoc largiri: qui nihilominus vbique inculcat, colorem cutis fieri nigrum, & pallidum, inſtar malicorii: quod ſolerter introduxit, innuẽs illas lituras non in cruribus duntaxat, ſed, quod experientia adnuit, etiam in lacertorum toris, tergo, ſumine, aliiſq; corporis partibus nonnũquam efflореſcere. Idem ſemper cicatrices nigras producit, omni procul dubio lituras his includens: & lib. de intern. adfect. vlcera ſimilia iis dicit, quæ Græci ἐπινυκτίδας vocant. Hæ autem ſunt puſtulæ colore vel ſubliuidæ, vel ſubnigræ: ex quibus apertis ſanies & exulceratio mucoſa defluit: cuius magnitudo fabæ corpus nõ excedit. Quibus ſignificat Hippocrates, vlcera Scorbutica non ſemper profunda corporis depaſcere, ſed aliquando ſimilia eſſe puſtulis liuidis: quibus ſubſidẽtibus ςίγμα potius, quam ἐφελκὶς & ἐσχάρα relinquatur: vel, ſi vbertas maior & acritas humorum dominabitur, longius

exulceratio serpat: qua sedata cicatrices nigrę aliquā-diu superstites sunt. Ronsseus addit: se non raro vidisse, vbi diutius durasset malum, lituras illas suppuratas, atque in malignum seu Telephium degenerasse vlcus. Et ipse Hipp. cum εἰλεὸν αἱματίτιν lib. de intern. adfec. describit, non semper, sed ἐνίοτε, interdum siue aliquando vlcera emergere ait: vt tāto minus valoris Wieri vitiligatio mereatur. Vnde patet, Hippocratē non defunctorie, vt Wierus retur, lituras Scorbuticas non in tibiis solum, sed & aliis corporis partibus rimatū esse: q̄ maculæ & præcedere & subsequi possunt vlcera. Amplius Scorbutum nō eliminari e magnorum lienum prosapia, conuincunt caussæ, & remedia tam topica, quam vniuersalia, quæ vtriq; morbo quadrant: vt suo loco docebitur. Ex Neotericis de hoc morbo Olaus Magnus Suecus lib. 16. de gentib. Septentrion. c. 51. sic scribit: Est & morbus castrensis, qui vexat obsessos & inclusos: talis scilicet, vt membra carnosa stupiditate quadam densata, & subcutaneo tabo quasi cera liquescens, digitorū impressioni cedāt: dentesq; veluti casuros stupefacit, colores cutium candidos reddit cæruleos, torporemq; inducit cum medicinarum capiendarum nausea: vocaturq; vulgari gentis lingua Scorbut/Græce καχεξία, forsitan a subcutanea mollitie putrescente: quæ videtur esu salsorum ciborum nec digestorū nasci, & frigida murorum exhalatione foueri. Sed vim tantam non habebit, vbi muri interius tabulis quorumcunq; lignorū sunt cooperti. Insuper si diutius grassetur iste morbus, absinthiaco potu continuato illum arcere: sicut & calculi radices per decoctionem veteris ceruisiæ cum butyro epotæ tollere solent. Item lib. 9. c. 38. inquit: viribus primis annis, demum (milite stra-

gibus

gibus continuis diminuto,) artibus, dolis & insidiis obsidẽtium subripiunt commeatum, præsertim pecudes, quas secum abductas, in herbosis domorũ tectis pascendas imponunt, ne defectu carnium recentiorum, morbum incurrant quibusuis ęgritudinibus tristiorem, patria lingua Scorbuck nuncupatum: hoc est, saucium stomachũ, diris cruciatibus & diuturno dolore tabefactum. Frigidi enim ac indigesti cibi auidius sumti, morbum huiusmodi caussare videntur: qualem medici cachexiam vniuersalem appellãt. De eodem morbo scribunt Gemma lib. 2. Cosmocrit. c. 2. Strabo lib. 16. Geographiæ: Albert. Crantz in sua Saxonia: Euric. Cordus in Botanologico: Dodon. in med. obseru. c. 33. & hist. stirp. pempt. 4. lib. 5. cap. de cochlearia: Petrus Pena stirpium aduersar. fol. 121. & 122. de cochlearia Britannica, Bataua & Anglica: Schenckius in præfat. lib. 1. obseruat. medicin. Iacob. Theodor. Tabernæmon. in libro suo Germanico de thermis cap. 28. Carrichter. lib. 1. cap. 41. Mithoblus lib. de peste: Forestus lib. 20. obseruation. Et Leuin. Lemnius lib. 2. de complexion. cap. 6. meminit libri luculenti a Guil. Lemnio conscripti de Scorbuto. Edidere etiam adsertiones de eadem lue Albertus TWestrengk Hamburgensis, Basileæ anno 1581. & D. Hambergerus Tubingæ anno 1586. & Salomon. Albertus D. Vitebergæ anno 1591. Anno præterea 1585. Vitebergæ prodiit commentarius Balduini Ronssei de magnis Hippocratis lienibus seu scorbuto: cui accessere, Ioan. Echthii epitome, Ioannis Wieri obseruationes, Ioan. Langii epistolæ duæ de Scorbuto.

Et tantum de origine morborum atque Scorbuti. Quam quæstionẽ vberius ideo adgressi sumus: cum

quod a nemine hactenus exacte ad lapidem Lydium vocata fuit: tum, quod plurimorum adfectuum rariorum caussas, non in propatulo hominibus proletariis, aut adyta naturæ liminetenus introſpiciẽtibus, ſed prudentibus tantum obuias, iuxta methodi veræ & veritatis methodicæ normam enodat. Nec propterea aliquis nos legem iuſtitiæ καθ' αὑτὸ repudiaſſe dicat: quaſi temeraria & pernicioſa quidlibet cõfundendi licentia, medicam artem in Chimæras & ridiculos cẽtones flagitioſe transformauerimus, ἀπροσδιόνυσα καὶ ἐξαγώνια non miſſa facientes. Theognis prudenter:

> χρὴ μουσῶν θεράποντα, καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
> εἰδείη σοφίης. μὴ φθονερὸν τελέθειν:
> ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν:
> τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος.

Et Nero Cæſar dicere conſueuit: τῆς ἀποκρύφου γὰρ μουσικῆς ὄφελος οὐδέν.

EXERCITATIO II.

Nomina Scorbuti.

DOctrina quæq; propria deſiderat nomina: mouente Galen. 2. de loc. adfect. cap. 6. Hæc licet in Scorbuto varia ſint & inſolentia: non tamen propter eorum abſurditatem ægrotantes incommodi quicquam capient: vt idem libr. de morbor. tempor. cap. 4. adſerit. Oportet autem nos vocis ipſius vſum prius cognoſcere: a quo ſæpenumero prouehimur in rei perceptionem: ſicut Plato in Cratylo oſtendit. Dani, Hollandi, Saxones & Germani maritimi vocant Scorbuc/ Scorbut/ Scuerbyck: quæ cum Aetio tetrab.

trab.3.ſerm.2.cap.7. ventris rupturam ſeu ramicem, & ventris aluini vermina, interpretantur, quaſi totus venter & hypochondria patiãtur: quod etiam Olaus Magnus lib.9. de gentib. Septentrion. cap.38. confirmat: item Scormunt/ quaſi dicas diſruptam buccam vel os, ob infectas & cruentantes gingiuas a ruptura: quemadmodũ & a cruribus vacillantibus Scorbein/ eodem etymo ruptas nempe tibias innuentes. Hollandi a puniceis lituris etiam Blauſchuit nuncuparunt. Alii ex gingiuis pedibuſque læſis gingipedium conglutinant: alii inſulſi ſcriptores ſcarificationem ventris indigitant. Ridiculi, qui ſelecta vocabula Romana tribu amouerunt cenſore M. Tullio Cicerone: inuſitata eorum in locum ſuccenturiauerunt. Iunius in Nomenclatore a Marcello hũc morbum appellari ſcribit oſcedinem: quæ Gellio lib. 4. cap. 20. eſt vitium, quo quis tenetur, vt ſæpius oſcitet. A Græcis vocatur σκορδίνημα & σκορδινισμός. Eſt autem σκορδινᾶσθαι Galeno ἐν τ͂ γλώσσαις, & Polluci lib.5. διατείνεσθαι, ſiue τὸ ἀποτείνειν ἑαυτὸν, καὶ μάλιστα μετὰ χάσμης: extendi, & maxime cum hiatu. Vnde conſtat, oſcedinem toto cœlo diſcrepare a Scorbuto. Apud vetuſtiores peculiare nomen non inuenimus: niſi Hippocratem nuncupare εἰλεὸν αἱματίτην, ſiue voluulum cruentum. εἰλεὸς non ſolum inteſtini tenuioris morbus eſt: vt Celſus libr.2. cap.1. & libr.4. cap.13. vult: ſed etiam de doloribus ad hypochondria, & torminibus cum doloribus in ventre & ſecundum ventrem dicitur, ab Hippoc. & Gal. lib.3. epid. com.2. ſent. 6. & Aret. lib. 2. de cauſ. & ſign. acut. cap.6. præterea iuxta Gal. partic.3. aphoriſ.22. & lib. de ſympt. differ. cap.4. οἱ εἰλεοὶ τῆς κάτω διεξόδου τῶν τῆς τροφῆς περιττωμάτων ἐπίσχεσις ὄντες, cibi ſuperfluitatum, quæ per aluum inferiorem

excernuntur, retentiones: siue priuationes quartæ ventri, facultatis excretricis, propulltricisq; censentur: ea itaq; ratione, quod ventriculus, exta & hypochondria hic laborent, excrementaq; alui plerunque non rite secernantur, nomen ilei huic morbo aptari potest, qua supra Scorbuck. αἱματίτης vero dicitur, qđ fit αἱματώδης, ab αἱματόω, vel αἱματάω, vel αἱμάττω, quod est cruento sanguine conspergo & polluo: quales in Scorbuto gingiuæ visuntur. Hippocrates frequētius magnos lienes a caussa & πρώτῳ δεικτικῷ vocat: quem alii auctores adductis locis sequuntur. Imperatore Germanico archiatri nulla certæ huius morbi nomina a Phrysiis accepere: qui omni procul dubio medicis exoticarum linguarum peritia claris destituti fuere: eos vero, qui castra sectati medicinam factitarunt, linguam Græcam calluisse, vel hinc liquet: quod ex symptomatibus præcipuis in ore & tibiis apparentibus, nomina Græca finxerunt, vt lues hæc στομακάκη, & σκελετύρβη appellaretur: quas voces Plinius lib. 25. cap. 3. post Strabonem, in aciem produxit. στομακάκη siue στομακακία dicitur ἀπὸ στόματος κάκη, siue κακία, oris vitium & maleficium. Vocatur autem στόμα proprie paulmentum, quod diductis labris ad imas vsq; fauces interiacet, in quo dentes, palatum, lingua, vua & tonsillę continentur. Vulgus stomacacaxiam nuncupat, non quidem, vt quidam somniant, ac si intelligat τὴν τοῦ στομάχου καχεξίαν, quod magna ex parte cibos auersentur: sed potius τὴν τοῦ στόματος καχεξίαν: vnde concinne στομακαχεξία, id est, malus oris habitus nominari potest. Latinis stomacace Pliniana in vsu remansit. Germani hoc respectu, ein Mundfäul/ Mundfliessen/Zehnfliessen / vocant. σκελετύρβη & σκελοτύρβη labem crurum denotat. σκέλος est pars corporis a

ris a feminis ad tarſum protenſa: quæ primatium i-tionis organum cenſetur, μηρὸν, κνήμην καὶ πόδα complectens. Τύρβη a τυρβέω vel τυρβάζω deſcendit, quod eſt turbo, tumultuor: vnde σκελοτύρβη ſcite vertitur oſſium crurumve perturbatio. Galenus ſic definit in lib. finition. medic. σκελοτύρβη ἐστὶν εἶδος παραλύσεως, ὥστε περιπατεῖν ἐπ' εὐθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατ' εὐθὺ, ποτὲ δὲ εὐώνυμον, εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρειν, τὸ δεξιὸν εἰς τὰ ἀριστερὰ, καὶ ποτὲ μὲν ἐπισύρειν τὸ σκέλος, ὥσπερ ἀναβαίνοντες τὶ μέγα. Scelotyrbe ſpecies eſt reſolutionis, qua erectus ambulare homo non poteſt, & latus alias in rectum, quandoq; ſiniſtrum in dextrum, nōnunquam dextrum in ſiniſtrum circumfert, interdū quoq; pedem nō attollit, ſed attrahit, velut ii, qui magnos cliuos aſcendunt. Quam deſcriptionem ſi quis vel limis ſaltem intuebitur, illam Scorbuto accōmodari non poſſe, profitebitur. Ronſſeus in nodo hoc Gordonio ſoluendo, pauxillū abeſt, quin & ipſe ſcelotyrbe corripiatur. Vult, ſcelotyrben reſolutionis eſſe ſpeciem, ſed impropriè: atq; primarium eius adfectum aut in genibus, neruorum cōpagibus diſſolutis, aut in ſpinę medulla conſiſtere negat: ſed cerebrum ac ſpinalem medullam, quemadmodum in aliis morbis, ori ventriculi, hepati & ceteris viſceribus, ita & in Scorbuto, lieni, lege conſortii coadfici adſerit per neruos, per quos ſenſus partibus communicatur: vnde paralyſis oriatur. Cuius rei exempla adducit ex Galeno 5. de loc. adfect. cap. 6. de quodam Grammatico iuuene, qui quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, comitiali morbo corripiebatur: in quo os ventriculi, quod facile ſentiret, adfectum fuiſſe deprehendit Gal. ac deinde per conſenſum & totum cerebrum, ac

corpus vniuersum conuulsione concuti:item de aliis conuulsione comitiali ab oris stomachi vitio correptis:cum aut non probe cōcoxissent, aut vini & quidem meracioris plurimum potassent, aut vbi veneri immodice operam dedissent:quod etiã in febribus a bile,& humore porri succo simili accidit:item cum quidam vitiosorum eduliorum copia grauati, soporosi fiunt. Et ex lib.3.cap.5.& 7.de comitiali morbo a tibia,& similibus, cum cerebro ventriculus suas adfectiones transmittit, propter neruorum a cerebro ad os ventriculi descẽdentium magnitudinem. Item ex Hippoc.lib.de arte,(qui tamen false a Ronsseo citatur:) cum gibbositas infra septum transuersum soluitur, quoties varices in cruribus fiunt, aut ad venas poplitis materia defertur: & sic λόρδωσιν atque σκελοτύρβην inducit, genuum compagibus quodammodo dissolutis. Incassum Ronsseus hanc lanam carminat. Si enim resolutionis genuina caussa est, quod in Scorbuto cerebrum spinalisque medulla lege consortii lieni coadficiantur: cur duntaxat crura, & non simul etiam brachia resoluentur: cum & in horum neruos promtissime materia paralysis sese insinuare possit? Idem citata exempla a Ronsseo euincũt:vbi Galenus de norma cõsensus & μεταστάσεως materiæ loquitur, quæ per certos canales in certis casibus contingunt: vnde toti corpori conuulsiones & resolutiones molestiam facessunt:quos euentus Ronsseus non mutilens amplius prętęrit:cum non similes sint motui deprauato in Scorbuto. Sic, quæ verba legisset, posuit: quid illa penitissimis recessibus occultarent, non vidit. Nos cum Gal.lib.de morb.temp. cap.4. dicimus: quod lex quædam sit communis omnibus Gręcis:vt, quarum rerũ nomina apud vetustiores vsurpata inuenia-

ueniamus,his vtamur: quarum vero non habemus, vel ab aliqua earum rerum,quarum habemus nomina,transferamus:vel ipsi secundum rerum quandam similitudinẽ ad ea, quæ denominata sunt, fingamus: vel de aliis dictis abutamur. Hoc quoq; hic factum. In scelotyrbe est languidus & deprauatus motus: ideoque est resolutionis species: cum neruorum resolutio potissimum dicatur, cũ motus deperditus est: vt videre licet apud Gal.3.de loc.adfect.cap.10.& de rig.trem.palpit.cap.3. & non tantum, cum sensus simul cum motu omnino aboletur: vt idem lib.3.de loc.adfect.cap.10.& 1.de sympt.causs.cap.5.testatur: quam paralysin exquisitissimam nuncupant. Medici itaq; illi, quia aptioribus destituerentur nominibus, Galeno parentes,a resolutione hac, cuius habebant nomen, propter adfinitatem quandam, scelotyrben e prosapia paralysis in Scorbuti familiam adoptarũt, nomine non ita stricte accepto: cum in vtroq; morbo motus crurum fatiscat. Simili libertate Galen.lib. 1.de loc.adfect.cap.1.vocabulum resolutionis vsurpat de defectu excretoriæ vrinæ actionis in vesica: cum musculus, cuius actio voluntatis nostræ imperium imitatur,ceruicem vesicæ circumdãs,ab actione quiescit, fungente tum vesica suo munere inuoluntarie & naturaliter.Et 3.de sympt.cau.cap.2.vocat paralysin stomachi hoc symptoma,cum in totũ non valet trahere cibos.Hoc respectu & isti scelotyrben, speciem resolutionis,cruribus ad motum ineptis accommodarunt: quia aptius vocabulũ in amphitheatro non venit:si præsertim & ipsam scatebram percontemur,cum σκελοτύρβη sit ossium turbatio,neque, si ἀκριβῶς ad viuum vsque omnia resecare volumus,ipsi paralysi proprie conueniat:cum adfectum,ab au-

ctore definitionum descriptum, ἰδίως non demonstret. Admitti igitur & σκελοτύρβη Græcorum, & scelotyrbe Plinii in Scorbuto debet: aut illi, qui nos vno calopodio omnes calceare pedes dicunt, e sui cerebelli catino aliud nomẽ promant: quod huic crurum labi singillatim ad amussim respondeat. Alii Scorbutum μέλανα ἄλφον vocant, & morphæam nigram: quam Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. definit: quod sit vitium, sub quo non tota quidem caro vitiatur, sed in summo corpore, veluti squamæ quæpiam, vitiligines insiguntur nigræ, ex melancholico succo exortæ: sicut nigræ & callosæ carni ab elephante nomen fecerunt, melancholico nutrimento ad carnem longo tempore confluente. Amplius ἄλφοι μέλανες, si in parte pilis obsita nascantur, eam deglabrant: quemadmodum λεύκη albos facit pilos, & lanugini similes: teste Celso lib. 5. ca. vlt. Quas circumstantias cum non deprehendamus in Scorbuticis lituris, colligimus, inconcinne hanc vocem Scorbuto adaptari. Alii hunc morbum neque nomine, neque re differre ab ictero nigro duxerunt. Sed tales ἀμφιβολογίαι καρτερόθυμοι, (vt Hesiodus in Theogonia vocat:) omnia confundunt. Icteros nigriores a liene ægrotante ortum habere, non inficiamur cum Galen. 2. de facult. natur. cap. 9. In his color fit niger circa faciem, & maxime circa partes velut in vmbra occultatas: & oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & venæ sub lingua crassæ & nigræ: vt Hipppoc. lib. 2. de morb. scribit. In Scorbuto vero nigræ lituræ non totũ corpus decolorant, sed disseminantur, nunc tibias frequentius, nunc brachia, nunc tergum saltem defœdantes. Oculi prorsus immunes sunt: quod in ictericorum tunica cornea non contingere, qui pallida

omnia

omnia se videre putant, testatur Gal. 1. de symp. cau. c. 2. Idem de facie dicimus, in qua vel maxime μελανα ἰκτερον cognoscere possumus: quæ in Scorbuto nunquam vel liuido, vel pullo colore tingitur. Amplius in ictero nigro non læduntur gingiuæ, neque vlcera crurum pullulant, qualia in scelotyrbe: nisi rarissime natura saburram melancholici humoris ad genua demittat, vbi solus impermistusq; principio nigrum tumorem efficit, deinde in cãcrum nominatum spatio temporis desinit: vtique cum cutem exedendo acrior, cõtumaciorq; fuerit: cum mitiusculus vel modestior est, sine vlcere cancrum latentem, vt vocant, producit: vt liquet ex Gal. lib. de atra bile cap. 4. & de tumor. præt. natur. cap. 7. & 12. Demum in ictero nigro atra bilis contagii est expers: quod in Scorbuto secus accidit. Iure itaque Scorbutus ab ictero nigro discriminatur.

A nobis, venia eorum, qui caste integreq; in Latina lingua versati sunt, morbus hic nunc Scorbutus, nunc scelotyrbe indigitabitur: cum quod hæc nomina ab aliis etiam auctoribus vsurpata legamus: tum quod manipulo quoque tonsorum vox illa Schorbock innotescere iam cœpit. Plautus quippe non est veritus etiam in theatro Romano Punica personare verba. Et Hieroglyphica Paracelsitarum oraculis Delphicis intricatiora, veniam merentur: ad quæ alis ingenioque Dædaleo, filis Ariadnæis, Mercurii caduceo, Alexandri gladio, & Æneæ aureo ramo, Hesperidumque pomis opus est.

Nam ἱερογλυφία non tantum mordicus fouet cœlum cũ astrorum genere erroneo & stabuli, rubeum item leonem, sanguinem duorum fratrum, pauonis caudam, aues Hermeticas, Salamandram: sed etiam

timbapar, adehemeſt, porfiligan, Rhanzeh, vinum alcoliſatū, baliticteram, alcool, & ſimilia nominum monſtra ipſo timenda ſono. Imo nec medicinæ noſtræ mirifici ſoni ſemper eloquētiam Ciceronianam ſapiunt: quid enim zurumbet, taborſet, tereniabim, malicorium? Abuſu vocabulorum non neceſſe eſt res ipſas, earumque notiones & finitiones confundi: cum ὀνόματα νομοθετήματα ſint, τὰ δ' εἴδεα οὐ νομοθετήματα, ἀλλὰ πλάσματα τῆς φύσεως, dictante Hippocrate in lib. de arte.

EXERCITATIO III.

Genus Scorbuti.

SCorbutus ſubinde latius ſerpſit in regiones maritimas, Septentrionem potiſſimum ſpectātes, gladiatorio animo ſæuiens: deinde confines aliquot ditiones, partim ob prauam victus rationem, partim ob contagium inuaſit: imo ad Aſiæ & Africæ loca peruenit, prope fretum præſertim, & vbi rarus perennis aquæ vſus, aut diætæ & cœli vitium morbo fomitem ſuppeditauit. Sic Hollandiæ, ſic Friſiæ, ſic Cimbricæ Cherſoneſo ſiue Daniæ, ſic Flandriæ, ſic Brabantiæ, ſic Germaniæ, inferiori præcipuæ, aliiſq; in collimitio cognitus eſt. Nunc Borealibus mariſq; Balthici accolis, peculii inſtar, attribuitur. Non tamen omnes mundi plagas æquali adoritur trucitate. Nabathæi ſiquidem in felici Arabia, & eo aduentantes Romani, illum perpeſſi fuiſſe videntur, Auguſti Cæſaris æuo. Huius etenim imperio, cū in Arabiam exercitum Romanum traduxiſſet Ælius Gallus, eum in ipſa expeditione coactus eſt relinquere in Albo

vico;

vico, maximo Nabathæorum emporio: vbi æstatem & hyemem transigere oportuit, vt reficerentur infirmi: quandoquidem oris & crurum, ceterisq; eius loci vitiis tentabatur exercitus: quorum illa circa os, hæc circa crura resolutionem quandam fuisse, ob aquas & fructus prouenientem, scribit Strabo lib. 16. circa finem: qui fuit σύγχορος. Ex quibus coniicimus, Scorbutum in classe morborũ sparsorum, quos Græci σποραδικοὺς indigitant, consentanee poni. Σποράδες enim siue σποραδικοὶ νόσοι, (quibus Gal. initio lib. 1. epidem. com. 1. & in lib. 1. de ration. vict. in acut. com. 1. aphor. 9. πάγκοινα & κοινὰ νοσήματα, siue πανδήμους νόσους opponit:) diuersa ratione, οὐ κατὰ τὸν κοινὸν τρόπον, ægros fatigant: & eorum ex vniuscuiusque vitio proprio & particulari errore in victu commisso, vber est prouentus. Nequaquam tamen ex tribu communium seu vernaculorum, qui ἔνδημοι & ἐνδήμιοι, quasi patrii vocantur, hac lege excluditur Scorbutus: quatenus alicui loco ἐπιχώριος est: illiusque regionis accolas continue ex æquo infestat: quemadmodum, præter citatos locos, apud Hippo. etiam lib. de aqua, aere & locis, videre est.

Alii Scorbutum morbis totius substantiæ accensent: sed incassum: cum reuera morbi totius substantiæ nulli sint: nam materia & forma ob suã naturam omnis mistionis expertem, non intendi potest, nec remitti: sicque, quatenus vtraque per se cõsideratur, est ἀπαθής: vnde nec ortui, nec interitui, nec aliis perpessionibus obnoxia. Licet autem materia variis substrata sit alterationibus: propter inhærentes sibi hoc in composito qualitates, quarum caussa magis & minus recipit, atque ἀσυμμετρίαν admittit: forma tamen ex se nullam labem sustinet, nullisque adfectio-

nibus & perpeſſionibus ſubiici poteſt: cũ ſit aliquid prorſus ἄτομον & ὅλως ὅλον, cui nulla intenſio aut remiſſio adſcribi poteſt. Qua igitur ratione forma cauſſa ſtatuetur mutationis & adfectionis vel minimæ in parte illa, cuius principium & forma exſiſtit? Qui autem pro morbis ſubſtantię venditantur, recte ſub intemperie compreheduntur: quemadmodum morbi materiæ ſub inſtrumentalibus. Id quod & curatio ſimilis indicat: & temperamentum a tota ſubſtantia non diſtinguitur, cum non pro nuda, ſed ex diſparibus diſſimilium ſubiecti partium temperationibus conflata qualitate ſumatur: quæ ſine ſubiecto ſuo nec ſubſiſtere, nec definiri, nec intelligentia percipi valet. Et morbi totius ſubſtantiæ, (cum neq; inter continui ſolutiones, nec inſtrumentorum adfectus, citra vllam litem reponantur:) aliter non poſſunt lędere actiones partium ſimilarium, quę in proprio ſingularum partium temperamento conſiſtũt, niſi hoc temperamento mutato. Anima enim, quæ eſt forma partium, ἀπαθὴς καὶ ἀπλανής eſt: cum morbi πάθη ſint corporis, non formæ. Pręter temperamentum vero & animam, nihil aliud in parte ſimilari actionibus deſeruit. Forma etenim eſt princeps cauſſa actionum: ſed per ſe, & ſuæ temperie, atq; congrua organorum κατασκευῇ nihil agere poteſt. Si hac ratione, (vt, cum hæc paucis liceat σκιαγραφεῖν, iuxta prouerbium, manum de tabula) morbos totius ſubſtantiæ intelligunt: largiemur ſane illis, & Scorbutum, præter morbos conformationis, & numeri, & ſolutionis continui in ſcelotyrbe paſſim obuios, poſſe etiam ſub morbis totius ſubſtantiæ, non tamen ἀνάλόγως, comprehendi.

EXER-

EXERCITATIO IV.

Caussæ Scorbuti.

MEdici caussam morborum nominantes, efficientem potissimum intelligunt, quæ, siue primo & per se, siue secundo & per accidens, κατασκευὴν corporis alterat, & ex sua natura morbo partem aliquam generationis confert, aut ab hoc, licet non conferat, non tamen seiungi potest: qua semota, morbus cessat: vt testantur Galen. 1. de loc. adfect. ca. 2. lib. de causs. procatarct. cap. 1. & de sympt. different. cap. 1. Hippocrat. lib. de veteri medicina. Hanc in externam & internam secant, cum Galen. 4. de sanitate tuend. cap. 2. 1. Method. medend. cap. 8. 2. de natur. hum. commen. 1. & 5. & lib. de causs. morb. cap. 2. Externam Græci προκαταρκτικὴν, siue προκατάρχουσαν αἰτίαν: Celsus vero in præfat. libr. 1. euidentem vocant: quod sensui pateat, & εὐσύνοπτος sit, dum ἔξωθεν adueniens, corporis naturam transmutat. Galen. 1. de differen. febr. cap. 3. lib. de optim. corpor. constit. cap. 3. lib. de causs. morbor. cap. 2. & 1. de sympt. causs. cap. 6. Hæc caussa etiam πρόφασις ab Erasistrato & Galeno, more antiquorum dicitur: vt apparet ex lib. de causs. procatarct. c. 1. & 2. 1. de sympt. cau. c. 7. & lib. 1. de humor. com. 12. Interna Græcis προηγουμένη, Celso abdita nũcupatur: quod δύσκεπτος & intra corpus in obscuro latitans, corpus alteret, solisq; medicis naturæ meandros νουβυστικῶς scrutantibus pateat. Hęc duplex statuitur. Prior nomen generis retinet: quę non primo, sed alterius caussæ interuẽtu morbi caussa exsistit, quem quidem præcedit, sed nondum cum eo congressa est. Posterior συνεχὴς, προσεχὴς & συνεκτικὴ αἰτία, a Latinis

continens, coniuncta & proxima appellatur. Hæc est τὸ εἶδος ὁμόχρονον καὶ διδόμενον τὸ εἶναι τῷ ὄντι, iuxta Aristo. 2. posterior. analyt. cap. 11. & 7. Metaphys. tex. 59. a qua ἀμέσως fit & pendet morbus: cui tanquam accidenti, quod semper fieri dicitur, continenter & tribuit & conseruat esse, cum morbo durans, cum morbo eliminanda. Quam κυριολογίαν & εὐσυνεσίαν amplectũtur Auicen. lib. 1. fen 2. doct. 2. cap. 1. Gal. 1. de sympt. cau. cap. 5. 2. de facult. natur. cap. 9. de temperie actionis in instrumentis, & intemperie, morbi caussa. 1. de difficult. respirat. cap. 11. 3. de temperam. cap. 1. 7. aphoris. 30. lib. introduct. medic. cap. 8. lib. de optim. secta ad Thrasyb. c. 10. lib. de plenit. cap. 3. & 2. Method. med. c. 4. licet alicubi, vt 1. Method. meden. cap. 8. & lib. de causs. morb. cap. 2. eum εὐστροφώτατον κυριάζειν quidam caperata fronte adseuerent. Ab hac caussa continente immediate emergit morbus: qui est διάθεσις corporis deprauata, & minime cum caussa confundi debet: vti a medicis fit τῷ λογισμῷ destitutis: quod εὐστόχως citra κουφολογίαν sic probatur. In eo indaganda inualetudo, in quo valetudo: quippe hæc inter se opponuntur. At sanitas non est calor, non frigus, non compositio, aut quid simile: sed dispositio secundum naturam, quæ ex caussa sanitatis cõiuncta, similarium scilicet partium εὐκρασία, concinnaque organicarum structura resultat: per quam dispositionem anima primo functiones animalis integras edit. Morbus igitur non erit calor excedens, non frigus superans, non, dolor, aut quid simile: sed dispositio præter naturam, quæ ex caussa morbi coniuncta, similarium scilicet partium δυσκρασία, inconcinnaque organicarum structura resultat: per quam dispositionem anima primo functiones animalis deprauatas edit: sicut

ἀσυμ-

ἀσυμμετρία simplicium, nō est ipsa simplicia, sed a simplicibus ipsis diuersa: vt Plato in Timæo loquitur: & Gal. 8. de placit. Hippoc. & Plato. cap. 4. sentit. Quod etiam hinc liquet. Licet ἀσυμμετρίαι nominibus qualitatum excedentium exprimantur, cum recessus a medio, quod vnicum & simplex est, varii sint & multiplices, qui non absque qualitatibus iis, quæ excedunt, describi & intelligi possunt: non tamen ἀσυμμετρία, quæ ab excedente qualitate est ducta, quoad absolute relationem significat, nec ipsas qualitates exsuperātes, a quibus etiam denominatur, implicat, pro morbo censeri potest: cum relationis absolutæ nulla sit vis aut efficacia, morbus autem omnis primaria ἐνεργειῶν partiū impeditione intelligatur. Necessario igitur alia διάθεσις morbida erit, quæ illam ἀσυμμετρίαν consequitur. Gal. hanc doctrinam lib. de rigor. tremo. palpit. cap. 6. asterisco notat: ὅτι μὲν γὰρ, inquit, ἐπειδὰν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ὅροις μένῃ τῆς κράσεως, ὑγιαίνει τὸ ζῶον, οὐ δεῖται λόγου: τοῦτ᾽ ἔστιν, ὅταν ὡς Ἱπποκράτης ἔλεγε, μετρίως ἔχῃ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν τῆς πρὸς ἄλληλα κράσεως: ἢν δὲ τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου κρατήσῃ, νοσεῖν ἀνάγκη τὸ ζῶον: εἶδος νοσήματος ἐοικὸς τῇ φύσει τοῦ κρατήσαντος αἰτίου. Id est, Quod enim, vbi in naturalibus temperamēti terminis manet animal, sanitate fruitur, verbis non indiget: hoc est, cum, vt Hippocrates aiebat, calidum & frigidum mutuo inter se temperamento mediocriter habent: sin autem alterum altero sit fortius, animal ægrotare necesse est, ea morbi specie, quæ caussę superantis naturæ respondeat. Sic fieri scribit τὰ πυρετώδη πάθη, ὅταν ἡ τοῦ θερμοῦ δύναμις ἐπικρατῇ. Idem εὐσταθὴς Gal. lib. de humorib. repetit: ἔοικε δὲ τὴν ὑγείαν χαρακτηρίζεσθαι τῇ τούτων (χυμῶν scilicet, de quibus loquitur) ἰσότητί τε καὶ συμμετρότητι. ἐνδεόντων δὲ αὐτῶν ἢ πληθυνόν-

των παρὰ τὸ δέον, ἢ ποσότητι, ἢ ποιότητι, ἢ τόπων μεταστάσει, ἢ συμπλοκῇ ἀτάκτῳ ἢ σήψει κακωθέντων, αἱ νόσοι συμβαίνουσιν: ὥσπερ καὶ λέγεται τοὺς νόσους συμβαίνειν τῇ τῶν χυμῶν ἀμετρείᾳ. Conſentaneũ eſt, ſanitatem deſignari humorum æqualitate, atq; commenſuratione ſiue proportione apta. Deficientibus autem ipſis, vel redundantibus præter modum, vel quantitate, vel qualitate, vel locorum mutatione, vel coniunctione ordine carente, vel putredine infectis, morbi accidũt: ſicuti & dicitur, morbos accidere humorum immoderata excedentia. Hac methodo, ex limpidis philoſophicæ medicinæ fontibus, riuulos ad Scorbuti cauſſas demonſtrandas, εὐλόγως deriuabimus.

Cauſſa Scorbuti externa, partim in victu prauo, partim in regionis & aeris vitio, partim in corporis conſtitutione conſiſtit. Et de his ſingillatim neceſſe eſt dicamus: ſic enim initio lib. de aere, aquis & loc. ſcribit Hippocrates. Quicunque artem medicam integre adſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quãtum potentia quodlibet eorum valeat: non enim ſimile quicquam in illis exſiſtit, verum differunt inuicem propter varias, quę in eis fiunt, mutationes. Deinde ventorum calidorumque & frigidorum, maxime, qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox, qui in vnaquaque regione ſunt indigenæ & proprii. Neque vero negligentiorem ſe circa aquarum facultates cognoſcẽdas exhibere cõuenit. Quemadmodum enim guſtu differunt, & pondere ac ſtatione, ſic quoq; virtute aliæ aliis longe præſtãt. Quare, ſi quis ad vrbem ſibi incognitam perueniat, circumſpicere oportet eius ſitum, quomodo ſcil. ad ventos & ſolis exortus iaceat: non ęnim æquales vires ſunt ad ſeptentrionẽ ſitæ, & vergentis

gentis

gentis ad austrum: neq; eius, quæ solem exorientem, & quæ eundem occidentem spectat. Hæc itaque diligenter oportet perscrutari, ac simul, quomodo habeant circa eam aquæ: num, ne palustr. bus vtantur & mollibus, aut duris & ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus ex petris, siue salsis & crudis. Terra etiam ipsa consideranda, nuda ne sit & aquis carens, aut densa & aquosa, & an cōcaua sit & æstuosa, vel alta & frigida. Hominum insuper diæta perquirenda, qua maxime capiantur: an bibuli sint, & lurcones, & otio dediti, aut exercitiis variis vtentes, & tolerantes laborum, ciborumque plus adpetentes, quam poculorum. Ex his enim singula sunt inuestiganda. Nam qui hæc omnia probe, quantum fieri potest, cognouerit, aut horum plurima: eum non latere possunt, cum in vrbem etiam ignotam sibi peruenerit, neque morbi regioni peculiares & patrii, neque communis regionis natura, quæcunque tandem ea fuerit, vt nō possit in cognoscendis morbis dubius hærere aut errare, sicubi ad morbum medicationem adhibeatur. Quæ ambo illis euenire solent, qui non prius prouidi hæc diligenter cognouerunt. Quæ Hippocratis νουθέτησις, si vlli morbo, Scorbuto hercle quadrat. Et, ne ad hos scopulos, quos dius auctor velut in specula collocatus vitare iubet, inauspicato impingamus, lynceis oculis omnes Oceani angulos rimabimur. Magnam vim morborum procreationi victum suggerere, apud Germanos præsertim, qui, licet iuxta Senarium, οὐκ ἔσθ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ, Pythagoræ δίαιταν καθάρειον, ἄθρυπτον, cum Dario Persarum rege, 10 Athenæi, adspernantur, experientia docet: quod etiam adfirmat Galen. 3. aphorism. decimonono, 1. aphorism. 17.

1.de humor.com.12.lib.de rig. trem.palp. cap.7.& 2. de ſympt.cau.cap.5.Hippoc.lib.2. de nat. hum.com. 2.& 3. Imo, cum potus & cibus inter ſex res vocatas non naturales, maxime neceſſariæ ſint homini, proinde ab aliis facilius, ab his duobus difficilius, minuſque cauent ſibi, vel cauere volũt homines: vt auctor de podagra aph.13.ſcribit. Exemplum proponit Gal. 2.ad Glaucon.cap.10.de plurimis in Alexandria Elephantis morbo correptis, qui farinam elixatam, lentem, cochleas, pura ſalita, carnes aſininas, & alia quædam, quæ craſſum & melancholicum humorem generant, comederunt. Et 1.de facult.alim.cap.vlt.ſcribit: cum anni conſtitutio praua aliquando fuiſſet, lolium affatim tritico innaſci contigit: quod cum neq; agricolæ adcommodatis ad eam rem cribris exacte purgaſſent, neque piſtores, quod paucus eſſet tritici prouentus: ſtatim quidem multis caput dolere cœpit: ineũte vero æſtate in cute multorum, qui comederant, vlcera, aut aliud quoddam ſymptoma, quod ſuccorum prauitatem indicaret, eſt ſubnatũ. Et Hip. 6.Epid.ſect.4.comm.13.& lib.2.ſect.4. ἐν Αἴνῳ ὀσπειοφαγέοντες ξυνεχέως θήλιαι ἄρσενες, σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο, καὶ διετέλεον: ἄταρ καὶ ὀροβοφαγέοντες, γονυαλγέες. In Æno legũmina edẽtes aſſidue fœminæ & mares cruribus imbecilli euadebant, & permanebant: verum etiam eruum comedentes, genuum dolorem contrahebant. Quæ verba Gal.lib.2.de nat. hum. com.3. repetit & addit: ἴσμεν δὲ, ὅτι καὶ πυρὸς ἡμισαπεῖς διὰ λιμὸν ἀναγκασθέντες ἐσθίειν τινὲς κοινὸν ἀπὸ τῆς κοινῆς αἰτίας ἐνόσησαν νόσημα καὶ στρατόπεδον ὅλον ὕδατι μοχθηρῷ χρησάμενον, ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς στρατιώταις τὴν βλάβην ἔσχε. Scimus, ait, quod quidam in fame edere coacti triticum ſemiputre, a communi cauſſa morbo communi labora-

berarunt:& quod olim exercitus vniuersus, cũ aqua vitiata fuisset vsus, in omnibus militibus pariter malum sensit. Eiusdem etiam rei, 1. de facult. alimen. cap. 29. meminit. Quæ exempla non inepte Scorbuto conueniũt: qui a victu maxime frigido, exsucco, crasso & corrupto oritur. In quo albo sunt omnes frigidi cibi, inprimis vero sale suffituque macerati, petaso & succidia infumata, subinde rancida & mucida, plerunq; etiam cruda vorata: isicium quoque: caro item suilla a coctione nonnunquam subolida: pisces item fumo indurati, tabescenteque sale conseruati, vt hærengi, aselli, passeres, & raiæ siccatæ. Sic etiam culpatur muries salsamẽtorum in reliquis animalium carnibus: cadi item ferinæ muriaticæ: qua familiæ in aulis principum fere toto anno pascuntur. Hæc omnia ob substantiæ duritiem crassos & melancholicos generant humores, difficile coquuntur, velociter corrumpuntur, & prauæ indolis alimentum corpori suppeditant: quod testantur Galen. 1. de facult. alim. c. 18. lib. item 3. cap. 41. sect. 2. aphor. 18. & comm. 2. ex Hipp. lib. de vict. idiot. lib. de atra bile cap. 4. Auicen. lib. 2. fen 1. doct. 2. cap. 15. & lib. 7. fen 3. cap. 2. & Gentil. lib. 1. fen 2. doct. 2. cap. 16. quæst. 17. Omnem præterea victum, qui melancholicum & crassum generet sanguinem, Scorbuto aptum, descripsit Gal. lib. 3. de loc. adfect. cap. 7. hoc ordine. Qui melancholicum sanguinem efficiunt cibi, hi fere sunt: caprina, bubulaque caro, magisque hircinæ & taurinæ, sed maxime asinorum camelorumq; carnes, nam & his nonnulli vescuntur: item vulpinæ caninæque carnes: atq; magnam in huiusmodi sanguinis generatione vim obtinet ex lepore cibus, sed multo magis ex apris: ac limaces quoque melancholicum sanguinem generant,

si frequens sit eorum vsus: præterea omnes terrenorum animalium carnes sale cõditæ: aquatilium quoque carnes, vt thunni, balenæ, vituli marini, delphini, canis atque cetaceorum omnium. Ex oleribus autem brassica fere sola huiusmodi sanguinem gignere consueuit: quemadmodum & arborum germina, vbi vel muria vel oxyphalme condiuntur: præcipue lentisci, terebinthi rubi, cauis rubi. Leguminum vero omnium maxime lentes inter melancholicos cibos numerantur: mox panis furfuraceus, & qui ex typha, atq; vitiatis seminibus factus est, quorum apud quasdam nationes vsus loco frumenti habetur. Præterea vina crassa, nigraque aptissima sunt, vt ex ipsis melancholicus humor fiat, præsertim si quis abunde ipsa ingerẽs oblata occasione in multo corpus calore contineat: vetus denique caseus, vbi forte fortuna in corpore fuerit supercalefactus, facile huiuscemodi parit humorem. Idem lib. de renum adfect. dignos. c. 6. de ceruina: & Hipp. lib. 4. de vict. rat. in acut. aphor. 98. de bubula: & Galen. lib. de atra bile cap. 4. de taurina carne adfirmant. Quod repetit idem libro 3. de temperam. cap. 2. & 2. aphor. 18. & inprimis 3. de facult. alim. c. 1. Idem cum Galen. 2. de temperam. c. 2. de aliis animalium carnibus, quæ ob sen u ad extremam perductæ sunt siccitatem, dicimus: si præsertim infumatæ a salariis sint: quarum vsus cotidianus est in regionibus Septentrionalibus, nautibus maxime marinis apud Hollandos & Phrysios: vt & piscium muriaticorum pelagicorũ, antacæi, albici, hærengi, galbionis siue rocheti, omniumq; cetaceorum, qui stomacho stomachum faciunt, & plus excremẽti, quam alimoniæ suggerunt. Eodem nomine reprehenduntur ex auitio & nessotrophio volucres aquaticæ. Tales

les ſunt, anas torquata, fulica, querquedula, colymbus, mergus, σκολόπαξ, ardea, gauia, culicilega, & ſimiles. In alendo enim ex his auibus, quę in media ſpecie ſunt, valentior ea, quę pedibus, quã quę volatu magis nititur: & ex his, quæ volatu fidũt, firmiores ſunt, quę grandiores aues, quam quæ minutæ ſunt, vt ficedula & turdus: atq; eæ quoque, quę in aqua degunt, leuiorem cibum præſtant, quam quę natandi ſcientiã non habent: teſte Celſo li. 2. c. 17. Quæ aues in ſtagnis aut paludibus viuunt, earum carnes humidæ ſunt, & excrementitiæ, concoctu difficiliores: vt contra ad coquendum facilior caro perdicis, attagenis, columbę, galli gallinacei & gallinæ: ſicut apud Gal. 3. de facult. alim. c. 19. videre eſt. Similiter & proſcriptione digna ſunt in Scorbuto ea, quæ aceto diu immerſa fuerunt. Hip. li. 3. de vict. rat. in acu. aph. 38. ſcribit: quæ ab aceto eſt acredo, picrocholis magis, (i. qui amarum ſibi contraxerunt ſuccum, cuius generis eſt bilis flaua, vt Gal. in com. refert) quã melancholicis prodeſt: amara ſiquidem diſſoluũtur, deſciſcuntq; in pituitam, cum ab aceto in ſublime attollũtur: nigra autem fermentantur, attolluntur & multiplicãtur: nempe atra educit acetũ: quod, iuxta Gal. ibid. melancholicis aduerſiſſimum exſiſtit: nam & bilem nigrã acidam eſſe cõtingit: cum ſcilicet præter naturam habente corpore & ſincera & impermiſta fuerit. Prodigus porro aceti vſus ſcorbuticis obeſt: nõ quod promtiſſime in melancholici humoris naturam trãſeat, cũ & qualitatib. inter ſe cõuenire videantur: vtcunq; ẽt ventriculi appetẽtiam animalem ſopitã excitet: ſed ꝙ ſanguinem reliquoſq; humores vberrim frigefacit acetum; & ſic μόλυνσιν συνεχὲς ſcorbuti αἴτιον promouet: qua ratione acetum temperamento calidiori cõfert: vti contra in

melancholicis adfectibus eius vſum reformidamus. Et hanc δύναμιν impenſe iuuat aceti ſubſtãtiæ tenuitas: quam Gal. 4. de ſimpl. medic. facult. cap. 12. producit, & addit: ineſt vero illi & acrimonia quædã excalfaciens: quæ tamen ſatis non ſit ad ſuperandam ab aciditate prouenientem frigiditatem: verum quæ tranſitus modo celeritatem promoueat. Nam quanto calidum frigido facilius penetrat, tanto acris ſuccus aptior eſt, qui ſenſibilium corporũ meatus tranſeat, quam acidus. Itaque ille velut præcedens viam ſternit: hic vero haud longe inſequitur.

Eodem modo braſſica, fregopyrum, lenticula, cæpe & allium culpantur. Gal. 2. de facult. alim. cap. 44. inquit: lens & braſſica æquali inter ſe menſura ſiccãt: ac lens quidem non exiguum corpori dat alimẽtum, idque craſſum ac melancholicum: braſſica vero paucum habet alimentum, idque, quam lens, humidius, vt quæ edulium eſt non firmum, ſed laxum: ſuccum tamen habet non probum, vt lactuca, ſed prauum & graueolentem. Idem 1. de differ. febr. cap. 3. braſſicam inter praua cibaria, quibus hoc ipſum eſt a natura inſitum, recenſet. Et 1. de facul. alim. cap. 18. ſcribit, iure eos, qui largius lente ceu edulio vtuntur, elephantiaſia, quam vocãt, & cancros incurrere: ſiquidem craſſa, ſiccaque cibaria, ſucco melancholico generando ſunt idonea: item ſanguinem craſſiorem & nigriorem generat, lib. de atra bile, cap. 4. Nec digniore loco reponũtur cetera legumina. Hæc autem ſunt Gal. lib. 1. de facul. alimen. cap. 16. talia: ὄσπρεια καλοῦσιν ἐκεῖνα τῶν δημηλείων σπερμάτων, ἐξ ὧν ἄρτος οὐ γίγν., κυάμους, πίσους, ἐρεβίνθους, φακοὺς, θέρμους, ὄρυζαν, ὀρόβους, λαθύρους, ἀράκους, ὤχρους, φασήλους, πλλὼ, φακλὼ, εἴτε τι τοιοῦτον. Legumina appellant ea Cerealia ſemina, ex quibus panis non fit,

fit, vtputa, fabas, pisa, cicera, lentes, lupinas, oryzam, eruum, cicerculas, aracos, eruilia, phaselos, fœnumgræcum, lentem, &c, si qua sunt similia. Ex quibus, teste eodem lib. περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας, cap. I. & lib. 4. de rat. vict. in acut. aphor. 92. cum coctu difficilime sint & praui succi, flatus, humores crassi, & sanguis, ad carbunculos & similes morbos melancholicos aptus generatur.

Maximi etiã momenti in Scorbuto est panis squarosus biscoctus δίεφθος: quo nautæ plurimum vescũtur: vnde & ναυτικῶς appellatur: item acerosus, & minime pollinarius: vt & subcinerius. Auic. libr. 2. Can. tract. 2. ca. 572. scribit: Oportet, vt panis sit mundus, salitus, belle subactus, fermentatus, probe coctus & hesternus, id est, post biduum, non repositus. Non tamen actu calidum intelligimus, prout ex furni fornice aut artopta extrahitur: hunc enim deuoratum sitim & repẽtinam plenitudinem inferre, quod tum exsiccet, tum tarde descendat, scimus ex Hipp. lib. 2. de vict. rat. in acut. com. 34. Panis vero biscoctus, buccellatum præsertim, vetustate induratus & submucidus est, qui nimium exsiccat, ideoq; melancholicum succum generat, minusque alit: non secus ac miliarii & paniacei panes, quibus vrgente aliarum frugum penuria nonnunquam vtebantur tempore Galeni, vt ait 1. de facult. alim. cap. 15. qui aridi sunt ac friabiles, nihilque lentoris habent, qui vel maxime in pane requiruntur: vt patet ibidem initio c. 18. & 10. Ne multa dicamus de coctura: cum optimus certe panis ac saluberrimus fuerit homini neque iuueni, neq; exercitationibus dedito, qui tum salis, tum fermenti habet plurimũ, (quatenus gustu nullum adhuc sensum tristem ex ea mistura percipit:) quiq; plurimum

ab artifice ante, quã formetur & assetur, sit subactus; & in clibano mediocriter calido assatus: vt Gal. eod. lib. cap. 4. monet: siue iam sit ἄρτος κλιβανίτης, siue ἐσχαρίτης Atheniensium opsonium. Quã & ob caussam ab esu crustæ panis delicatiores abstinent: cum, iuxta Hippocr. lib. 4. de rat. vict. in acut. aphoris. 102. ob assationem ambusta, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sint inhabilia, choleramque pariant propter eam, quæ his accedit, acrimoniam: vnde necessario succi adusti oriuntur. Cui Gentil. quoq; super Auic. lib. 1. fen 4. cap. 1. adstipulatur.

Quin & mulctrale ad Scorbuti prouentum non parum momenti adfert. Etsi enim lac Aristoteli lib. 4. de generat. animal. cap. 8. definiatur sanguis coctus eo, quod e pinguiore atque edulcata sanguinis parte, singulari in glandulis mammillarum rumarumque γαλακτοποιητικῇ vi elaboretur: quod Hippocrat. etiam lib. περὶ φύσεως παιδίου significat: ἀπὸ δὲ πίονος διαθερμαινομένου καὶ λευκοῦ ἐόντος τὸ γλυκαινόμενον ἀπὸ τῆς θέρμης τῆς ἀπὸ τῶν μητρέων, ἀποθλιβόμενον ἔρχεται εἰς τοὺς μαζούς: non tamen purum suppeditat alimentum corpori, cum non sit corpus ὁμοιομερὲς: sed χύσις ipsius ostendat, illud constare butyrosa, caseosa & serosa substantia, tanquam propriis & proximis partibus: quæ inter se diuersæ sunt: vt videre est apud Galen. 10. de simpl. medic. facult. & lib. 1. & 4. cap. 17. 2. de element. cap. 2. & 3. de facul. alim. cap. 16. Lac quidem substantiæ & temperamenti adfinitate est εὐανάδοτον καὶ εὐαλλοίωτον: quod homines reddit robustos, & hepar succulentum: quod copiosum sanguinem, spiritus, semen & lac generat: &, (vt Rhazes ad Almansor. li. 3. c. 15. scribit:) corporis molem & obesitatẽ adipisci volentibus adcõmodatissimum habetur: imo a Gal.

5. aph.

5.aph.64. inter illa recēſetur, quæ bonum ſuccum generant, quæcūq; ſcil. poſt coctionem ad bonum humorem tranſmutantur, hoc eſt, ad ſanguinem: hic enim humor eſt nobis amicus. Hac quidē ratione minime lac auerruncamus: idem tamē Gal. certis limitibus ſua includit lib. 3. de facul. ali. c. 15. Inquit enim: omnium fere, quæ mandimus, lac optimum optimi eſt ſucci: verum caue, male accipias, quod iam pronunciauimus. Non enim ſimpliciter diximus, lac omne optimi eſſe ſucci, ſed præterea optimum adiunximus. Nam lac quidem, quod vitioſi eſt ſucci, nō adeo probum ſuccum gignit, vt non malo ſucco vtentium corpora impleat. Quod nutricum prauo victu vtentium, caprarum item aliorumve animaliū ſcammoniam aut tithymallū depaſcētium exemplis probat: & addit: quantum in ſingulis generibus vnumquodq; ab optimo deficit, tanto cōmodis, quæ optimum id nobis præſtat, eſt inferius. Item: lac, quod ſeroſam humiditatē habet exiguam, caſeoſam aūt craſſitiem multam, omnibus, qui ipſo multū vtuntur, eſt periculoſum. Nam eos quidē renes offendit, qui calculis generādis ſunt adpoſiti: iecur item obſtruet iis, qui hoc adfectu facile prehendi poſſunt: tales autem ſunt, quibus fines eorum vaſorum, quæ cibū ex ſimis viſceris in gibba tranſſumunt, ſunt anguſti. Thoracis autem & pulmonis partibus lac omne eſt vtile: capiti vero, niſi quis ipſum habeat admodum firmum, non eſt accōmodum, vt nec hypochondriis, quæ leui de cauſſa inflātur: in plurimis enim in vētriculo vertitur in flatus, ſuntq; pauciſſimi, quibus id non accidat. Si vero cum aliquo eorum cibariorum, quæ craſſi ſunt ſucci, diutius elixum fuerit, flatuoſam quidem naturam deponit, ſed iecur magis obſtruit, & calculos

in renibus promtius gignit. Item, quod dignissimum scitu in Scorbuto est, subiungit: nocet lactis vsus assiduus dentibus, & circumdatis carnibus, quas gingiuas nominant. Has enim humidas, dentes vero putrefactioni & erosioni admodum obnoxios reddit. Sumto igitur lacte, os vino diluto colluere cõueniet: satius autem fuerit, si mellis etiam quidpiam ipsi inieceris. Ita namque omne caseosum, quod ex lacte dentibus ac gingiuis circumfixum fuerit, abstergetur. Quod si etiam cuipiam tam robustum sit caput, vt vini meri collutione nõ offendatur, melius is dentibus & gingiuis consuluerit: veruntamen & mel vino permistum, misturam ex vtroque reddit meliorem. Illud vero dẽtium incolumitati tutissimum aduersus lactis iniurias fuerit præsidiũ, si quis post sumtum ipsum primo melicrato, deinde vino adstringente, os colluat. Lib. 5. autem aph. 64. & 4. de simpl. medica. facult. cap. 17. scribit: quod lac facile duplici modo alteretur: dum in ventriculo quidem frigidiore, in sanis, si non bene concoquatur, prorsus acescit, in calidiore vero in nidorẽ abit. Lac vero bene concoctum nutrit, & bonos facit humores: &, dum concoquitur, pariter attollit hypochondria, ac caput petit. Idem Auic. 7. tract. 3. cap. 2. sentit. Et ὁμόψηφον testimonium occurrit in eius interprete Gentili: qui lib. 1. fen 3. doct. 3. cap. 2. quæst. 3. ait: Lac senibus conuenit in stomachis temperatis: & maxime, quando partes & viæ hepatis non sunt strictæ: nam cum ventriculus est calidus, lac conuertitur in vaporem, qui acutus generat pruritũm: si autem stomachus sit frigidus, generatur flatus, qui dolorem & tumorem facit maxime, cum partes hepatis sint strictæ. Hinc liquet, multum ad Scorbuti generationem cõducere

finistrum

finiſtrum lactis vſum: dum non ſolum in ventriculo dyſcrato acorem contrahit, & coit: ſed etiam non emunctum præſertim & glaciatum ob craſſitiem obſtructiones in vaſis creat, & flatibus hypochondria diſtendit, quamuis muſteum: (vnde Hipp. lib. 5. aph. 64. ſcribit: γάλα διδόναι κακὸν, οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα): atque ipſis gingiuis & dentibus aduerſatur. Non autem minores noxæ lactis quam ſanguinis concretionem & corruptioné comitantur. Mulctram iccirco porculatoribus, & qui pecus numellis inducunt, vaccimulgiſque & ſegetes runcantibus, commendet Scorbuticus.

Eadem trutina fiſcellas & crates caſearias forariarum ponderamus. Solet enim caſeus craſſos ſuccos generare, obſtructiones parere, vẽtrem flatibus obfercire: &, vt Galen. 3. de fac. aliment. cap. 17. ait, nihil conferre, neque ad coctionem, neque ad diſtributionem, neque ad mouendam vrinam, neq; ad ventris deiectionem, ceu vtiq; nec ad ſucci probitatem. Et 2. aphoriſ. 18. duri caſei tardiſſime & paulatim nutriunt. Et 1 de natur. hum. com. 36. vt & Hippocr. lib. de adfect. ſcribunt, caſeum facile verti in pituitam. Idem Hip. lib. de veteri medicina ait: malum edulium eſt caſeus: dolorem enim adfert repleto ex ipſo. Et 4. de vict. rat. in acut. ſent. 91. caſeus flatum parit atq; adſtrictionem, ciboſque accendit, & crudum quoque incoctumque exiſtit: atque iis, qui ſe potu repleuerunt, deterrimum eſt. Vbi Gal. addit: caſeus craſſum ſuccum & coctu difficilem parit: grauat os ventris, primumque corrumpitur, & alia deinceps ſecũ corrumpit. Et ſupra ex Gal. 3. de loc. adfect. ca. 7. veterem caſeum ad melãcholici humoris generationem plurimum facere diximus. Et Gentil. ſuper Auicen. lib. 2.

tract.2.c.127.quæst.1. bene ſanis caſeum non competere vult, quia tam antiquus, quam nouus & κακόχυμος, id eſt, mali & craſſi nutrimẽti: quia ipſe eſt pars terreſtris lactis. Quãquam hoc de muſteo caſeo non intelligamus. Licet enim hic, teſte Gal com.4.de rat. vict.in acut. ſent.91. duro & ſicco flatuoſior exſiſtat: nullam tamen, auctore eodem 3. de facult.alim.c.17. vehementem habet qualitatem, ſed dulcem ſupra alias parum eminentẽ: & mediocriter ſalitus præſtantior eſt eo, qui eſt permultum, & eo, qui omnino ſalis eſt expers: ſuauis inſuaui: cuius qualitas paulatim marceſcit, eo, cuius contra perdurat: quiq; demum medius eſt inter glutinoſum, & eum, qui ad aſperitatem vſq; friabilis eſt.

Poculentis, quæ Scorbuto fomenta ſuggerunt, vina craſſa & nigra cum Gal.3.de loc.adfe.7.c.adnumeramus. Quamuis enim vina craſſa & colore rubea, omnium vinorum maxime nutriant: inſit etiam eis & citiſſime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione: vt idem 2.aphoriſ.11.ſcribit: facile tamen propter conſiſtentiam, ſi præſertim ob dulces illecebras affatim ad helucum ingurgitentur, obſtructiones pariunt, atque ægre cum chylo ſubiguntur. Hinc Gentil.ſuper Auicen.lib.1.fen 4.cap.11.q. 4.ait: vinum, præſertim dulce, prouocare vomitum, quia ſubleuat cibum, & dulcedine ſua relaxat ſtomachum. Et, cum τάχιστα καὶ ἀθροώτατα οἶνος τρέφει, iuxta Gal.2.aphor.18. hoc autem in celerrima in corpus diſtributione ſitum ſit: patet, vina craſſa ideo non recte nutrire, quia tardius diſtribuãtur: vnde, quia diutius hęrent in ventriculo, facile nauſeam prouocant: quod Gal.lib.de atten.vict.rat.cap.12. de vino Pontico ſcripſit. Et 3.de facul.alimen.cap.40. quæ vina admodum

modum sunt crassa, tardius perficiuntur ac distribuuntur: si tamen in ventriculum adeo robustum incidant, vt confici recte ab eo possint, alimentum corpori copiosius exhibebunt. Et lib. de succor. bonitate & vitio, cap. vndecimo: iis, qui recreatione opus habent, concedendus est vini dulcis vsus, præcipue vero, si nihil his vitii fuerit in iecore, liene ac renibus: quibus vero crassus in venis humor redundat, iis substantia tenue ex vsu est. Accedit & hoc incommodi: quod superfluum in his vinis ob crassitiem non possit attrahi a lienis vasis, & ad arterias deturbari emulgentes. Vnde necessario regurgitat ad hepar, & Scorbuto alimoniam largitur eo, quo mox in caussa interna dicemus, modo. Id Gal. 3. de facult. aliment. cap. 40. his verbis adserit: constat præterea, quod, quemadmodum vina crassa corpori alendo tenuioribus sunt præstantiora, ita ad vrinam ciendam sunt deteriora. Et de attenu. vict. cap. duodecimo, vina, quæ crassa simul sunt & nigra & dulcia, crasso sanguine venas referciunt. Huc referimus vina Cretica, Pucina, rubra, Tergestina, Valturrena aut Valtelina in Lepontiis, Athesina quoque, & nonnulla Françica: mustum item protropum & defrutum: quibus plerique ad tempestatem commessationis vsque delectantur. Sicuti autem in Scorbuto vina crassa eliminanda sunt: ita tenuia & aquea, vt & lorea, suspecta sunt. Separatione Spagirica deprehendimus, tenuibus vinis exiguum inesse spiritum, balsamum, Mercurium siue elixir: qui tameti spiritus spiritibus humani corporis cognatus sit: fœcundissimum vero phlegma, illaudatam scilicet aquam, nec sapore, nec odore commẽdabili: sal quoque Tartareum copiosum. Quemadmodum autem

ſolus ſpiritus nutrit: ita tartarum illud fæculentũ oppilationes ſplenis in Scorbuto generat: vnde, cum redundãs inſipidum vini phlegma a liene exſugi nequeat, neceſſario vniuerſum corpus aquoſo phlegmate repletur, & ſymptomata varia cientur. Quæ vina alba tenuia extra vinorum limites potius ſunt ponenda, quia vehementius infrigidant, quam aqua. Vina enim talia, cum maiori parte ex vuis immaturis a torculariis exprimantur, ſaporem plerunque acerbum ſecum vehunt, qualem in muſto circumciſito vectiarii deprehẽdunt: cuius vi qualitatem ſuam exſerunt. Eodem ſenſu Gal. 2. aph. 11. & 18. ſcribit: aquoſa, alba & tenuia vina, ſicut aquæ ſimilem formã habent, ita etiam vim: ideoque pauciſſimum præbent corpori alimentum, & celerrime per vrinam excernuntur, quia celerrime tota fere anticipant reſumi. Cum itaq; vina tenuia plus excrementi aquei, quam floris temeti generoſi contineant, non probantur in Scorbuto. Plus enim ichoris in ventriculo coacervabitur, quam vt a liene poſſit attrahi, indeq; per tubos vrinæ extrudi.

Vlterius inter poculenta, quę Scorbutum fouent, primas obtinent ceruiſia craſſa, & non bene defæcata: corruptarum item aquarum vſus in dulcium penuria, aere præſertim feruidiore. ζῦθος Ægypti, βρύτπον Heſychii, βρύτον Athenæi 10. Nortmannis, Picardis, Arteſiis, ceteriſq; Gallobelgis Bierre & Ceruoiſe, Anglis Britanniſve Ala, Hiſpanis Cælia & Cęrea: a quibuſdam οἶνος κρίθινος, vinum hordeaceũ dicitur: quod perinde ac vinum inebriet. Priſci ex ſola aqua & hordeo crudo parabant, ſine lupulo: quare, teſte Dioſcor. lib. 2. cap. 79. renes lædit & neruos, cerebri membranis pręcipue potus noxius: inflationes idem excitat,

excitat, malosque in corpore humores: quin etiam elephantiasin facit. Lupulus autem salictarius hanc noxam corrigit, dum aperiendo abstergit, & per venas crassa pituitosaq; excrementa venarum, renum, vesicæ, citra insignem calefactionem educit, sanguinem defæcat, eiusq; ebullitionem compescit. Quamuis autem nunc accuratius nostræ cereuisiæ coquantur, quæ vicem vini gerunt: diuersam tamen sortiuntur indolem, prout e diuersis frugibus maltum paratur. Triticeum enim & πολυστιχὸν rubicũdam & subfuscam: ex hordeo disticho, auena zea, triticoq; commixtis albidam & limpidam reddit bieram: hæcque vt humectando refrigerat, minusque alit: ita illa salubre alimentum suppeditat. Exuit quoq; zythum genuinam naturam, si ab ingluuiei, popinis & ganeis deditis, malto baccæ lauri, gentiana, zedoaria, farina fabarum, helenium, lauendula, chamæpitys, rosmarinus, hormini flores, addantur. Quin nonnulli cuculum siue cucubalum Indianum, seu furiosum solanum, semen item hyoscyami, sileris montani & coriandri, nec non radicem chamæleontis, qua columbarii ceu esca vtuntur, vt multis columbis περιστεροτροφεῶν impleant, miscent: vt halitus caput feriat, & abditissimas cerebri permeat membranas. Nec desunt nonnusquam inexsaturabiles nummorum vafri homines, qui maltum lixiuio ex aqua vitæ, & aqua salsa macerant, nec non pro lupuli floribus camini fuliginem substituant: vt eo plus sitiantur bieræ, quo plus sunt potæ. Quin eandem ob caussam plurimi ad tantam rediguntur trucitatem, vt etiam ossa funeratorum hominum cereuisiæ incoquant. Sullæ hi insistunt vestigiis: cui non satis fuit viuis hostibus illudere, nisi mortuorum etiã ossa, a sepulcris canino more

ęruta in fluuium mergi iussisset: vt de Marii cadauere historici scribunt. Hi non solum pietati orthodoxæ recalcitrant, sed etiam Imperatorum legibus, quę insertæ sunt Pandectis Iustiniani sub tit. de religios. & sumt. fun. ne inquietarentur ossa corporum eorum, qui iustæ sepulturæ traditi, id est, terræ conditi fuere: neq; loco mouerētur, nisi iussu Pontificum vel Principum. Si iccirco cereuisiæ debito modo non pręparentur, stomacho, renibus & vesicę officiunt, stillicidia vrinæ, cruditates, suminis inflationes & obstructiones pariunt. Idem intensius pręstant, si non ad satietatem vsque deferbuerint: vnde raro exactam claritatem nāciscuntur, sed lixiuii nuper fusi faciem repræsentant. Hæ fæces, cum sint terrestre sedimētum cereuisiæ, quemadmodū ob grauitatem fundum dolii petunt, ita in corporibus subsidunt, pertinacius concoquuntur, crassosq; humores cōflant, si præsertim cum temeto conferas. Quæ vero imperfecte coctæ sunt, parum nutriunt, infrigidant & nauci ichore onustum corpus reddunt: quod in Coyta Hollandię, & Brabantiæ, Hannoniæ & Flādriæ ceruisiis plebeiis apparet. Sicut & temulentia ex ceruisia, quam vino deterior est, diutiusque durat: quod fumi inde longe crassiores ad caput eleuentur, & tardius discutiantur, quam ex mero. Eadē potus ex hordeo ratio est, quem Curmi Diosco. lib. 2. c. 79. vocat: qui capitis dolorem mouet, malum succum gignit, neruis nocet.

Hic haud ita siccis, vt aiūt, pedibus aquæ corruptę sunt transeundæ: quæ quantum in variis morbis, maxime Scorbuto, polleant, manifestum fit ex Hippocrate lib. de aere, aquis & locis, cap. 3. vbi hæc leguntur: Aquæ plurimam partem conferunt ad sanitatem. Quæcunque igitur palustres sunt, & stabiles, ac

lacu-

lacustres, eas necesse est æstate esse calidas, ac crassas, & olentes. Cum enim non defluant, sed aqua pluuia semper noua inferatur, & sol vrat, necesse est ipsas decolores esse, & prauas ac biliosas: hyeme vero glaciatas & frigidas ac turbatas præ niue ac glacie, vt pituitosissimæ ac raucosissimæ exsistant: bibentibus autem splenes semper sunt magni ac pleni: & ventres duri, tenues ac calidi: humeri vero & claiculæ & facies attenuata. In splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles exsistunt. Edaces autem esse tales ac siticulosos par est: ventresque tum supernos, tum infernos calidissimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant. Atque hic morbus ipsis & æstate & hyeme familiaris est. Adhæc etiam hydropes plurimi ac lætalissimi fiunt. Æstate enim dysenteriæ multæ ac alui profluuia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropes deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt. Hyeme vero iunioribus quidem peripneumoniæ, & insanię morbi: senioribus vero febres ardentes, propter ventris duritiem. Mulieribus autem tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnus ac tumidus: deinde ex alimentis tabescentes, ac deprauati fiunt: & purgatio commoda post partum mulieribus, non contingit. Pueris vero herniæ accedunt, & viris varices, & vlcera in tibiis. Quare fieri non poteſt, vt tales naturæ longæve sint, sed ante temporis aduentum senescunt. Præterea fœminæ se in vtero habere putant: &, vbi partus tempus adest, ventris moles illa ac plenitudo euanescit. Hoc autem contingit ex aqua, cum vteri ex aqua concepta laborant.

Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse censet Hippocrates. Exemplum quoque recitat Gal. in Hippoc. lib. 2. de nat. hum. com. 3. de exercitu: quod supra adduximus. Et 1. de differ. febr. cap. 3. scribit: nonnullos quidem a putridis ac pestiferis febribus interiisse: nõnullos autem pustulas instar scabiei ac lepræ in corpore contraxisse, qui post prauos cibos, aut natura quidem optimos, sed ob quosdam putrefactionis modos aliquod vitium contrahẽtes, feculentam vel lutulentam, atq; ex lacunis, vel piscinis, siue paludibus, siue quouis alio, corruptã ac putridam biberint aquam. Et 2. de sympt. causs. cap. 2. ex frigida intempestiue hausta tremebundos quosdam redditos. Beniuen. vero de abdit. cap. 16. vt & Amat. Lusitan. centur. 2. curat. 62. Scaliger item de Subtilit. Exer. 33. prorsus exstinctos, adfirmant. Et Aet. tetrab. 3. serm. 2. cap. 7. aquæ largiorem potum, & olera humectandi vi prædita, ad splenis magnitudinem magnopere conferre scribit. Præterea Plutarch. in vita Antonii recitat, Antonianos milites post stragem a Parthis acceptam, Fuluii Galli, qui ordinem ducebat in exercitu, incuria fame maxima pressos: quæ adeo inualuit, vt pro hordeaceis panibus ad herbas radicesque comedendas adigerentur: quin notis iam deficientibus, ad incognitas herbas se verterẽt: quarum venenis insani facti, tandem moriebantur. Reliqui Romani siti acrius inualescente, demum ad flumen quoddam peruenere, cuius hausta aqua doloribus maximis adficiebantur. Sic Q. Curtius lib. 7. scribit, Alexandri Magni exercitum Suscitanorum loca deserta & inaquosa, ex solis ardore ęstuantem, cum tandem ad flumen Oxum peruenisset, plures ex frigidæ intẽperato hausto intercluso spiritu exstinctos, quã

vllo prælio amisisset. Similiter Alexan. Gulielm. Tyrius lib. 3. cap. 16. recenset, Christianum agmen Pisidiam ingressum regionem arentem & inaquosam, tandem inuento fluuio, quod quidam, qui largius aquam frigidam ingurgitauerunt, sitis discrimen euadentes, mortem in aquarum opulentia reperiere. Et Marcell. Donat. lib. 4. histor. Medic. mirab. cap. 6. ex Appiani Alexādrini lib. 5. de bellis ciuil. recitat, Cornificianos milites a Pompeianis pugna fatigatos & æstuantes, fontanam aquā auide bibentes, ex iis plurimos emortuos. Similiter ex historiis veterum scimus, Stygos nomine duos memorari fontes mortiferæ naturæ: inter quos alter ad Nonacrim Arcadiæ montem, constipatione viscerum, iuxta Senecam, vel frigiditate insuperabili argenti viui iuxta Plinium & Theophrastum, strangulat: alter in Thessalia æs ac ferrū erodit acrimonia. Ita Vitruuius in Beroso Taurorum colle trium fontium sine remedio, sine dolore mortiferorum meminit. Idem de aqua in Crobi regno in Alpibus: idem de Neptuno Terracinæ fonte: idem de Lyco fonte Siciliæ in Leontinis, (vt Fazelus de rebus Siciliæ, & Plin. lib. 35. c. 2. & ex his Andr. Baccius libr. 8. de thermis, pag. 378. scribunt:) videre est: ex quibus qui bibunt, enecātur. Cychros autem, iuxta Theopompum, in Trecha vel Thracia tanto scatet veneno: vt non solùm qui biberint ex eo, moriantur, sed etiam qui lauerint. Et Bruyerinus lib. 16. de re cibaria ca. 17. mentionem facit fontis apud Nicea: cuius licet classis Gallica & Hispana vim ingentem impune hausisset, atque in vsus nauigationis reposuisset, nōnulli tamen ab ipso statim haustu in tam intolerabilis alui torsiones incidunt, vt vix mutire possint, vel etiam spirare. Sic hodie in Carinthia &

Stiria homines corripiuntur gulę tumore, quem Ligures Taurini gutturonem, barbari bocium gulæ, Græci βρογχοκήλην quasi herniam gulæ nominãt. Hic ob vitiatas aquas gignitur, vt etiã quãdoq; voce priuet nonnullos. Sic & Celsus lib. 1. cap. 9. scribit, frigidam aquam excitare strumas. Maxime item hoc patiuntur, qui ad Alpes habitant, & Pyrenæos, atque in Auernis, ab aqua e niuibus liquefactis, quæ multum terrestris & crudi continet. Crudum repugnat resolutioni. Gutturis hæret musculis & glandibus terrestre, quod propter aqueum sese insinuauit, ibiq; concretum durescit. Alpes etiam metallorum venis, maximeq; argenti viui abundant, per quas aquarum scaturigines emanant: aquæ autẽ virosa hydrargyri qualitate imbutæ, cerebri robur eneruant, rheumatissmis fauces & dẽtes fatigant, atq; tumores coagmentant. Gal. 1. de simpl. medic. facult. cap. 5. lib. de ptisana, cap. 2. lib. 1. de sanit. tuend. cap. 11. item 6. Epidem. com. 4. sent. 10. vult optimam aquam iudicari tribus sensibus, nempe gustu, visu & odoratu. Gustu pura est, quæ ἄποιος, adscititiæ ad vnguem expers est qualitatis, scilicet dulcis, salsæ, acidæ, acris, nitrosæ, sulfureæ, bituminosæ & aluminosæ. Visu, cum pellucida, minime cœnosæ, & ab omnibus, quæ ipsi innatare solent, ramentis liberata, & veluti diligentissime colata est. Odoratu, cum nullã aduentitiam qualitatem, aut putredinem, aut aliud indicibile vitiũ præ se fert, & cuiuscunq; rei mixtione caret, quæ olfactu deprehendi possit. Amplius apud Hipp. aquarum dignotio ex leuitate, facili transmutatione & mollitie æstimatur: vt vitium ex duritie, grauitate & contumacia. Sic ait 5. aph. 26. & lib. 2. Epid. sect. 2. & lib. 6. Epid. sect. 4. sen. 10. ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον,
κοῦφό-

κουφότατον. Et lib. περὶ ὑγρῶν χρήσιος: τὰ ὕδατα ψυκτέα θερμαντέα διὰ λεπτότητα. Quorum etiã Plin. lib. 31. c. 2. meminit: & Celſ. lib. 2. c. 17. dicens: facilis etiam & neceſſaria cognitio eſt naturam aquæ requirentibus: nam leuis pondere apparet, & ex his, quæ pondere pares ſunt, eo melior quæque eſt, quo celerius & calefit & frigeſcit, quoq; celerius ex ea legumina percoquuntur. Optime præterea aquę iuxta Hip. lib. de aere, aq. & loc. ſunt: quæ ex ſublimibus locis ac terreis collib. fluunt: hæ enim & dulces ſunt, & albæ, & vinum modicũ ferre poſſunt, & hyeme calidæ fiunt, æſtate vero frigidæ: tales enim fuerint ex profundiſſimis fontib. Maxime vero laudare eas oportet, quarũ fluxiones ad ſolis exortus erumpunt, & præſertim ad æſtiuos. Neceſſe eſt enim odoratas eſſe ac leues. Et: quæ aquę fontes ſuos ad Orientes habent, hæ præ omnibus optimæ ſunt. Secundũ ab his locum habent, quę inter æſtiuos ſolis exortus & occaſus emergũt, & magis hę, quæ ad orientes. Tertio loco ſunt, quæ inter occaſus æſtiuos ac hybernos ſcaturiunt. Peſſimæ vero, quę ad auſtrum, & quæ inter æſtiuum ortum & occaſum. Et hæ quidé ad auſtrales partes valde prauæ ſunt, ad boreales vero meliores. Idem Gal. 1. de ſan. tuen. c. 11. adfirmat. Aquæ inſuper, quanto ſunt ſubtiliores, tanto puriores, ſimpliciores & meliores. Ideo oẽs metallicæ aquę cenſentur malæ, quia ſunt craſſiores, & qualitaté ex metallis excedenté habent: nec aquas verſus meridiem tendentes laudantur, cũ a meridie procedant venti vaporoſi, qui admixti aquę illã corrũpunt & calor vehemens partes ſubtiles euaporare facit, vt craſſæ remaneãt: ſicut ſentit Gent. ſuper Auic. li. 1. fen 2. doct. 2. trac. 1. c. 16. q. 5. 10. & 12. Hinc Hip. li. de Carn. inquit: putrefacta aqua craſſior fit. Quod vel maxime

paluſtribus, ſtagnantibus & ſimilibus lacubus ac viuariis vlua & arundinibus obſitis, contingit: cũ præſertim immiſſario ſpiſſos clathros non ſolent præfigere, ne ſordes influant. Vt tanto minus veritati conſonum ſit, quod Auicen. lib. 2. fen 1. doct. 2. c. 16. ſcripſit, aquam fontis, quæ currit ſuper lutum, ea meliorem eſſe, quæ ſupra petras fluit: cum lutum mundet aquam, & auferat ab ea res extraneas admixtas, quæ ſunt in ea, & colet ipſam. Aquæ ſupra lutum currentes cœnum redolent, fæculentaque ſecum vehunt: nequaquam ſuper petras fluentibus præſtantiores: cum hæ nihil luteſi, nihil putidi, nihil limoſi & muſcoſi ſecum portent, ſed puræ & illimes conſpiciantur: & dum inter petras confringuntur, ex motu curſuque ſuo quaſi decoquantur. In Hollandia & Friſia lacuſtres ſunt & paluſtres loci, atque terra gleba, non argilloſa, neque ſabuloſa, neque arenoſa conſtat, ſed caua & pumicis inſtar rara & ſpongioſa: vnde facile aqua illius qualitate inficitur. Sic Ronſſeus obſeruauit eos, qui Alcmariam, Amſtelredamum, ac vicina loca inhabitant, multo periculoſius ac frequentius ſcelotyrbe adfici, quam qui aut Gaudam, aut Retterodamum incolunt: rarius his Dordracenſes, qui rapidiſſimis, non autem ſtagnantibus fluuiis adluuntur. Tantum in aqua ſitum eſt: vnde recte Pindaro, ὕδωρ ἄειςον, ὕδωρ ἀειςεύ{.1. & 5. hymno Olympior. Facilime autem aquæ Scorbutum inuehere poſſunt: quia has lien, πρῶτον δεκτικὸν Scorbuti, attrahit: quod mox percontabimur.

Ex his concludimus, cauſſam Scorbuti externam conſiſtere in victu, qui aqueos, frigidos, crudos & craſſos ſuccos generat: ſi præſertim in enormi Cerealium ſeminum penuria, quæ frugum ſideratione aut

carbun-

carbunculo accidit, vulgus leguminibus dictis vescatur. Defectu autem purioris sanguinis, inquit Philosophorum Homerus sect. 1. probl. 5. ex improbo pe-nu prauorum succorum soboles, in totam corporis molem dispergitur & redundat, quæ alẽdis partibus minus idonea, corpus grauet, & exsuccum reddit, & membrorum actiones exsoluit. Hæc autem victus ratio maxime apud Hollandos, Phrysios, totumque collimitium Septentrionale viget. Quid itaque mirum, tot Scorbuticos apud illos conspici? Hipp. lib. de aere, aquis & locis, speciatim scribit: si flumina desint in ea regione, aquasque puteorum stagnantes & olentes bibant, necesse est ab illis ipsis aquis & ventrem lædi & splenem. Et Aetius tetrab. 3. serm. 2. c. 7. inquit, humidam dispositionem circa lienem consistere, ab immodice humectantibus, diæta, exercitio, aere & locis: oboriri solet & his, qui circa palustres habitant locos. Ob eandem caussam Scorbutus frigida murorum exhalatione fouetur, intra tabulata mitescit: vt testatur Olaus Magnus in Septentrional. gentium hister. lib. 16. cap. 51. Sic multos in vliginosis carceribus detentos deprehẽdimus Scorbuticos. Nam dum libera aeris ventilatio prohibetur, præsertim in subterraneis locis, suffocans putrisque fit aer, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & perflatus defectum plurimus aceruatur situs: vt Gal. lib. 1. de sanit. tuend. cap. 11. scribit: vnde talis aer humores confundit, spiritus animales inficit, corpus deses atque elumbe reddit, animam contristat, & nonnullos interimit: quod ex Riolano lib. 2. Method. medend. c. 19. patet: cum M. Antonii milites, auri spe, in Seleucia Babyloniæ, arculam Audii Cassii aperuissent, inde tam putris aura

exhalauit, vt non regionem modo peste infecerit, sed vẽtis in Græciam, deinde Romam delata, hominum magnam partem sustulerit. Simile Ioan. Cayus Angl. lib. de Ephem. Britan. de Septentrionalibus Britãniæ fodinis carbonariis refert. Idem aer vaporibus & sordibus inquinatus, iuxta qualitatem illius, quod ipsi admiscetur, totius corporis temperiem mutat, grandem cerebro labem suggerit, canalium spiritus obturatione facultatis animalis transitum inhibet, halitu caput ferit, & gingiuas impense humectans corrumpit: perinde ac in palustri atque vliginoso solo plantarum semina suffocantur, nec facile scapos cymasque sortiuntur. Qua in sententia est quoq; Auic. lib. 2. fen 1. doct. 2. tract. 1. cap. 2.

Scite insuper huc quadrat, quod Hippocr. lib. περὶ χυμῶν scribit: αἱ δὲ χῶραι πρὸς τὰς ὥρας κακῶς διακείμεναι, τοιαῦτα τίκτουσι νοσήματα, ὁκοίῃ ἂν ὥρῃ ὅμοιαι ἔεισιν, οἷον ἀνώμαλον θάλπος, ἢ ψύχος τῆς αὐτῆς ἡμέρης, ὅταν τοιαῦτα ποιέῃ, φθινοπωρινὰ ἐν τῇ χώρῃ τὰ νουσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ὥρῃσι κατὰ λόγον. τὰ μὲν ἀπὸ ὀδμέων βορβορωδέων, ἢ ἑλωδέων, alii ab odoribus cœnosis, aut palustribus: τὰ δὲ ἀπὸ ὑδάτων, λιθιῶντα, σπληνώδεα, alii ab aquis calculosi, splenici: τὰ δὲ ἀπὸ πνευμάτων χρηστῶν τε καὶ κακῶν ἄρχονται. Hinc cœli vdum austrinumque statum strenue ad Scorbuti procreationem conducere: experientia cati obseruarunt. αἱ δὲ νότιοι καταστάσιες διαλύουσι, dissoluũt, τὰ σώματα, καὶ ὑγραίνουσι, humectant, καὶ καρηβαρείας ποιέουσιν, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, difficilem motum præstant: inquit Hipp. lib. 3. apho. 17. Quod docuit euentus annorum 1556. & 1562. quibus auster ac fauonius flabat, simulque vberes deiiciebantur imbres: quos Scorbuti excepere nonnihil epidemici redolentes.

Ad anni tempora quod attinet, scimus Hippocr. aphor.

aphor.19.lib.3.νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται: μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται, καὶ παροξύνεται. Sic Scorbuti ferax eſt veris & autumni aer. ἐμψύχεσθαι ἄρχεται καὶ συνάγεσθαι καὶ πυκνοῦσθαι τὰ σώματα τῷ φθινοπώρῳ: χαλᾶσθαι δὲ καὶ ἀραιοῦσθαι τῷ ἦρι: inquit Gal.1.aphor.18.Etſi enim idem Gal.1.de temper.c.4.cum ἡ τῆς τῶν τεττάρων κράσεως ἰσομοιεία, τῆς τε εὐκρασίας αὐτοῦ, καὶ τῆς ὑγείας αἰτία, ſcribat:φανεῖται τὸ ἔαρ ἀκριβῶς μέσον ἁπασῶν τῶν ὑπερβολῶν, omnis plane exceſſus in medio: οὔτε γὰρ ὡς ἐν χειμῶνι πλεονεκτεῖ τὸ ψυχρὸν ἐν αὐτῷ τοῦ θερμοῦ, οὐδ' ὡς ἐν θέρει πλεονεκτεῖται: κατὰ ταῦτα δὲ, καὶ ξηρότητος καὶ ὑγρότητος ἰσομοιεία τίς ἐστιν ἐν αὐτῷ, μηθ' ὡς ἐν θέρει κρατοῦντος τοῦ ξηροῦ, μηθ' ὡς ἐν χειμῶνι τοῦ ὑγροῦ: διὰ τοῦτο ὀρθῶς εἴρηται πρὸς Ἱπποκράτους: ἦρ δὲ ὑγιεινότατον καὶ ἥκιστα θανατῶδες: ver eſſe ſaluberrimum, ac minime morbis, qui mortem adferant, obnoxium: tepor nihilominus veris latentes diffundit humores ad extima, & corpus ab exorbitantibus ſuccis, atraque bile exoneret: quod Celſus etiam lib.2.cap.1.fatetur. Sic Hipp.3.aph.20.morbos vernos recenſet: τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά. Autumnus contra humores in internos retrudit mæandros: & melancholiæ patrocinatur. Sic Hipp.3.aph.22.ait: τοῦ δὲ φθινοπώρου, πυρετοὶ τεταρταῖοι καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ εἰλεοὶ, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά. Idem ſentit com.35.lib.1.de nat.hu. cum inquit: nigra bilis quã multa eſt, & vehementiſſima autumno. Vbi Gal. addit cãm: ſucci antea per æſtatem fuere aſſati: aſſatorum aũt reliquiæ, vbi ſcil. calidum exſtinctum fuit, illico frigidæ & ſiccæ euadunt: frigidæ quidẽ per calidi exſtinctionem, ſiccæ autem, quoniã inter aſſandum vniuerſum ipſarum humidum abſumtum fuit. Item Aretæus 1.de cauſſ.& ſign.chron.cap.5. Celſ. libr. 2.

cap.1.Vt autem vernæ accessiones mitiores & breuiores, ita autumnales periculosiores & longiores esse solent.Hoc fit propter inæqualem autumni intemperiem,quæ maxime morbifera est, & cœli varietatem:vt refert Galen.1.de temper.cap.4.& Cels. lib.1.cap.3.Vnde etiam alii morbi tunc truculentius vitæ humanæ insidiantur, iuxta Hippocr. lib.2.Epid. sect.1.& 3.aphoris.9.ἐν φθινοπώρῳ ὀξύτατοι νόσοι καὶ θανατωδέσαλοι τὸ ἐπίπαν.Quibus consentiunt Gal.lib.de typis cap.4.Aret.2.de causs.& sign.acut.cap.10.Celsus lib.2.cap.1.Ita quoque scribit Hippocr. lib. de intern.adfect.ἄρχεται δὲ μετοπώρου γίνεσθαι τὸ νόσημα,scilicet εἰλεὸς αἱματίτης.

Diximus amplius supra ex Gal.1.de differ.feb.c.3: corporum dispositiones,quęcunque caussæ consentientes sunt,facilime lædi:cõtrarias vero ac renitentes, quantum viribus ac magnitudine contrarietas valet,tantum inuictas perdurare contingere. Sic,qui frigidos & crassos natura cõgerũt succos:qui compagem corporis fungosam sortiti sunt: qui promte in oppilationes lienis incidunt, & sedẽtariam vitam viuunt: hi facilius scelotyrbe & Scorbuto vexantur. Maximi autem hic momenti,vt & in omni inualetudine,est cruditas & cacochymia. Gal.1.de hum.com. 1.& 12.lib.de causs.procatarct.cap.3.3.de temperam: cap.3.lib.2.de natur.hum.com.17.lib.ad Thrasyb.cap. 7.Et hoc eo citius continget:si hæreditario quasi iure Scorbutus inuadet: si studia curas & vigilias exigẽtia,si labores intempestiui,si cogitationes assiduæ, & alii adfectus accesserint. Hæc enim omnia, præter quam quod præcipitatam senectutem inuehunt, atram etiam bilem cumulant.Gal.lib.de atra bile cap. 6.2.aphor.28.12.Method. med. cap.5. In Scorbuto

vero

vero principes ſibi vendicant partes, triſtitia & ira: quæ ira eſt ζέσις & ἀναβρασμὸς ſanguinis, ſi præſertim ei ſuccedat ὄρεξις ἀντιτιμωρήσεως, in qua ab ebullitione ſanguinis & ſpirituum elati fumi excrementitiã corporis, maxime vero cerebri, diſſoluũt humiditatem. Hoc autem inter τοὺς ὀξυθύμους illis maxime accidit, qui temperamento præditi ſunt calido & ſicco: quibus ineſt τὸ δὲ σφοδρὸν ἐκεῖνο καὶ διάπυρον πρὸς ὀργήν: quibus bilis in naſum concitur: quique in fermento toti ſunt: imo quorũ ſcintillantes oculi vice lacrymarum ignem ſpirant. Dum item in angoribus & mærore in ſe conſtringitur cor, calor & ſpiritus: & vna ſanguis ad principium, vnde libet, arceſſuntur, ac paulatim abducuntur: hinc omnia, quæ in ſummo corpore ſunt, frigeſcunt, & humores in eo ſuperuacui, naturę ad loca ſibi penitiora deſcendentis regimine deſtituuntur: qui iam permiſſi ſibi vltro effluunt, tum frigoris, quo meatus arctari ſolent, impulſu quadamtenus etiam exiguntur. ἡ γὰρ λύπη ψύξιν καὶ πύκνωσιν ἐργάζεται τῶν πόρων. Nam ceu flamma obſtructis ſpiramentis per proprii fumi σβέσιν ſuffocatur: ita ἡ οἰκονομοῦσα τὸ ζῶον δύναμις, quæ calori inſidet, contabeſcere ſolet: niſi excremẽta fauillacea, quæ ſanguinis ardor commiſit, mature ſeuocentur. Nec aliud nobis citra virtutis naturalis vitaliſque offenſam pollicemur in lætitia: in qua cor hiſcit, & ceu geſtiens voluptate exſilit, thalamoſq; ſuos adaperit. Calor enim, ſuo comitante adſecla, nempe ſpiritu, e cordis caſtro quoquo verſum leuitate ſui euolat: quorum veſtigia perſequentes fuligines, velut agmine facto, eodem proruunt: neque ſolum vias laxant, ſed contentas inibi humiditates fundunt, incitantque. In ingẽtibus præterea & ex improuiſo incidentibus animorum con-

ſternationibus, καὶ τοῖς πανικοῖς, id eſt, lymphaticis pauoribus, cor repentino confertoque recurſu caloris vitalis ſpirituumque, velut attonitum fatiſcit, & obrigeſcit cerebrum: atq; humores omnes tanquam gelu durati conſiſtunt: & homo conſtupeſcit, non aliter, quam qui Iouis ignibus ictus viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ. Quæ omnia, cum non ſint de proſapia eorum, quæ dicuntur ἐφ᾽ ἡμῖν, naturæ legibus, non imperio voluntatis ſubiecta: (quo nomine λύπαι vocatæ ſunt Democrito ἀδέσποτοι:) ideo merito cauſſis Scorbuti externis adnumerantur.

Plures etiam poſt febres Scorbuti fiunt. Per febriles enim morbos melancholicum humorem contrahi, ſcribit Gal.3. de loc. adfect. cap.7. Modum vero explicat 3. Prognoſt. comm.27. Generatio atrabilarii humoris duplex eſt: tum ex ſanguine craſſiore, qui reſpondeat proportione in venis, ſubſidenti in dolio vini fæculæ: tum etiam flaua bile vehementer aſſata. Hæc igitur atra bilis alioqui malefica eſt, ac derodit partes, in quibus abunde collecta eſt: altera vero atra mitior, quam hæc eſt: ſed potiſſimum, quoties nondum traxerit in animali moram, aut cum aliquo calore abundanti & pręter naturam commercium habuerit. His igitur ita habentibus, quoties febris continua fuerit, quod eſt non deſinens ad integritatem, ad abſceſſus vertitur, diutius immanens. At ſi intermittit, atque idipſum potiſſimum euenit per æſtatis finem, verti morbum ad circuitionem quartanam ratio eſt. Quantum enim humorum ferbuit æſtiuo tempore per febres continuas, ac deſiuit in atram bilem, quodam modo reſtinctum eſt: proindeq; calore febrifico æger vindicatur, maximeq; quoties ſudores ſuperueniunt. Sed ſi nō antea natura quodam modo

modo excernat veluti cinerem vehementer assatorum humorum, hic rursus permanens in corpore, & calescens, putrem quandam recipit adfectionem: idque quoties ei accidit, feruendo excitat febrem: a qua rursus eueniente sudore, pariter cum eo, quod ferbuit atræ bilis, euanuit: tum rursus aliæ reliquiæ feruentes, rursus alteram excitant febrem. Eandem ob caussam & Aetius libr. 2. cap. 22. conualescentes a febribus melanogogo egere scribit: vt humoris corrupti fæx per assationem crassior reddita, consumta scilicet humidiore, tenuioreque sanguinis portione, expurgetur.

Eadem tribu continentur vacuationum statarum interceptio, & solemnium suppressio, vt hemorrhoidum, menstruorum, similiumque. Quemadmodum enim ἡ ἐπὶ τ̃ κενώσεσιν ἴασις τῶν λυπούντων χυμῶν, vt Gal. 2. aph. 17. ait: ita excrementorum retentionem morbus excipit.

Similiter scimus ex Celso in præfation. lib. 2. quod omnis ætatis, omnis habitus homines per omnia genera morborum & ægrotent & moriantur: sed quod frequentius tamen quædam eueniant in quibusdam. Sic teneros adhuc pueros, teste eodem libro secundo, cap. primo, serpentia vlcera oris, (quæ ἄφθας Græci nominant,) exercent: proprie etiam gingiuarum exulcerationes male habent: quia puerile corpus multum in seipso continet aquosæ substantiæ: imo est & totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidum, adeo vt & ossium natura in ipsis potius cerea, quam lapidea videatur: iuxta Galenum 1. aphorism. 14. 3. aphorism. 24. & 27. lib. de salub. diæt. commen. 7. deinde ob comessationes & edacitatem non paucos crudos humores coaceruant: vt testatur

Idem 3.aphoris. 26.lib.2.de nat.hum.com.13. Aetius tetrab.3.serm.3.cap.9. Aretæ.1.de causs.& sign. acut. cap.9. Accedit his, quod cum prandio canino siue abstemio vtantur, vt minorennes frigidius corpus reddant: & plus etiam seri congerant. Quod vel maxime augere videmus vsum liberaliorem fructuum eorum, qui ὡραῖοι καρποὶ dicuntur Galeno 2. de facul. alim.cap.2.& lib.1. cap.19. Horum enim natura vt τὸ πάμπαν frigidior est: ita ob nimiam humiditaté multũ serosi sanguinis generat. In hoc tablino sunt mala corda siue serotina, cerasa, pyra, grossuli, pruna, eruilia, & similia: quibus adeo pueri inhiant, vt nonnunquam caducos & vermiculosos fructus ex arboribus pendentes subfurentur: atque pediculos cum seminum cellulis & vmbilico cohærentes, præsertim in pomis duracinis, culleolam item, siue nucis calicem puluinatum deuorent. Vt de tot gabatarum offis repuluinatum, perpetuo lactis lacticiniorumque infarctu, aliisve nihil dicamus: quorum cupediis magis tenẽtur pueri, quam salubrium eduliorum frequentia. Quam labem cumulat hoc, quod cibum non præmansum, ciconiarum more, degluttiant, magna ex parte oplophagi. Horum δυσπεπτῶν καὶ κακοχυμῶν ferculorum adsecla est crudus pituitosusque humor, natura frigidus & serosa humiditate pollens: qui non parum augetur, inque corpus rapitur ab intempestiuis exercitiis: ob quæ ventriculi concoctio & ἀνάδοσις nutrimenti impeditur magis. Hip. lib.de salub.diæt.tex.27. Gal.3.de sympt.caus. cap.1.& 2. Cels.lib.1.cap.2. Quæ errata œconomiam microcosmi turbantia, vitiosis succis corpus infarciunt, inque ἐψήσεως locum μόλυνσιν introducunt: a qua Scorbutus gignitur: dum crassior humor lienis obstruit meandros

andros:& dum cumulatius augetur serum, quam vt a splene oppilato possit absorberi. Frequentissime præterea Scorbutus constantem ætatem infestat. Licet enim ætatum vigor perfectissimus sit, auctore Gal.lib.de morb.tempor.cap.5. plurimis tamen scatet erroribus in diæta ob helucum & labores. Vt de loco Gal.lib.2.de facult.natur.cap.9.taceamus: cum nigra bilis eiusmodi succus sit, quem sapientes medici ac philosophi abundare censuerunt ex ætatibus in ea, quæ vigori succedit, propter hãc maxime caussam, quam nuper de puerorum ætate attulimus. Senes autem aprici & capulares omnium grauissime adfliguntur a Scorbuto, cum propter calorem eneruatum, qui cruditates gignit, nec morbis est superando: tum propter temperamentum humidius & frigidius, aptissimum Scorbuto. Hippoc. & Galen.1. aph.14.3.aph.31.& 18.com.7.lib. de salub. diæta:3.de symp.caus. cap.3. Auicen.libr.1.fen 1.doct.3. cap.3. Id quod etiam verius est de senibus ætatis vitio desipiscentibus, inque pueritiam, quasi postliminio, reuolutis.

Et tantum de caussis externis Scorbuti, tam necessariis vocatis, quas nec fugere, nec declinare, nec sine iis viuere possumus: quam non necessariis, quas vitare possumus, & sine quibus vita potest seruari.

Caussa Scorbuti interna, προηγουμένη, accuratiorem desiderat συζήτησιν: vtputa, de qua nonnulli quædam, tanquam in Eleusiniis sacris mussitant: nonnulli vero, qui se rem Cosmocritico circino πλησμίως tetigisse opinantur, filo Ariadnes egent, cuius vi ex Labyrinthis irremeabilibus sese extricent. Caussam hi proximam Scorbuti statuunt humorẽ crassum, crudum, frigidum, in vasis sanguinis hospitantem, siue is sit

melancholicus, siue pituitæ mixtus. Alii primas tribuunt lienis adfectui, nunc obstructi, nunc intemperati, nunc sciti hi primitiis ditati: qui præpedit splenis attractionem, ac consuetam atrabilariæ redundantiæ sequestrationem ex hepate, venisque: vnde eo humore vniuersum quidem corpus vitiatur, sed peculiariter, pro diuersa succi ῥοπῇ seu vel ficatione in diuersas partes, crassiore fæculentia crura contaminantur, euaporante vero acredine gingiuæ inficiuntur. Quamuis autem hoc prima fronte citra περιπέτειαν videantur adseuerare: statim tamen δακέδυμοι modo ad intemperiem hepatis excessiuam, (sic enim ἀφαρμακοεπέες loquuntur:) ipsum viscus debilitantem, & per consequens eius facultatem & operationem lædentem, modo ad corruptum, vel etiam putrefactum sanguinem, circa viscus tum hepatis, tum lienis, aut vicino loco contentum, delabuntur. Imo, cum ἐκπλευρότερα producere conantur, adeo inanibus θρονοποικίλοις onerant aures: vt, cum Scorbutici plerunq; φλογώσει non inardescant, valere iussis Sophorum decretis, a taberna & cuppa futiliter concludant, fomitem putredinis posse concipi sine calore: non secus ac videmus in locis cœnosis frigidis putredinem fieri frigidã: (apage istas exsuccas & strigosas nænias, indoctorum somnium, sapientum indignationem, risum posteritatis:) vbi bufones & similia generantur: cum in ore vel μαδαγγυεὶς Bacculaurei sit illud, quod Aristot. 3. de ortu animal. cap. 11. & 5. histor. animal. cap. 19. scribit: τῶν αὐτομάτων γινομένων γὰρ οὐδὲν σηπόμενον, ἀλλὰ πεπτόμενον: ἡ δὲ σῆψις, (quæ ἁπλῇ γενέσει, ab eodem 4. Meteor. c. 1. opponitur tanquam ἐναντίον μάλιστα κοινὸν:) καὶ τὸ σηπτὸν, περίττωμα τοῦ πεφθέντος ἐστί. Quemadmodum autem Sorex suo iu-

dicio perit: ita iidem receptui canũt, fatentes, de formali eius corruptione vix ſcientiam haberi poſſe: niſi quod in genere putridam aut ſaltem corruptam atri humoris ſpeciem præ ſe ferat aliquam. An non hæc theoremata ἄδοξα ſenſum ac pœnam deſiderent, (vt Ariſtot. 1. Topic. cap. 9. loquitur:) penes lectorem æquum poteſtas eſto: ne de nobis illud σεμνολόγημα vſurpetur, quod Cicero Attico tradit: neminem vnquam neq; poetam, neq; oratorem fuiſſe, qui quemquam meliorem, quam ſe, arbitraretur. Reuera tales, paulo momento huc illuc impulſi, inter fugaces fluctuant, vt eſt in Menone, Dędali ſtatuas: qui, dum Iunone frui ſe opinantur, nubeculare exoſculantur.

Tritum porro apud medicos dogma eſt, cauſſam Scorbuti internam eſſe ſplenis obſtructionem, propter quam impeditur attractio humoris melancholici, craſſi & feculenti: qui ſanguini commixtus vniuerſum corpus tabida corruptione inficit: tum puniceis lituris crura defœdãs, ex craſſiorum ſui partium decubitu: tum portione tenuiori ſurſum exundans, teneras gingiuas acri corroſione & putida carnis excreſcentia vitians. Vlterius illi pedem non ponunt: & ne perfunctorie quidem ſymptomatum rationes cauſſæ accommodant. Nos Galenum imitabimur: qui 3. de difficult. reſpirat. cap. 5. & 4 σεσοφισμένως ait: non oportet nos dubitationes quidem facile reperire, in ſolutionibus vero ipſarum hærere: verum primum quidem viam quandam quæſiti inuenire, deinceps vero per demonſtrationem ea, quæ per ipſam viam inuenta ſunt, confirmare. Tenebrionibus, qui obſcura per ſe obſcuritati plus quam Cimmeriæ inuoluunt, in republ. philoſophica aqua & igni interdicendum.

Huius operosissimæ de interna Scorbuti caussa ambitus sententiæ super hoc versatur puncto: quis sit vsus, quod officium & περιτέρημα lienis. Erasistratum non puduit adserere, splenem tantum viscus a natura nihil temere agente, frustra exstitisse: dum libro de transglutitione, anadosi atque concoctione scribit: naturam metuentem, necubi artis suæ obliuisceretur, cum fœtui adhuc vtero gestato hepar in dextris cóformaret, ipsi ex sinistris partibus splenem opposuisse, volentem aliquid etiam hac parte moliri: perinde ac si ipsa, ventre paululum ad partes illas producto, opus superfluum vitare non posset: vt Galen. 4. de vsu partium, cap. 15. lib. de atra bile, cap. 7. & 2. de facul. natur. cap. 9. recenset. Nec præclarius sentit de liene Paracels. lib. 2. de natur. homin. cap. 4. vbi scribit: Splen similis est aliis membris, & propterea, quod & ipsi, vt aliis, dolus ille corpus lædendi placet, ipsi similes aliquot res cognosci debent: malitia autē eius consistit in eo, quod constringit: postea quod multiplices febres parit, putrefactionem & oppilationem, & similia plura. Debet igitur splen corporis tolli, & exterior splen imponi. Vita enim sine splene longior est, quam cum splene: & quanquam cum dictis membris propinquis non ita se res habeat, & ea necesse sit in corpore esse, attamen de splene non ita est: nam bene absque ipso viuere possumus. Sed, vt praxin aggrediamur, sciendum est, nos ex splene exteriori viuere debere, & non ex interiori: imo cogitandum nobis est, vt interiorem radicitus euertamus & consumamus. Et cap. 6. de splene, renibus & felle sic scribit: Sunt hæc membra ad nihil aliud vtilia, nisi vt corrumpant, quicquid vtilia membra ædificant. Ex hoc fonte & illa imperitæ multitudinis opinio

pinio ſcaturiit: quæ lienem eximi, vel cauterio actuali aduri arbitratur archippocomis, veredariis, velitibus, ferentariis hanc ob cauſſam: vt Cappadoce Lenone Plautino in Curcul. agiliores ſint. Plinius lib. *11*. cap. 37. exemto liene ſimul adimi riſum homini, peculiare itē curſus impedimētum in eo eſſe, quamobrem inuri curſoribus, & per vulnus etiam exemto viuere animalia, ſcribit. Q. Serenus cap. 23. videtur eadem λεπτολογήματι probare:

Splen tumidus nocet, & riſum tamen addit ineptum:
Dicitur exſectis faciles auferre cachinnos,
Perpetuoque æuo frontem præſtare ſeuerum.

Idem opinantur Plautus in Mercatore: item Haliabbas & Bertinus in Medicina ſua. Trahunt hi aures eruditorum, tanquam ab animo otioſas per ſellularia deliramenta. Nos hæc melimela aniculis, & ambagioſis ingeniis, quæ μεταρσιολεσχεῖν ſolent, relinquamus. Lienem, viſcus non vltimum, minime gentium in εὐπραξίᾳ, homini adimi poſſe, deprehendet is ſtatim: qui per tranſennam ſaltem, fertilem arteriarum, venarum & neruorum ſobolem in ſplene contemplabitur. Etſi autem Franciſ. Rouſſetus de partu Cæſ. ſect. 4 cap. 5. duorum ſauciorum hiſtorias recenſeat, in quibus, cum in latere ſiniſtro vulnerati fuiſſent, Chirurgi repererint ſplenes ſauciatos, & eos partim alteratos, partim vero exſiccatos, quos ſectione exſtirpauerint: cum Fallopio tamen lib. de vulner. cap. 12. ita reſtringimus, his lienem nequaquam circa vaſa magna & in profunditate vulneratum: alias enim neceſſario infert mortem propter ſanguinis copiam. Et Tagault. lib. 2. Chirurg. Inſtit. cap. 3. adſeuerat, lienis vulnera, cum munus habeat toti corpori apprime vtile ac prope neceſſarium, ſitque, (vt nonnulli

dixerunt,) veluti alterum hepar, periculosa esse. Et Hieron. ab Aquapendente lib. 2. Chirurg. cap. 28. omnia lienis vulnera lethalia esse scribit. Nec obstat ad vsum splenis obliterandum, quod Holler. inter rara num. 5. mulierem Lutetiæ sine liene inuentam: item quæ Tulutanus & Comaus Antuerpienses, recitante Schenckio lib. 3. obseruat. 7. ex Cyriaci Lucii & Camerarii litteris, adserunt, sub cuiusdam hydropici diaphragmate atque costis spuriis hepatis & lienis vestigium nullum inuentum: sed substantiam intestinorum carnosam & multo solidiorem, quam musculorum carnem, vt soliditate cordis carni respōderet: & venam cauam ex intestinis originem sumentem, eo fere modo, quo vena portæ in ipsis intestin s solet implantari. Monstrum huic par vix reperietur: &, vt simili scuto telum hoc excutiamus, inter anatomes plurimas, geminos lienes cum suis venis, arteriis & neruis, in sinistro hypochondrio deprehenderunt Aristotel. lib. 4. de generat. animal. cap. 4. Gemma lib. 1. cap. 6. Cosmocrit. Petrus Spehr. & Ioan. Posthius: vt refert Schenckius lib. 3. obseruat. 84. Quin Fallop. in obseruat. Anatom. ad Petrum Mannam dicit, se Patauii in cadauere triplicem lienem reperisse, vnum iustæ magnitudinis, alterum dimidio minorem, tertium vero magnitudinis oui columbini. Ne σπηκεφαλαίῳ dignius patella quæramus operculum.

Vlterius iam in Lyceo deambulamus. Sacelli Asclepiadei Hierophantæ εὐπρεπείαν Galeni εὐπρόσωποι exosculantur: qui 4. de vsu part. cap. 15. sic scribit: Splenem instrumentum quoddam esse, quod purgat limosos, & crassos ac melancholicos succos in hepate genitos: attrahit enim hos per vas venosum, tan-

tanquam per stomachum quędam: attractos autem non protinus in ventriculum excernit, sed ipse prius per multum otium conficit atque immutat, vtens ad hanc actionem potissimum arteriis, quę certe multę & magnæ sunt per totum viscus, non ab re, neq; fortuito a natura ipsi tributæ, sed quod motus assiduitate & innatæ caliditatis, quæ ipsis a corde adfluit, robore confici, frangi, mutari atq; alterari possit crassities trāssumtorum ab hepate ad splenem succorum. Quicquid igitur eorum in succum huic visceri maxime conuenientem translatum fuerit, alimentum id spleni efficitur. Quod ab ea, quæ in splene fit, elaboratione exciderit, neq; in sanguinis tenuis ac vtilis speciē transmutari potuerit, omni neq; inutile fuerit ad nutriēdum: hoc ad ventriculum per alium quendam venosum stomachum splen eructat, vtilitatem & ipsum quandam haud contemnendam præstiturum: vt sua videlicet qualitate acerba actiones ventriculi roboret. Proprium autē splenis corpus, (quod nonnulli παρέγχυμα, hoc est, adfusionem vocant:) ipsum est, quo facultatem habet splen ad seipsum trahendi succos melancholicos, rarum admodum ac laxum instar spongiæ cuiusdam, vt succos crassos facile & attrahat, & excipiat. Hic ἀναντίῤῥητ☉ apud Galenum est vsus lienis: quam ταυτοέπειαν inculcat quoque lib. 2. de facult. nat. cap. 9. 1. de humor. com. 1. libr. de atra bile, cap. 6. & 7. 4. aphor. 21. 6. de loc. adfect. cap. 1. 13. method. medend. cap. 16. & lib. 5. de vsu partium, cap. 6. Eidem adsentitur Auicen. lib. 1. fen 1. doct. 4. c. 1. Et pro hac sentētia ἐνθουσιαστικοὶ Galenici ἀσκέπτως non secus ac pro aris focisq; ad cruorē vsq; dimicant. Quæ opinio hactenus in omniū animis adeo validas egit radices: vt, licet ἀσύστατα nō pauca quotidie ipsorū

oculis, obserantur, hos tamé errores bibisse visi sint, tanquam maternum lac: quod prauum ingenii alimentum, velut in membra ttanſmutatũ iudiciorum, nunquam postea deponere possunt: veriti, ne ἀσεβή-ματος reus, aut tam fœda ingratitudinis macula illis inuratur: cui nulla spongia sit eluendo. Quæ puerilis satagentia aut muliebris trepidatio apparet & in Vesalio: qui παῤῥησιαστὴς lib. 5. Anatom. cap. 9. adeo sane, inquit, vt nisi multorum modo metuerem calumnias, quas hactenus non mediocri meo malo expertus sum nimium graues, hic mihi argumenta non deficerent, quibus vulgatam, omnibusque nunc persuasissimam de lienis munere sententiã interturbarem. Adhibeamus hic λικμητήριον veritatis: εὐθαρσῶς καὶ εὐσδρῶς ostendentes & αὐτοψία & rationibus certis, quę a philosophiæ thesauris suppeditatæ, ventosas rabularum velitationes non olent, doctrinam hanc τὴν ἐκ τοῦ λόγου κρίσιν desiderare: sine qua cõsistere nequaquam possit: quicquid γραμματοκύφωνες καρυκοποιεῖν soleant.

I Galen. (vt hinc ordiamur telam) 2. de facult. nat. cap. 9. 3. de loc. adfect. cap. 7. 2. de tempera. cap. 3. lib. de plenitud. cap. 11. & 14. method. meden. cap. 9. melancholiam adsimilat graui & terreæ fæci vini, quod non dubium ab vuis sit expressum, feruentis & alterascẽtis ex eo, quem in se habet, calore. Succum item melancholicum, limosum in sanguine, in vino fæci, & ἀμόργῃ in oleo ἀνάλογον dicit libr. de atra bile, cap. 6. Et 2. de elemen. in fine, cap. 4. inquit: atra bilis grauissimus & crassus, ac moueri cõtumax est humor. Gentil. super Auicen. lib. 1. fen 1. doct. 4. cap. 1. melancholiam naturalem nominat fecem hypostasiuam sanguinis. Hipp. 2. de nat. hum. tex. 22. scribit: omnium, quæ in corpore sunt, bilis atra est maxime glutinosa,

ac

ac diutiſſime immoratur. At in ſectionibus nullus lienis catillus, nulla capacitas deprehenditur ad excipiendum e maſſa humorum, tam craſſam atq; glutinoſam melancholiam. Hanc tanto oporteret eſſe ampliorem folliculo fellis in hepate: quanto excrementum melācholicum flaua bile craſſius eſt. Quin venæ rami ſplenici adeo graciles ſunt, vt Hippoc. lib. de Carnib. illas potius fibras, quam venas indigitet.

II. Anatomici oculatiſſimi nunquam ſuccum melancholicum vel in liene, vel circa illius caſtrum, vel in ventriculo ſanorum inuenere: quemadmodum bilem & alia excremēta in propriis receptaculis cernimus. Si autem lieni id muneris eſſet concreditum, portiuncula ſaltē exigua eius in dictis partibus quandoque conſpiceretur. Nec eſt, quod obganniant, in ſectionibus reperiri lienem furuo humore aut ſanguine refertum. Nam is talis, qualis cadauerum, eſt: & nigrior in hepate deprehenditur. Idem de ſanguine in ſcutella e vulnerata vena excepto aſſerimus: quem ambiētis aeris actione anthracinum colorem acquirere credimus: cum ibi nulla vis ſit, quæ ἑτερογενῆ, paulo ante vnita ſeiungat, & ὁμογενῆ καὶ ὁμόφυλα in vnum cogat. Si quis locum Galeni lib. 2. ad Glaucon. cap. 10. & 5. de vſu partium, cap. 5. vrgeat, vbi ſcribit: cum naturalis temperatura humorem melancholicum paucum generauerit, & ratio victus adhibita confert, & ſplen ſatis attrahit ex eo, qui generatur, nulla huiuſmodi ſuperfluitas in venis coaceruatur: eiſdem impinget dicam Galenus, quod principium de quatuor humorum perpetua in venis generatione & ſequeſtratione, auerruncare conetur. Et quid interea in iſto otio; (paucum enim illud confeſtim coquet:) liē aget: cui omni procul dubio illud Theo-

criti Idyll.15. adagium quadrabit: ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά? In his feriis splen fame tabescet. Deinde nec ventriculus appetēdi munere satis fungetur: cote quippe melancholiæ destituitur. Si vero quis discrimen adducet, quod adduxit Gal. lib. de atra bile, cap. 9. vbi vult, atram bilem in exacte sanis aliam esse ab ea, quæ in iis, qui e naturali habitu excessere, g g itur: cum illa habeat instrumentum peculiare, quo expurgetur; hæc vero nullum, licet vtramque melancholicum humorem nihil prohibeat vocare: iisdem pedicis se irretitum sentiet, quibus nuperrime. Monstrent nobis istum humorem in liene, μὴ πίσδυε τάχιςα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ: monet Phocylides. Sic, qui in cœno hærent, dum pedem alterum, quo sese expediāt, tollere nituntur, altius figunt alterum.

III. Lienem, viam veluti porum quendam ex iecinoris cauo suscipere volunt: qua luculentam succorum proluuiem, & humores melancholicos prolectet, & in se recondat. Vena, quæ μεγάλη ἐπὶ πύλαις, & στελεχιαία dicitur, in sima iecinoris parte, (postquam venulas duas κυστικὰς in ceruicem corpusque vesiculæ bilis, vnam item γαστρικὴν in pylorum posticamque ventriculi partem, aliam quoque γαστρεπιπλοΐδα variis surculis in dextrum ventriculi fundum totumq; dextrum ἐπίπλοον distributum, ἐντερικὴν demum ἔκφυσιν & initium glandulasque intestini ieiuni petentem, emisit:) in duos conspicuos sulcatur ramos: quorum dexter grādior & humilior, mesentericus dictus, totus in mesenterium, πάγκρεας & intestina exhauritur: alter sinister elatior & minor, σπληνικὴ φλὲψ nuncupatur.

Per hanc splenicam venam autumant Galenici lienem sorbere melancholiam. Hic trūcus sinistror-

sum

ſum trãſuerſim imam omenti membranam adiens, ramos obfert primum poſteriori regioni ventriculi, eiuſdemque elatiori oſtio: deinde humiliori membranæ omenti, circa gibbum ventriculi, qua dextram tergi ſedem ſpectat: tertio colo: hinc in duos primum ramos, & hi rurſum in alios dirimuntur, atque per inferiorem omenti membranam multiplicibus & gracilimis venulis recta in cauam ſimam ve lienis ſedem implantantur. Antequam vero in ſplenis ſubſtantiam & corpus diſperguntur, ab humiliori ramo vena ſiniſtram fundi ventriculi ſedem amplectitur: ab aliis vero lienis ramis plures ramuli enaſcuntur, qui in ſiniſtrum quidem ventriculi latus excurrunt: non tamen elatius ventriculi orificium, coronæ ritu cingunt & perreptant: quod ſectio luculenter demonſtrat. Ex hac τῆ μικροκόσμου λειτουργία, & venarum fabrica apparet, lieni nequaquam id officii concreditum: vt per has rami ſplenici venas, hinc inde anfractibus ſinuoſis diſcurrentes, eluuiem lutulentam ex cauo iecinoris attrahat: cum truncus ille longe antea innumeris propaginibus in vniuerſum ſplenis corpus diſpergatur, & plurimis ſurculis ventriculo, adiacentibuſque partibus communicetur, quam ad hepar perueniat. Imo veriſimilis eſt, αἱματοποιήσει eas ancillari: perinde ac ſeries illa multiplex venarum a meſenterico ramo venæ portæ per meſenterium didita, benigniores chyli portiones exſugit, & ex iis ſanguinem generat: cum tam ſplenicus, quam meſentericus ramus ab vno & eodem trunco originem trahant. Auicenna autem lib. primo, fen 1. doct. 4. cap. 2. ſcribit, melancholia occupante venas meſaraicas, boni ſanguinis generationem impediri. Ergo & in venis ſplenicis, cum ſint

eiusdem prosapiæ, id fiet. Venæ præterea lieni implantatæ, neque substantia, neque colore, neque distributionis forma, neq; insertionis specie quicquam ab iis differunt, quæ in ventriculũ excurrunt. Quemadmodum etiam venæ lienem petentes ima omenti membrana subfulciuntur: Sic quoque rami ab illis ventriculum accedentes, summa omẽti pellicula sustinentur: cuius, vt & vasorum interuentu, lien ventriculo pertinaciter colligitur atq; connascitur. Vena etiam splenica cõiuge arteria nulla caret, sicut nec aliæ ad ventriculum, mesaræumq; sparsæ. Sectio insuper docet, nullo alio humore turgere venas lienis, quam qui in ventriculi, omentique venis visitur. Vnde certum est, lieni deesse tubos, quibus succum fecis vinaceæ æmulum expurgare possit: & venas splenicas neq; substantia, neq; vsu ab aliis venis discrepare. Galenicorum itaque opinio ceu δημοσιώνης multa habet ἀφυσικὰ καὶ ἄτοπα: non enim δημοχαεισαὶ sumus.

IV. Paucissimum est melancholicum excrementum; copiosius autem ipso biliosum: porro vtreque aquosum multo cumulatius: inquit Gal. 5. de vsu par. cap. 6. Mirum ædepol est, naturam, (quæ ἐργοδιώκτις nihil absque ordine vel meditata est, vel effecit, vt 8. Physic. context. 15. legitur: &, sicut dicitur in Philebo & Sophista. μετὰ λόγου, καὶ σὺν λόγῳ, καὶ νῷ τὰ πάντα διακοσμοῦσα:) receptaculum melancholiæ capacius fabricatam, lienem nempe, quam bilis flauæ, folliculum nimirum reductæ iecinoris regioni subnexum. Licet autem porcis, bobus ac canibus longior lien obtigerit: arctior tamen est, præsertim in simia, quam hominis: qui crassiorem, maiorem & latiorẽ, superiori inprimis parte, quamuis breuiorem, splenem sortitus est, non autem exacte figura tetragona, ad sple-

niorum

niorum formam: ſed imagini linguæ ad inciſorios dentes protenſæ proxime accedẽtem: quam ob cauſſam & nonnullis linguoſum viſcus appellatur. Si igitur in vllius animalis, certe in hominis ſplene quam ocyſſime ſequeſtrationis melancholicæ modus, abſque calamiſtris Andabatarum, aliiſve digladiationibus, in proſcenium produci poſſet.

V. Bilis flauæ folliculus in caua reſimaque iecoris parte, qua dextrum ventriculi latus amplectitur, ſedem obtinet. Eius ceruix, ad hepatis locum, vbi vena portæ egreditur, in anguſtum deſinit canalem, qui ſurſum deorſumque proceſſus porrigit: quorũ prior, qui ſurſum fertur circa anticam venæ portæ regionem, in varios, per iecoris corpus inter portæ venæ ramos & cauæ propagines, ſectus ſurculos, bilem in veſiculam deportat: poſterior vero, qui oblique deorſum porrigitur, ad duodeni terminum, ieiunique initium, depulſam ex veſicula bilem in inteſtina defert. Qui tubi vt rationi adſtipulantur, ita excrementi bilioſi expurgationi adprime quadrant: dum expulſio in ſuperiori aula, vbi vena portæ iecur ſubit, incipit, deſcendendo continue ad veſicam, quę in inferiori caula extra iecinoris ſubſtantiam, inſtar ſecreti Augiæ ſtabuli prominet: cuius ſentinam natura äuerruncari exoptat, ideoque ad humiliorem deſpectioremque locum ablegauit. At non eſt talis conditio lienis: in quo vel maxime deſideratur, vt infimo loco collocetur, ad excrementum illud terreum atq; ponderoſum commodius excipiendum: quod ſuapte natura deorſum perpetuo vergit, ad motũ alium contumax & ineptiſſimum: vt nuper ex Gal. 2. de element. in fine cap. 4. adduximus. Nam lien ex aduerſo iecinoris, ſiniſtræ ſepti trãſuerſi parti, inter coſtarum

adulterinarum cartilagines, gibbus innititur: costisq; ad amussim ceu tutissimis vallis septus est: &, licet humilior ipsius pars obtuso angulo ad corporis anteriora magis sit propensa, non tamẽ ad suminis media prominet.

VI. Galen. 4. de vsu part. cap. 12. & lib. 6. de placit. Hippocrat. & Platonis cap. 8. αἱμάτωσιν & θησαυρισμὸν sanguinis vitæ thesauri, carni hepatis, tanquam propriæ substantiæ visceris, adscribit: in venarum autem fabrica naturam non ἀλλοιωτικὸν ὄργανον, sed τόπον tantum intendisse, vult. Hinc, vt sanguis a bile flaua expurgaretur, necesse fuit, vt canales χοληδόχοι in medium hepatis παρέγχυμα desinerent: qui hinc inde omnes, abstrusos quantumuis, angulos varia rancorum & propaginum serie perreptantes, actutum bilem adliciunt: ne in venas exspatians, corporis nutritioni obsit. At ramus splenicus, qui in lienis substantiam exhauritur, est duntaxat venæ portæ propago, eiusq; tubi in substantiam carnis hepatis nequaquam meant. Ergo iam αἱμάτωσις in venæ portæ caudice saltem fiet, ad quem venæ splenicæ desinunt: quod illorum nobis nemo largietur: aut nulla continget per ramum splenicum melancholiæ a sanguine sequestratio: cum pręsertim & venam cauam non committi osculis cum vena portæ, Galenici ὁμοθυμαδὸν profiteantur.

VII. Bilis vesiculæ meatus hepati, sanguificationis officinæ innascuntur, ac circa venæ cauæ propagines & portæ ramos, curtissimis canalibus conspiciuntur. In splene secus accidit. Necesse enim est, vt succus ille crassissimus in hepate τελείωσιν quandam adeptus, per longas ambages, ancipitia angiporta & miros exilium venularum mæandros ad lienem re-

gre-

grediatur. Quo in casu aut naturam limites sapientiæ transiliisse, quod excrementa ἐξοστρακίζοντα hac illac pro lubitu exspatiari patiatur; aut illos, a quibus crimen hoc naturæ intentatur, scutica dignos esse, quis citra ἐρεσχελίαν enuntiabit.

IIX. Gal. 4. de vsu part. cap. 15. scribit: quod ab ea, quæ in splene fit, elaboratione exciderit, neq; in sanguinis tenuis ac vtilis speciem transmutari potuerit, omninoque inutile fuerit ad nutriendum: hoc ad ventriculum per alium quendam venosum stomachum splen eructat, vtilitatem & ipsum quandam haud contemnendam præstiturum: quam 5. de vsu part. in fine cap. 4, enodat: vt nempe ventriculum intendat, ac contrahat in seipsum, cogatq; cibos ad vnguem circumplecti atq; retinere, quousque fuerint percocti. Gentil. super Auic. lib. 1. fen 1. doct. 4. c 1. his coloribus hunc vsum depingit: cum melancholia sit pōtica & acetosa, stringit os stomachi, inspissat & cōfortat: hinc sequitur, vt vētriculus melius retineat cibum, donec digerat. Deinde ex Auic. aliam promit vtilitatem: vt cōmotionem faciat propter acredinem in acetositatem, & excitet ad famem, & ex illa faciat desiderium. Fames enim fit ex consumtione humidi crassi: quam sequitur caloris diminutio & exsiccatio; & asperitas seu corrugatio: pontica aūt & acetosa, vt melancholia est, infrigidant, exsiccant & asperant os stomachi, & disponunt stomachum ad famem, non autem exprimunt ventriculi humiditatem. Quę verba, vt pro sanis accipiantur, permulta egent interpolatione. Imo vix nauseam cohibere potest plumbeus etiā stoicus ob tam fœtentes eructationes: ex quibus tot melāncholici fumi euaporātes, cerebro adeo attas obfundunt tenebras: vt nōnisi elleboro anticyrarum

expurgari possint. Primo venosum illũ stomachum, per quem melancholia a liene in ventriculum eructatur, Galenus digito compescens labellum, transit. Eius vero adseclæ, fimbriolas tam specioso paludamento adsuentes, alii per venæ splenicæ extremum ad os ventriculi pertinens desinensque hoc fieri adserũt: alii proprium & singularem canalem comminiscuntur: quem nõnulli simpliciter in ventriculum a liene duci aiunt: nõnulli speciatim in superius ventriculi ostium implantari statuunt. Arbitrantur vero omnes ὁμόδοξοι hac ratione, lienem per splenica vasa & suscipere & exonerare limosas melãcholiæ fæces. Etsi autem in orbem adeo celeriter sese gyrent isti: vt quasi circino circumagi videantur: industrii tamen anatomes professores, qui lynceis oculis venarum ductus rimati sunt, nullum hactenus meatum a liene in ventriculum tendentem indagare potuerunt similem illi, quo bilis in enteranea repurgatur: quem tamen longe euidentiorem & ampliorem oporteret esse illo, quo splen melancholiam ab hepate trahit: cum succus a liene ad ventriculum amãdandus multo crassior sit, quam cum adliceretur ex iecinore: vtpote ex quo lien omnem tenuiorem partem in sui nutrimentum iam absumserit: (Arist. 4. Meteor. c. 6. inquit: ἐξατμίζοντος τοῦ ὑγροῦ, παχύνεται τὸ ξηρὸν, καὶ συνίσταται:) &, vel ipsius Galeni subfragio, crassissimas duntaxat terrestrioresq; fæces, nutritioni lienis ineptas, ad ventriculum per venam illam splen mittat. Licet porro venæ quædam sinistro lateri ventriculi serie innumera implantentur: non tamen illę a lienis corpore, sed a venis lieni insertis pullulãt: quæ venæ exiliores & longe altioribus sunt destinatæ muniis: vt ex fabrica & substantia earũ supra demonstrauimus.

Et

Et quamuis largiremur ipsis, deportari a liene melancholiam in ventriculum: ea tamē potius fundum, quam superius orificium vētriculi peteret. Venarum enim omnium, quæ a ventriculo spleni exporriguntur, capacissima est: quæ circa decliuem lienis locum prognata, sinistram fundi vētriculi sedem perreptat: quo etiam natura vergunt crassissimę crassissimi melancholici humoris fæces. Amplius hinc deprehendimus, adseclas Auicennæ turpiter hallucinari: qui vim ventriculi appetitricem isto excremento incitari censent. Ventriculi os cibi & potionis appetendæ instrumentum constitutum est: teste Gal. lib. de odorat. instrum. cap. 2. & 2. aph. 20. Ac, etiamsi somnient, huius vsus gratia, nulla vena a liene in superius ventriculi orificiū, coronæ instar, inseritur. Vnde etiam cognoscimus, Valesium in nodo hoc Gordonio soluendo laterem lauare: qui lib. 1. Controuers. medica. & philosoph. c. 20. scribit: meatum, melancholicum succum deferentem, in medium ventriculum, non autem in eius os ideo implātatum: quod non solum ad excitandam appetentiam natura eo succo vtatur, sed etiam ad iuuandam coctionem & retentionem, quod præcipuum magis est: præterquam, quod periculum esset, si melancholia tota in os ventriculi incideret, homo perpetuo fame canina laboraret: nihilominus autem aliquid melancholiæ ex medio ventre in ipsum os adsumi potest, quod modice, &, vt oportet, excitet, nō nimium, quod in animalis incommodum cedere, & ex immodica eius congestione in famem præternaturalem desciscere posset. Bellum vero atque adeo concinnatulum argumentum, indignum tanti nominis Philosopho: qui partes Areopagitæ in arduis problematibus, & rei litterariæ Im-

peratoris alias sibi sumit: hic vero sophis se deridendum propinat. Hęc peruicacia subtiliori demonstratione debellanda est. Resilimus ad anatomen de vena superiori ostio ventriculi nullo modo inserta. Neque vlla vena a liene in medium ventriculum prosilit: qua in re Valesium impense cœcutire, miramur. Deinde, sicut vno detruncato hydræ capite, innumera repullulant: ita & eius error fœcundus est, dum nouam melancholiæ dispensationem depingit: eodem nempe tempore hanc communicari ventriculo, & quidem in diuersa tentoria distributam ob diuersos vsus: vt simul & appetentiam excitet, & concoctionem, retentionemque iuuet. Confundit πολίγνοι@ opera naturæ. Appetentia incitat attractionem ventriculi: qui capacitate sua recipit & continet ea, quæ sibi adduxit, supra subterque omni ex parte adeo compresse: vt his prorsus adhærescere videatur: ne cibi ante legitimum tempus effluant: hinc demum facultas concoquens ingenitum calorem & spiritum exserit, vt partes omnes quandam substantiæ æquabilitatem adipiscantur. Certo itaque ordine citra περιπέτειαν κοσμίως, facultatum harum vna succedit alteri. Quid igitur ventriculo opus erit fame & appetentia noui alimenti: cum tanta obsoniorum farragine distentus est: vt nihil admittere possit amplius? Porro neque vero consonum est, tam cito melancholiæ sequestrationem in hepate primum fieri, hanc deinceps a liene per rami splenici venas attrahi, præterea in splene iterum ad amussim elaborari, hincque demum crassiora eius recrementa in ventriculum deturbari: quam cito videmus, singulis quandoq; horis esurire homines. Quis insuper promus condus iustitię lance omnia libr abit: ne pars
ventri-

ventriculi commeatu turgés, vniuersam melancholiæ transmissæ partem suo penuario cōdat: sed etiam elatiori orificio vētriculi suam relinquat, & quidem tantam, quanta ad appetitum excitandum sagax natura eget? De ipsorum vero ludetur corio: quorum stomachus exquisito sensu valet: qui promte καρδιωγμῷ corripientur. Et, si tanta fæcum illarum corroborandi vis esset, quantam inflatis buccis isti iactitant: semper ventriculus ab omni facultatum naturalium læsione immunis esset, melancholicorum inprimis: aut fere perpetuo βέβρωσις tales vexaret: qualem anno 1538. caninam appetentiam fuisse Ferrariæ Epidemicam ex atra bile os ventriculi occupante, scribit Brasauol. commen. aphorism. 21. lib. 2. Hippocrat. Secus tamen euenit. Plurimi etiam ructus fœtidi, pisciumque odorem referentes ob atram bilem molestarent, obseruatione Aretæi lib. 1. de causs. & sign. Chron. cap. 5. Certum quoq; est, pontico isti humori alui adstrictionem succedere, & huic retentionem excrementorum: quæ naturæ œconomiam turbabunt: vt neque appetitus, neq; concoctio, neq; retentio ciborum sarta tecta maneat. Præterquam, quod vix naturalis est ὄρεξις a melancholico humore excitata, ex Gal. lib. 1. de symp. cau. c 7. patet: qui hunc ordinem in fame proponit: vt primum vacuatio sit: secundum vacuatorum appetentia naturalis: tertium ventris succus: quartum eius sensus: quintum appetentia eius animalis, quæ omnium est vltima. Quorum cum fex melancholica in ventriculum regurgitās sit expers, quomodo appetitui titubanti suppetias ibit? Melancholiæ itaq; ponticæ ξυντυχία ad pontē asinorū citra παλινδικίαν ableganda: quia stomacho philosophorum stomachū facit, deprauatumq; ciet,

appetitum:cuius næuos vix aliquot corbitæ, aromatibus Lusitaniæ onustæ, corrigere valent. Demum illud etiam ἄδοξον est, lienem per eosdem tubos & suscipere & excernere melancholicas fęces. Nihil enim simile φυσιουργὸς in corporis humani lithurgia agit: si omnia emissarie cõtemplemur. Bilis folliculus a caudice venæ portæ, in posteriore iecoris sede, duas gracilimas adsumit venulas, ea serie in eius tunicam diffusas, qua in albam oculi tunicam venulas digeri videmus: per has ad vesiculam istam defertur sanguis, qui est nutriendo: per meatum autem superiorem in iecore, circa egressum venæ portæ, bilis in κύστιν deportatur: nõ tamen per eundem etiam expellitur, sed per alium, qui circa duodenum & ieiunũ intestinum deorsum porrigitur: licet Gal. 3. de facult. natur. cap. 13. anatomiæ contrarium doceat: vbi inquit: vesicæ, quæ sub iecinore est, collum, cum vnum sit, tamen per se vesicam non solum implet, sed etiam vacuat. Sic renes sero nequaquam nutriuntur: cum ipsorum caro sit admodum densa & compacta, illisque venæ generosum sanguinem suggerãt. Iidem aqueum humorem a sanguine non modo in vena caua, sed etiam arteria magna contento, colant & excipiunt per venas emulgentes: eumque deinde, qui quodammodo per incerniculum colatus excidit, per οὐρητῆρας ad vesicam huic humori admittendo lagenæ instar concinnatam, sensim defluere permittunt. Idem de aliis esto iudicium, idem κριτήριον: quippe ὁμόγονα sunt & ὁμοιότροπα. Hæc itaq; limi melancholici ex liene κληροδοσία in ventriculum ἐς κυνόσαργες: quam plebeii humanæ fabricæ architecti, & minime σπουδαιολογούμενοι in exedris Academicis Promethei, circa nouaculas autem, hamulos ac serras Anatomicorum νωθροκάρδιοι,

χάρδιοι, finxerunt. IX. Qui venam portæ cum venæ cauæ oſtiis conniuere negant, κρυνοχυλεσλήραιοι rētur: ſi vberior melancholiæ ſit prouentus, quam vt a liene attrahi poſſit: aut ſi in morbis meatus rami ſplenici, vt exiliores, obturentur, quo minus melancholicus humor a vena portæ per has ad ſplenem tranſuehatur: a liene ad meſenterium ramum, vt grādiorem & communis cum ramo ſplenico exortus, reſtagnare ſanguinem craſſum, lutoſum & humore plenum melancholico, talem habente in ſanguine conſiſtentiam, qualis eſt in vinis fæx: & hinc per hæmorrhoidas euacuari. Gal. 6. aph. 11. & 12. 3. aph. 30. lib. de atra bile, c. 4. & 7. & 6. Epid. com. 3. ſenten. 37. Veſal. lib. 3. de corpo. hum. fab. cap. 5. Columbus lib. 6. Anatom. Licet autem euacuationis per hæmorrhoidas beneficio interdum natura multos melancholicis morbis implicitos ſubleuet, aut ab iiſdem imminentibus præſeruet: non tamen ſequitur, in aliis quoque adfectibus ſanguinem exundātem per eaſdem venas non demi. Galenus pleriſque ora venarum, quæ in ſede habentur, vacuare ſuperflua, ἐπεσκεμμένως generaliter ſcribit, 7. method. medend. cap. 11. & in arte parua cap. 89. Et lib de ſympt. differ. cap. 6. hæmorrhoides, quamuis etiam toto genere præter naturā ſint: tamē præter naturam adhuc non ſunt, ſi modo tempeſtiue fiant: fiūt autem tempeſtiue, cum id, quod contriſtat, expellitur. Et 9. meth. meden. c. 5. ſi tempore mittendi ſanguinis hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpectus fluentis impetus ſatis fore videbitur, qui ſolus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: ſin minus, tantum ipſe detrahes: quo ex coniunctis am bobus perficiatur, quod poſtulas. Cum autem natura non melancholicum duntaxat, ſed quemcunq; ſan-

guinem exuberantē expurget: hæmorrhoides etiam venæ ſectionis vicem ἐπιεικῶς ſubeant: & iuxta eundem 2. aph. 17. κένωσις ὁμοτίμως ἁπάντων τῶν χυμῶν, ἡ μὲν ἀκριβεστάτη, διὰ φλεβοτομίας ἐστίν: ματαιόφρενες καὶ ματαιοτέχνοι, ſaltem effutient, ſolum ſanguinem melancholicum per has venas euacuari. Quod etiam Hip. initio lib. de hæmor. adeo luculenter profitetur: vt non niſi veterinarius ambigere poſſit. Hęmorrhoidum morbus, inquit, hoc modo fit: cum bilis aut pituita ad venas recti inteſtini decubuerit, ſanguinem, qui in venis eſt, calefacit: caleſcētes autem venæ ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt: &, vbi replentur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarū ſupereminēt: & partim dum a ſtercore exeunte comprimuntur, partim dum a coaceruato ſanguine cogūtur, ſanguinem eiaculantur: atq; hoc maxime quidem vna cum ſtercore, aliquando vero etiam ſine ſtercore. Videmus præterea naturæ expultricis beneficio in quibuſdam ſingulis etiam menſibus cōtingere: vt ſponte citra vllam medicationem aut virium eneruationem, ſola vel ῥυπαρείᾳ & κρομμυοξυρεγμία, vel vbertate laudabilis ſanguinis irritata, ſuperfluum & exorbitans in variis, nequaquam autem melācholicis duntaxat morbis, per hæmorrhoides excludat: quemadmodum etiam naturam cernimus in naribus collocaſſe amplas venas, vt in criſi quaſi emiſſaria ſint ſanguinis cuiuſcunque ſuperuacui expellendi. Hippocrat. 6. Epidem. ſection. 3. ſenten. 37. qui hæmorrhoidas, ait, habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena, neque furunculis, neque tuberculis, therminthi figuram habentibus, corripiuntur: fortaſſis autem neque lepris, fortaſſis neque alphis ſiue vitiliginibus, neque aliis: quam le-

ctionem etiam Galenus probat. Et 6. aphoriſm. 11. τοῖσι νεφριτικοῖσι, renum vitio laborantibus, αἱμορροΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν. Cuius rei hiſtoriam recēſet Scholiograph. ad Hollerii lib. 1. de morb. intern. cap. 55. de quodam, in grauiſſimo renum dolore, pus, ſanguinem & craſſam pituitam emingente: cui tumens hæmorrhois aperta fuit, & incredibili celeritate dolor conquieuit: qui nullis aliis remediis cedebat. Familiare inſuper hoc eſt grauidis: vt iis citra omnem noxam & viui partus internecionem hæmorrhoides vbertim ſanguine fere diluto fluant: quæ ſi ſubſiſtant, male ſe habent fœminæ: quod idem Scholiograph. vidit. Hos autem adfectus e melancholia ſcaturire, remur eſſe, qui dicet, neminem: niſi ipſe ματαιολοιγὸς & περιπετὴς melancholia aſinina laboret. Etſi vero Galen. lib. de atra bile, cap. quarto, quinto & ſeptimo ſcribat, aliquos melancholia correptos ex varicum ſublatione aut hemorrhoidis: hoc tamen ſectioni non imputandum, per quam ater ſanguis educitur, & a capite reuellitur: ſed, quod ſanato vlcere canales ſint amputati, per quos ſanguis euacuari ſolitus meare amplius nequit: vnde neceſſario in caput reſtagnat: quod aliquot ibidem exemplis declaratur. Reſtat, antequam συλλήβδην fluctuantem hanc nauem firmis inſiſtamus ancoris: vt fluxionis huius naturam ex πλανεσφοείᾳ, origine & progreſſu venarũ demõſtremus. Dexter venæ portæ trũcus, meſenterio a tergo commiſſus, aliquot ramos inter duas meſenterii mẽbranas, inteſtinis, ieiuno, ileo, cęco & colo, qua dextro reni & iecori adiacet, impertit: hinc circa ſiniſtrã meſenterii partem, vbi colon a lienis regione ad rectũ vſq; inteſtinũ dorſo adligetur, inſignis vena ad colon, qua parte a ſiniſtra ventriculi

ſede ad rectum inteſtinū pertinet, depromitur: quæ in plures diſcinditur ramos: quorū vnus eximia magnitudine iuxta coli finē ſub recto inteſtino deſcendit: ad cuius extremum cum peruenit, pluribus ſurculis orbiculatim finem inteſtini recti amplectitur, & in muſculis ani interioribus terminatur. Per hunc ramum cenſent omnes ſanguinem melancholicum excerni. Hic ramus quandoque eo modo ſanguine turget, quo iam parturientium animalium venas vterum amplexantes inſigniter amplas diſtentaſque cernimus: vt pollicis quaſi craſſitiem ſuperet: quod obſeruauit Veſal. lib. 3. de hum. fabric. cap. 5. & lib. 5. cap. 15. Contra nemo anatomiam callens inficiabitur, ſanguinem etiam ad hæmorrhoides poſſe exonerari a vena caua, per tres venas ab ea prorepentes, cum ſuis arteriis, a duabus iliis & ramulo venæ ſacræ dictę Syluio, quę in inteſtinum rectum deſinunt. Vena caua circa poſtremam vertebram, oſſiſq; ſacri initium, priuſquam duobus ampliſſimis ramis in crura prolabitur, aliquot propagines in ψόας, interiores lūborum muſculos, vicinum peritonæum, os ſacrum, & hinc in podicem, rectumque inteſtinum demittit: quæ hæmorrhoidum aceruum conſtituunt. Idem euincunt hiſtoriæ ab Amat. Luſitan. centur. 5. curat. 3. & Schenckio lib. 3. obſeru. 159. ex Oethæo recenſitę: quod ſanguinis copioſa per hęmorrhoides menſtrua euacuatione intempeſtiue conſtricta, quidam per os ſanguinem abſque tuſſi & febri, ſubflauum & rubrum coaceruatim emiſerint. Canales alii nō ſunt, quam venæ cauæ tubi: quod ſupra de fluoris mēſtrui vomitu enodauimus. Et fieri nequit, vt vbertas hæmorrhoidum exundans a venis meſaraicis & ſplene proueniat: niſi etiam vena caua commeatum ſuggerat.

rat. Scribit SchWeyckerus circa finem consi. appendic. Montani pag. 59. Montanum vidisse Vrbini laborantem hæmorrhoidibus, cui quotidie effluerent duæ libræ sanguinis, & amplius, idque per 45. dies, nec vnquam constrinxisse, & curatum esse. Et hinc color totius corporis mutatur propter hæmorrhoidas: vt scribit Gal. 1. de loc. adfect. cap. 5. Imo, (quod Victor Trincauell. lib. 9. de rat. curand. partic. huma. corp. adfect. cap. 14. adnotat:) obseruamus, quod sanguis per hirudines detractus, præsertim quando hæmorrhoides prius sponte non intumuerint, aut doluerint, effluit clarus, & nō admodum crassus. Quod & absque ψυχρολογεῖν ratio hæc innuit. Omnes corporis musculos constat sanguine per venam cauam distributo nutriri: cur igitur eos, qui in extremitate recti intestini collocati sunt, eodem ali inficiabimur? Hoc autem fieri non posset, si venis a caua deriuatis destituerentur. Ex his manifestum est, non solum lutosum & melancholicum lienis venarumque mesaraicarum, sed etiam floridum & bene coctum vniuersi corporis sanguinem per hæmorrhoidas expurgari: nec inde fundamētum hoc exstrui posse, lienem melancholici sanguinis officinam esse, licet in multis melancholicis adfectibus hæmorrhoides prospere fluant: cum hæ non tantum a ramo venæ portæ mesenterico, sed etiam a vena caua aliquot surculis oriantur: & in diuersis quoque a melancholia morbis ea expurgatio accidat.

X Idem ἀδιαιρέτως euincit Scorbuti σύνοψις. Dicunt eius caussam esse humorem melancholicum, lutulentum, crassum, frigidum. Hunc ad motum ineptissimum, aliquoties iam a Galeno audiuimus: vt nec δημονοθετοῦντας amplius fugiat. At quomodo is contra

naturam, cũ grauia semper deorsum ferantur, ad gingiuas adscendet, easq; erodet? quis hippocomus erit aut agaso? Corrumpuntur gingiuæ aut propter vim humorum erodentium: aut propter carnium laxitatem, quæ in ipsis fluida est, & patitur non duntaxat ab acrimonia fluxionum, sed etiam leuissima quaque de caussa: aut propter crustas dentibus adcrescentes: aut propter tum acrium, tum durorũ esum: aut propter frequentem atq; inconsideratam scalptionem. Sed a Scorbuto humores erodentes exsulant: quemadmodum aliæ vlcerationes fiunt aut adfluxu acrium & tenuium humorum, aut nimio medicamẽtorum τῶν ῥυπτικῶν καὶ τμητικῶν vsu: sunt enim hic frigidi, crudi, crassi humores, qui non sunt infames erosione. Amplius, si succi erodentes dominarentur, scabies aut vlcera corporis συμπρόσεδροι Scorbuti satellites essent. Neq; carnis laxitas locum habet: cum melancholia põtica sit, & adstringat potius. Deinde nec conspicui sunt ductus, per quos tam crassa melãcholia ad gingiuas arcera strata, cisiove vehi possit. Si, quod necesse est, in venas, cauam inprimis, prolaberetur: distribueretur promtius in corpus vniuersum: non enim tam cito in gingiuas se recta insinuare potest humor indolis tardissimæ, & sursum quidem violenter adscendens: sed, antequam eo perueniret, hac illac diffluerer, variasq; cieret inualetudines: nisi διάγνωσιν & διάνοιαν illi tribuamus, qua, quatenus progredi debeat, amussim sciat. Iisdem arietibus hęmorrhagiam narium debellamus. Gal. com. 5. ex Hippoc. lib. 2. de nat. hum. inquit: Si caussa contristans consistentia tenuior sit, quam sint particulæ ductus, non raro quidem disruptis vasis, vel orificiis ipsorũ apertis amplior euacuatio fit: sicut accidit in effluxib. sanguinis

guinis sine vulnere. Διαπήδησις in sanguinis profluuio e naribus crebrior est ἀναστομώσει: fit enim illa tum tunica venarum rarefacta, & sanguine tenuiore: tum etiam gracilium vasorum ostio reserato. Et Arist. 10. proble. 2. quærens, cur homini maxime omnium animalium sanguis a naribus effluat, id euenire respõdet: quoniã cerebro humidissimo est: vnde fit, vt sanguis capitis humiditati plurimæ cerebri commixtus velut ichor euadat, & subinde venis facile effluat. Tenuior igitur in Scorbuto humor potius, quã crassa melancholia sanguinis profluuium e naribus ciet. Gal. 2. de diffic. respir. c. 10. scribit: post iudicationem perfectam per sanguinem e naribus effusum, Metonem delirasse, scilicet non pauca sanguinis copia ad ipsius caput perueniente, velut ebriis ex capitis repletione contingit, suscipiẽte capite oẽm adfectionem. Quid dicendũ de melancholico sanguine? an nõ hic insanos, θεοφορουμένους & δαιμονοφορήτους redderet Scorbuticos, si sursum ferretur: cũ iam necessario induerit malignitatẽ: & sola euaporatione, imaginationem rationemq; perturbet, ac in mœstitiam, delirium, desperationem, atq; alia eius farinæ horrenda symptomata hominem pręcipitet? Quod etiam illorum asylum demolitur: qui, cũ ad hos scopulos se impingere cernerent, dixerunt, crassiorẽ melancholiæ fæculentiam sola crura contaminare, gingiuas vero euaporante acredine inficisiue, vt Holler. lib. 1. de morbis, cap. quadragesimo, loquitur, ex translatione acerbi vaporis per continuitatem interioris tunicæ, quæ palato & stomacho communis est. Similem fingit hæc μεταξυλογία melancholiam vespertilioni: qui in aere culices venatur, in terra suillas pernas populatur. Caussam proximam melancholiæ, quatenus est

adfectus cerebri per συμπάθειαν, esse melãcholici halitus exhalationem, scimus ex Galen. 2, de symptom. cau. cap. 7. qui organicam cerebri spiritusq; animalis dispositionem peruertit: siue iam hepar, siue lien, vel mesenterium, & nonnunquam etiam pancreas, vel venæ mesaraicæ, vel ventriculus & hypochondria simul laborent. Cur itaque Scorbuticis non semper, vt melancholicis, si in vtrisq; euaporationes melancholicæ sint, eadem obueniunt symptomata, vt metus, κλαυθμυρισμὸς, solitudinis amor, vitæ tædium, μετεωρολεσχία, præposterum iudiciũ & συφελισμός? Adfine hoc dogma est opinioni Asclepiadis: qui, (vt Gal. 1. de facul. natur. cap. 13. scribit:) voluit, eum, qui bibitur, humorem in halitus resolui, atque in vesicam transmitti: inibi vero denuo concretos priorem deinde recipere formam, fieriq; ex halitibus plane humorem. Quam doctrinam ideo ἐκστάτης Galenus λακοπατῆσαι voluit: quod relictis tam latis ac manifeste apparentibus viis, obscuras, angustas, nec vllo prorsus sensu perceptas proposuit. Exemplum petunt à catino ergasterii Spagirici balneario, arenario, cinerariove: in quibus pyronomia essentia rei halabilis prolectatur, & dato igni suspirantes halitus vaporibus copulantur: qui postmodum in alembico rostrato, vel serpentinis anfractuosis coagulati frigore deferuntur per stillicidium, translati a vase refrigeratorio in excipulum deorsum locatũ. Quemadmodum & in magno mundo, (vt Aristot. 2. meteor. cap. 2. refert:) calore solis, quicquid dulcis, tenuis & leuioris humoris est in mari, illud continenter attrahitur: remanet autem portio crassior, terrestris magis & salsa. Cuius similitudinem etiam destillatio illa suggerit, cum pro fornace solis calore vtimur: item quæ

per

per parabolam fit, cum ſpeculo collecti radii repercutiuntur ad conceptaculum: vel deſtillatio per cryſtallos, cum a globis cryſtallinis radii iidem ad vas diriguntur. Et illæ præclaræ animi vacillantis ſunt fulturæ: quę ἀδιαφθαρσίᾳ carent. Non inficiamur, trunco corporis caput velut tectum quoddam ſiue καπνοδοχεῖον fumoſæ domui ſuperpoſitum eſſe: quod cucurbitæ ritu ab infernis libat, ſorbetque omnis generis fuliginoſa & vaporoſa recrementa, quæ inter concoquendum vi caloris eduntur: & illiſa cerebro, indidemque repercuſſa, perinde in aquam frigore eius addenſari contingit, atque terrarum exſpirationes in imbrem, aut halitus in turbine ac meta deſtillatica in guttas roſcidas concreſcunt. At ſi quis hæc adductis rationibus κατασπουδῶν librauerit, ἀδιατάκτως huc referri, lutumque arenæ miſceri deprehendet. Alii εὐρεσίλογοι excrementi melancholici λεπτότερον καὶ ὑδα-λωδέστερον, ideoque ad quemuis impulſum ſequacius, quocunq; ſane modo, & quacunq; de cauſſa actum, citumve fuerit, in Scorbuto tãtum ad gingiuas & nares peruenire, ſuſpicati ſunt, craſſiorem vero partem ad crura. Hi, etiamſi aliquanto propius metam attingere videantur, in hoc tamen hallucinãtur: quod iuxta eoſdem ſecretio tenuiorum partium a craſſioribus in melancholia non alibi fiat, quam in liene: qui tenuiores portiones in ſui nutrimentum vertit, craſſiores vero ad ventriculum amandat. Lien itaque, ne tabeſcat, alimentum conueniens mordicus reſeruabit. Cum vero in Scorbuto lien ſit obturatus, quis illius vicem ſubibit? Et, licet tunc humorem rapi dicãt in venas, illæ tamen partes tenuiores non ſecernent a craſſioribus: cum venæ duntaxat, illorum nutu, ſint ὑποδοχαὶ humoris alterãdi. Et mirari licet, craſſa ὑπο-

χωρήματα non ſubſidere in aliquo corporis membro: & in eo vel ſcirrhum, vel cancrum generare: non ſecus ac cum θρόμβωσιν lactis procuramus, ſeroſam eius partem per διόρωσιν ſiue μεταβολὴν εἰς τὸ ὀῤῥῶδες καὶ ὑδατῶδες ſeparamus, vnde reliquum induratur. Immo non alia ratione ſcirrhi inexpugnabiles oriuntur: quã cum in materia craſſa inflammationum reſoluenda, διαφορητικοῖς λεπτύνοντα & μαλακτικὰ non præmittuntur. Sic falſa ex hypotheſi falſa deduci, nõ eſt mirum. Secundum ipſam rerum naturam ſapere, hoc eſt vere ſapere. Hinc argutiæ lucent in eruditorum ingeniis, quaſi igniculi quidam & fomenta vegetæ indolis: quæ neque maturis animis oneri, neque iudiciis confirmatis dedecori ſunt. Pro his & nos hactenus πεφροντισμένως & ſimul πεφυλαγμένως ſtetimus: quando tam αὐτοψίᾳ quam rationibus lectiſſimis demonſtrauimus, lienem nequaquam conceptaculum eſſe eliciendis ſanguinis fecibus deſtinatum: quas ipſe attrahat, & denuo elaboret ad ſui nutritionem: id autem, quod alimoniæ eſt ineptum, in ventriculum abſtrudat: vt ſua aciditate conſtringendo, ventriculi actiones roboret, & ὄρεξιν excitet: multo itaque minus conſentaneum, cauſſam ſcorbuti internam προηγουμένην humorem craſſum melancholicum, in vaſis ſanguinis ſtabulantem, ſtatui poſſe. Alius iccirco vſus ad τελεσιουργίαν lienis ex penitioribus naturæ theſauris depromendus: alia Scorbuti cauſſa, perpendiculo ſapientiæ, indaganda, ponderanda, inauguranda, in ſcenam producenda: iuxta hoc principium methodi, qua ſimul cum adfectu locus adfectus inueſtigatur. τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τὸ ποιεῖν αὐτὴν μόριον: teſte Galeno 1. de loc. adfect. cap. 2.

Nos

Nos cum ſolertibus Philoſophis & catis Anatomicis ἐπιδεξίως nobis perſuademus: (præter generalem vſum, quem Ariſtot. 3. de partib. animal. cap. 7. omnibus viſceribus tribuit: vt venarum nempe penſilium ramificationes, viſcerũ copula, ſuſtineri conſtantius & ſtabiliri ad corpus poſſint, dum quaſi ancoræ partibus appenſæ, viſcera ad venas corporis iaciantur:) lienem αἱματοποίησιν iuuare: dum humiditates tenuiores ex ventriculo ſorbet, coquit & auertit: ne vbertate frigiditateq; ſua venarum actionem interturbent. In hac ſententia eſt aquila ſapientiæ Ariſtoteles, modo citato loco: δόξειεν ἂν οἷον νόθον ἧπαρ εἶναι ὁ σπλὴν: lien videtur adulteratum iecur eſſe. Et paulo poſt: ὁ σπλὴν ἀντισπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς, καὶ δύναται συμπέττειν: αἱματώδης ὤν. Vbi aſteriſco notandum: Veſalium δολερῶς τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς interpretari vapores vagantes. Ἰκμὰς enim, licet apud Homerum vaporem quandoque ſignificet, γνωστικῶς & ἐτυμολογικῶς tamen ab ἰκμάζω deſcendit: quod eſt humecto, ſtillo, fluo, mollio. Similiter & περιττὸν eſt ſuperfluum, quod reſtat: hoc a περισσεύω deriuatur: quod Latinis eſt, abundo, ſupero: non autem a περιΐσταμαι, quod eſt amblo, circumuagor. Et cap. 4. eiuſdem libri ait ſapientiæ Doctor: τὸ ἧπαρ ἔχει τὸν σπλῆνα, ὥσπερ ἀντίζυγον: hepar ſplenem habet, non ſecus ac in oppoſita lance, ſiue æmulum. Huic opinioni etiam Platonem ſubſcripſiſſe, colligimus ex Timæo: vbi τοῦ ἥπατος ἐκμαγεῖον, effigies ſeu expreſſum ſimulacrum hepatis, lien nominatur. Auctor inſuper libri de vtilitate reſpirationis ait: Dico etiã, quod, quemadmodum hepar, ita quoq; & ſplen attrahit ſuccum cibi ab inteſtinis per medium meſenterium, cui continuata eſt vena ſplenis, quemadmodum & hepatis

vena:vnde ſplen,vt ait Ariſtoteles, recte hepar ſini-
ſtrum poteſt appellari.Item a corde protenditur ve-
na ad ſplenem, quemadmodum ad hepar: per quam
cor attrahit ſibi ſuccum cibi a ſplene, quemadmodũ
ab hepate. Miror autem quãplurimos antiquorum
ignoraſſe vſum ſplenis in corpore humano:alios au-
tem opinatos noſſe,penitus erraſſe: ſolus vero Ari-
ſtoteles in libro de particulis animalium diligenter
ſupra hoc ſcripſit,qui fuit verus ſolus veritatis oſten-
ſor. Aret.1.de cauſ.& ſign. Chronic.c.13. lienem eſſe
parem iecori in ſanguinis generatione ſtatuit. Para-
celſitæ ſaniores,non eſſe verum ſcribunt:quod dicũt
Anatomici, totum ſanguinem in liene contentum
excrementum eſſe: ſed lienem in primo ordine ex
neceſſitate prædeſtinationum deducto conſtituunt:
qui earum eſt partium,quæ actionibus elemẽtorum
inferioris globi inſeruiunt, vt ſunt ventriculus, he-
par,œſophagus,venę:cum ſanguis ipſum ſit elemen-
tum,& partium dignitatem tranſſcendat: quemad-
modum actionibus elementorum ſuperioris globi
inſeruiunt cor,pulmones, arteriæ, diaphragma: ſpi-
ritus autem vitalis per arterias diffuſus elementum
eſt.Nonnulli eiuſdem cum Eraſiſtrato factionis, te-
ſte Gal.lib.de atra bile, cap.7. adfirmarunt, lienis vi-
ſcus eliquatum ex cibis ſuccum ad frugi ſanguinis ge-
nerationem præparare iecori. Alexander eandẽ ſen-
tentiam enuntiat dilucidius ſect.2. problem. 44. vbi
quærens, cur febre laborantibus lienes augeantur,
reſpondet: an quia illi adfluentius hauriant aquam,
quam deinde lien, vel quia fungoſus laxuſque, in ſe
rapit,vel quia imbecillis adfluentem excipit? Omni-
bus autem hic palmam præripit Hippocrates: qui a
κατακλύσει hanc doctrinam adeo ſtrenue vindicat:vt,
ſi quis

ſi quis ambigat, in ſole meridiano, ſudo, ſplendorem deſideret. Is ſic lib. 4. de morb. ſcribit. Nunc vero dicam de aqua, quomodo & cur copioſior fiat in corpore, & quomodo ſplen trahat in ſeipſum. Adſero autem, vbi homo bibit amplius, & corpus, & ſplenem, aquam in ſeipſa trahere ex ventriculo: &, ſi plus traxerint, quam oportet, ſtatim hominem adfligi: atque hoc ita fieri intelligunt, quicunq; homines ſplenici exſiſtũt. Poſtquam autem traxit ſplen, optimum eſt, ſi vetus aqua, quæ in ſplene inerat, ad veſicam aut ventriculum excoletur, & per hæc expellatur. Nam per ſupernas regiones non purgatur aqua de ſplene, niſi quantum eius in vaſis ineſt, quæ de liene procedunt: verum ad ventriculum & veſicam depurgatio fieri poteſt. Si vero hæc ad fluxionem apta non fuerint, neque aqua per ea foras excoletur, de ſplene ad infernas partes aqua procedit, atq; iſthic alii humori miſcetur. Et, ſiquidem pauca fuerit, non ſane læſerit, ſed de corpore ad veſicam & ad ventriculum per venas excolari poterit. Sunt enim multæ ex hoc tendentes deorſum, quæ ex infernis partibus ad ſeipſas trahunt, vbi ſicciores fuerint, quam prius erant. At ſi alia aqua generetur, & vẽtriculus ac veſica foras non expellant, ſplen eleuetur, & infernæ corporis partes dolore adficiuntur. In eodem libro aliquoties ſplen aquæ fons decernitur. Et lib. 1. de morb. mulier. inquit: γίνεται δὲ ὁ σπλὴν ὑδατώδης ἀπὸ τοῦδε τοῦ παθήματος: ἐπὴν πῦρ ἔχῃ, καὶ μὴ ἀφίῃ τὴν ἄνθρωπον, καὶ δίψαν μιν λαμβάνῃ καρτερὴ, καὶ πίνῃ, καὶ μὴ ἀπεμέσῃ: τὸ μὲν γὰρ ἐς τὴν κύστιν διελθὸν διουρέεται. τὸ λοιπὸν δὲ ὁ σπλὴν λαμβάνει, διασπῶν ἀπὸ τῆς κοιλίης πρὸς ἑαυτὸν, ἅτε ἀραιὸς ὢν, καὶ σπογγώδης, κείμενός τε κατὰ τὴν κοιλίην. Καὶ ἢν τούτων οὕτως ἐχόντων μὴ ἱδρώσῃ, μηδὲ ἡ κοιλίη χαλᾶται, αἴρεται ὁ σπλὴν ὑπὸ τούτου, καὶ μᾶλλον ἢν

ὕδωρ ἢ τὸ ποτόν. Id sonat Latio. Fit splen aquosus ab aqua intercutem, cum febris habuerit, & non dimiserit hominem, & sitis ipsum corripuerit fortis, & biberit, ac non reuomuerit: nam quod in vesicam penetrat, per vrinam eiicitur: reliquum vero splen capit, abstrahens a ventre ad seipsum, vt qui rarus est, & spongiformis, & secundum ventrem situs. Et si his sic habentibus non exsudarit, neq; aluus laxetur, ab hoc splen attollitur, & hoc magis, si aqua fuerit potus.

Ex hac auctorum ὁμοδοξίᾳ cuiuis apparet, ista non esse Neotericorum Censorum καινουργίαν & ἀειχλίαν: quæ ἐπικοκκάστρια Galenici dissemina nt in διακριβολογουμένους: sed vsum lienis hodie tritum, ob priscorum philosophiæ & medicinæ procerum καταχειροτονίαν, iamdudum suspectũ esse: qui sanguinem humidiorem tenuioremq; a liene apparari decreuere: nobiliorem splenis facientes mẽtionem, quam Galenus, & alii minorennes. Quamuis autem doctrina, nõ solis propriis demonstrationibus, sed etiam cognitione eorum, quæ veteres sapientes dixerunt, perficiatur: vt ex Gal. 3. de diffic. respir. c. 1. liquet: cum tamen testium fide res agere potius oratoris sit, quam hominis veritatem colentis: vt idem in Suasor. ad artes, c. 6 ait: & iniquum sit vni auctori præ aliis absque demõstratione fidem adhibere, caute eodem monente, 1. de facul. alim. c. 1. dogmatis huius rationes lectissimæ, ceu supplementa, non autem delitiæ otiosæ, arcessendæ sunt. Vt enim hæc maxime ad arcendum κωλυσιεργίαν necessaria: ita accuratissime reuocãda ad βάσανον, aut ad incudem, aut ignem: id est, ad reflexionem rationis, metallorum more: quorum probitas citra βαρυφεσσύνην illis legibus tribus exploratur.

I. Lie-

I. Lienem νόθον ἧπαρ, καὶ ὥσπερ ἀντίζυγον hepati, εὐστόχως nominari a Deo sapientiæ, hinc constat: quod creberrime videamus, delumbi hepate splenem belle valere: dum hic chylum ex ventriculo sugit, & ex eo, iecinoris nomine, sanguinem conficit: vnde non solum coloratior splen redditur, sed etiam aliquando mole & magnitudine sua iecur superat, teste quoque Fernelio lib. 1. physiolog. cap. 7. Exemplum recitat Vesal. libr. 5. de human. fabric. cap. 9. quod in sectione Patauina adeo grandem viderit lienem, vt modice admodum moli iecoris cederet, & anteriori iecoris parti adnatus, anteriori quoque ventriculi sedi exporrigeretur: lienis autem totius substantia, sanorum visceris substantiæ penitus respondit: & cadauer fuit adolescentis candidissima & glabra cute, minimeque natura melancholici, aut valetudinarii. Et Marcell. Donatus histor. mirabil. lib. 6. cap. tertio, scribit, quandam mulierem lienem adeo ingentem habuisse, vt vniuersum abdominis spatium occuparet: quo tamen non obstante, plures filios peperit, recte & exacte admodum formatos, non sine omnium ingenti admiratione. Columbus libro decimoquinto, lienes adeo grandes se vidisse ait, vt viginti librarum pondus vnusquisque ex his longe excederet. Et Schenckius libro tertio Obseruation. 92. ex Garnero recenset, lienem cuiusdam Patritii Clodiensis viginti tres libras librauisse: cuius substantia sanorum visceris substantiæ omnino respondebat, nihil quo ad colorẽ mutatus: nisi quod sanguis in eo contentus non ita ater fuerit, prout esse solet, sed propter copiosissimum potum, quo nutriebatur, subalbidus erat & valde densus: παρέγχυμα similiũ habebat iecori. Sic & nos vidimus viri hepar vna cũ folliculo,

reductæ iecinoris regioni ſubnexo, corruptum, calloſum, ὑδατόχλοον, & ad generationem ſanguinis nauci: lienem vero magnitudine, flore & colore cum hepate ſano certantem. Ad finem hiſtoriam recitat Coiter in lib. obſeruat. Anatom. & Chirurg. de virgine cachectica & hydropica, quæ integro biennio ante mortem laborabat copioſiſſima narium hęmorrhagia, quæ non niſi venæ ſectione ſiſti potuit: ex cuius dextra nare frequẽter per interualla aliquot ſanguinis guttulæ promanabãt: cuius vena vmbilicalis ſanguinis copia turgida atq; extenſa in quibuſdam locis, vbi hæc vena contorquebatur, inſtar varicum tuberoſa. Huius hepar iuſtam habuit magnitudinem, ſed erat album, tuberoſum, inæquale, durũ, & exſangue, vt vix ſanguinis guttula ex diſſecto hepate exierit, ex gibbo nihil, ex ſima parũ. Coiter hic diſcuſſione dignum iudicat: poſtquam hepar ſanguinis officina, & primarium ſanguificandi inſtrumentum in hac virgine tam exſangue exſtiterit, tantis obſtructionibus laborarit, tot ac tantis ſcirrhis tuberibuſq; refertum, & ex conſequenti ad ſanguinis generationem ineptum redditũ fuerit: quomodo contigerit, quod hæc virgo tanta αἱμοῤῥαγίᾳ tam longo tempore laborarit, atque ea quantitate venæ poſt mortem repletæ inuentæ ſint. Licet autem ibi nonnulli κρημνοποιοὶ, Galeno ὁμόσεγοι ex 4. de vſu part. cap. 17. adſerant, vti inteſtinis χυλώσεως a ventriculo, arteriis propulſandi vim a corde, ſic & venarum generi αἱματώσεως facultatem impartiri, horum partibus ſuis fontibus vicinioribus maiorem, remotioribus minorem vim cõmunicari: cum tamen hæc κρησφύγετα καταγνωσθῆναι ex ſuperioribus liqueat, iſta in ζυγαστρεῖον Chiorum detrudimus, & in illorum potius ſententiam imus, qui καλλιστοχέοντες
lienem

liené in dicta virgine hepatis prouincia perfunctum adfirmarunt. De hoc ἀσυγκροτήτους ipsa etiam natura animalium formatrix admonet: quæ nonnunquam ἐ-λλθειάζουσι hepar in sinistro, lienem in dextro collocat sumine: vt testantur Gemma lib. 2. Cyglognom. pag. 75. & Cosmocrit. lib. 1. cap. 6. Aquapendens item & Petrus Sporerius apud Schenckium lib. 3. obseru. 9. Etsi porro vices iecinoris exorbitãtis subeat splen: sanguis tamen in eo fabricatus crudior, humidior & tenuior exsistit illo, qui in hepate perficitur: quod etiam historia modo ex Garnero recitata perspicue ostendit. Vnde, cum nutritio cespitet, corpus κακοτροφίᾳ imminui, ac exsuccum reddi cernimus, non secus ac si essent θυμβρεπίδειπνοι: Plus enim chyli & sanguinis crassioris ad lienem restagnat: quam ipsius fabrica & vasa capiendo & concoquẽdo sunt. Vnde Hippoc. lib. de locis in homine, ex iisdem, inquit, & splen florescit, & corpus contabescit. Quo respectu Cæsar Traianus fiscum spleni similem esse, εὐτράπελος dixit. Sicut enim, vbi ęrarium Imperatorum locupletatur, subditi atteruntur: ita liene sanguinem floridum absorbente, partes corporis εὐτροφίᾳ spoliatæ emarcescunt. Quod etiam Galen. 2. de facul. natur. cap. 9. ruminat.

II. Natura ἐργοδιώκτης docet, lienem adulteratum iecur esse, nec alium lienis, alium hepatis statuẽdum vsum: quod in quibusdam animalibus, quæ liene destituuntur, hepar bipartitum crearit: vt in leporibus nonnullis in locis, & in piscium genere, qui cartilaginei appellantur: quod eruditi ex Aristotele obseruarunt. Sicut &, teste Gellio lib. 16. c. 8. Theophrastus philosophus peritissimus omnes in Paphlagonia perdices bina corda. Theopompus vero in Bisal-

tia lepores bina iecora habere dicunt. Idem adfirmat Athen.lib.9. Cælius Rhodigin.lib.4.cap.16. Lection. antiq. Plin. item lib.11.cap.37. qui etiam addit, translatis alio perire iecur alterum. Sic Galen.lib.7. administr. Anatom.cap.11. ſcribit, quempiam gallum Diis ſacrificantem, cor inueniſſe duos vertices habens. Et Gemma lib.2.art.Cyglognom. hepar duplex vidit. Et huc referimus, quod Ariſt.3.de partib.animal.cap.9. dicit, hepar & lienem præſertim conferre ad alimenti concoctionem: quemadmodum maxime ſunt ſanguinea, & hinc calidam admodum naturam habent. Δημιουργὸς autem concoctionis omnis in corpore eſt calor natiuus: cuius tamẽ in omni generatione, qualitatum modum actionemque, ipſa gignentis natura moderatur & temperat: teſte eodem lib.4. Meteor. cap.12.

III. Hepar Archimagirus ἐν τῷ μικρῷ κόσμῳ, coctionem venarum ſanguificãtium adiuuat, dum ſua corpulẽtia, tanquam culcita plumea vel puluino eas fouet: perinde ac ἐπίπλοον coctionem vẽtriculi promouet. Sic enim conſeruatur diutius calor a corde manans: cuius vi omnis πέψις abſoluitur. Eundem vſum largitur lien innumeræ venarum ſoboli, quas recipit. Nam vtrumq; viſcus παρέγχυμα dicitur Eraſiſtrato: quod nempe eius moles nihil ſit aliud, quam ex venis effuſus ſanguis, circum vaſa cõcreſcens: vt Gal. 11.de ſimpl.med.facult.initio ſcribit. Nec hic ἐπεξεργασίαν σκοπεῖν vult, ſed 4.de vſu par.c.12. & 6.de plac.Hipp. & Platon.c.8. huic rubræ molliq; ſubſtantiæ hepatis, nuper concreto ſanguini quam ſimilimæ, ſanguinis abſolutiorem φύσιν adſcribit, qua forma eius inducitur. Idem 4.de vſu part. c.15. lienis παρέγχυμα eſſe ait: quo facultatem habet ſplen ad ſeipſum trahendi ſuccos

cos

ços melancholicos. In lienis etiam non minus, quam iecinoris corpus recta linea, nõ autem συνεστραμμένως, membranæ omenti inseruntur, & in ipsius degenerant tunicam tenuem & simplicem: quarum interuẽtu peritonæum lieni tunicam obfert, præter multiplices fibras in lienis gibbo prope septum. Cum itaque ex eadem materia, eadem norma, vtrumq; viscus hepatis & lienis concretum sit, non dubium est, eundem quoque vsum vtriusque παρεγχύματος esse.

IV. Idem per δοκιμασίαν vasorum structura docet: quam superius in tertia ratione contra Galeni συγχώρησιν adduximus. Omnium venarum a vena portæ propagatarum, quemadmodum eadem scaturigo & substantia est, ita & eadem actio, idemque vsus necessario erit. At rami dextri humiliorisque mesenterici venæ, quas mesaraicas indigetamus, (cum μεσεντέρειον idem sit, quod μεσάραιον, vtroque nomine ab accidentibus indito, illi quidem a situ, huic autem a peculiari substantia, teste Galeno lib. 6. τῶν ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων, capit. 6.) obtineat, ἐνέργειαν sanguinem ex benignioribus chyli portionibus generandi, & actutum quidem, cum chylus attrahitur: vt propterea mixtio remeantis sanguinis perfectioris per truncum lienarem venæ portæ minime locum habeat.

Hic sanguis non ὑπογραφὴν duntaxat, sed τελείωσιν alterius sanguinis habet: nec vlteriore elaboratione in iecore indiget: vt eo omentum, intestina, pancreas, mesenterium & vicinæ partes examussim nutriãtur: quod, nisi esset ἀνυπερβλήτως excultus sanguis, fieri non posset. Vt de αὐτοψίᾳ nihil dicamus: cũ vel lanii & popinarii propalent, omnibus numeris

absolutum in mesaraicis venis sanguinem conspicis: quicquid δοκησίσοφος Eustat. lib. de officio renum nugetur: quorum vasorum coctio ne ὑποσυγχύτως procederet, natura vberem adipem, & glādulosum corpus πάγκρεας, mesenterio ex dura membraneaq; substantia, & gemina peritonæi tunica conflato, adsociauit. Quæ igitur σεμνηγορία alterius rami sinistri venæ portæ, splenici vocati, vasa, eiusdem cum mesenterio ramo prosapiæ & substantiæ, ἀλλοιωτικὸν ὄργανον καὶ τόπον τοῦ αἵματος esse negabit? Huius autē rami vasa minora gracilioraque, quam mesenterici, ideo visuntur: quod tenuiorem humidioremque hospitentur sanguinem: &, vt a mesenterio mesaraicæ venæ, sic hæ a lienis carne seu mole concreta fouentur: vt felicior & velocior fiat αἱμάτωσις.

V. Lien est παρέγχυμα valde laxum, valde leue, valde tenuium partium: quod in mensis patet, cum sit valde solutilis in ore, neque multum a pulmone differat. Sic Gal. 13. method. medend. cap. 16. & 4. de vsu part. cap. 15. lienis rariorem & leuiorem esse carnem & substantiam scribit, quam hepatis. Et Hippoc. lib. 1. de mulier. morb. & lib. de veteri med. refert: quod lien sit ἀραιὸς καὶ σπογγώδης, rarus & spongiformis. Laxam hanc & raram substantiam ideo lieni inesse dicunt cum Gal. 4. de vsu part. cap. 15. vt succos crassos facile & attrahat & excipiat. Diluit superior responsio, atque etiam diruit horum futilem opinionem: quod lien tubis vacet: qui tam crasso limo sint ἀνάλογοι. Id declarat apto exemplo Hippoc. lib. 4. de morb. vbi inquit: quin & hoc ita se habet, quod ad folliculum in hepate sola bilis a cibis ac potibus secernitur: venulæ enim cum debiles & tenues sint, alium humorem trahere non possunt, qui grauior & crassior

exsistit:

exſiſtit:& ſimul non eſt ea loci capacitas, vt alius humor in hoc folliculo conſiſtat. Et quoties in liene ἔμφραξις ſeu σφήνωσις, (quæ eſt corpore interſepiente, quaſi adacto cuneo, cauitatis obturatio:) ſequeretur: tam cœnoſis recremẽtis raram eius intercapedinem infarcientibus? Cuius rei exemplum in ſpõgia, quam βαρυπρεπέες Galenici adducunt, habemus. (Liceat enim nobis cum illis ἀπολέμως res inprimis ſerias friuolis tueri argumentis.) Illa aquam aut ſimilẽ liquorem facile imbibet, poris liberis: ſi vero cœnum admoueris, vt hoc abſorbeat, id foramina ſpongiæ laxa & rara inſtar vnguinis pertinaciter oblinet: vt, velut tragula iniecta, ſubſequenti humori, vel tenuiſſimo quidem, nullus pateat aditus. Sic σοφαρεβλέφαροι nobis os ſublinere volunt fæcibus limoſis putidiſque. Nos pronuntiatum hoc, quod Gal. 2. aphor. 17. in Areopagum producit, ἀξιομνημόνευτον iudicamus, perinde ac oraculum ex tripode dictum: τρέφεται ἕκαστον μόριον ἐξ οἰκείας αὐτῷ τροφῆς, proprio ſibi alimento: ἣν ὀρθῶς ἂν εἴποιμεν εἶναι κατὰ φύσιν ἑαυτῷ. Nulla eſt in homine particula: cuius natura & temperies non differat a natura & temperie alterius, quam ex quatuor qualitatibus eſt nacta: teſte Gal. 1. de facul. natur. cap. 3. Vnaquæque iccirco pars attrahet ſuccum ſibi cognatum, qui alteri parti minus conueniet: non enim quodque animal quocunque cibo nutriri poteſt: & augetur quodque ac nutritur a ſimilibus, perimitur ac corrumpitur a contrariis. Gal. 3. de facult. natur. c. 6. & lib. 1. cap. 10. 12. & 14. & 2. de element. cap. 5. & lib. de inæq. intemp. cap. 6. Idem de lienis nutritione ἀξιοζήλως adfirmamus. Gal. 4. de vſu part. cap. 15. ἀσυκοφάντητος fatetur, lienem non craſſo ſanguine, ſed tenuiori, quam hepar, nutriri hanc ob rationem: quia

ſplenis corpus, cum tanto rarius hepate ſit, quantò eſt craſſius pulmone, merito ex tenuiore parte ſanguinis nutriatur. Mox vero βαρυλάλος apud βαρυκαρδίους & ſui ipſius oblitus, cramben cum faſtidio recoquit: dum ſanguinem ad ſplenem attractum craſſiorem eo eſſe ait, qui in iecinore eſt. Cúm autem hic conſciētiam tergiuerſari animaduerteret, in arenam reſiliens, veritatis patrocinium ſuſcipit his verbis: elaboratus ſanguis ab arteriis, quæ in liene ſunt, atque adeo a venis denſiorem tunicam habentibus, quam quæ ſunt in hepate, non affatim, neque craſſus carni ſplenis, ſed ſubtilis & paulatim immittitur: ob id caro quidem huius viſceris rarior eſt & leuior, quam hepatis, non tamen rubicūdior aut flauior. Nos remur cum eodem Gal. 3. de facul. natur. c. 6. nihil in rerum eſſe natura, quod propter ipſum trahere, ſiue trahēdi functionem trahat: imo, vt eo, cuius per tractum fit compos, fruatur. Omne enim appetens appetit propter ſui perfectionem. Cum autem liē ex ſubtili tantum ſanguine nutriatur, cur attrahet craſſum lutum, quod illi potius oneri eſt? Nullus vſus ex eo ad lienem redundat: cum ſit nutriendo ineptus humor, & ad ventriculi ſaltem, iuxta ipſos, actiones ſua auſtera acerbaq; qualitate roborandas, a natura comparatus. Aut, (vt Gal. argumentum ex lib 3. de facult. nat. c. 14. huc adferamus:) lien non poterit attrahere craſſum & graue nutrimentum, cum prius leuiori & tenuiori impleatur. Neq; enim, vt inquit Gal. ſi in vas, quod aqua, ſabuloque ſit plenum, ſyphone demiſſo, ore aerem ex vaſe per eū attraxeris, poterit prius ſabulum ſequi, quam aqua: ſemper enim in ſucceſſione ad id, quod vacuatur, qđ leuius eſt, prius adſequitur. Trahet itaq; prius ſubtilem ſanguinem lien, tanquam ſequa-

quacem,& familiariorem,quanto indiget:quid vero aget cum crasso illo acerbo succo, quē vel κυμινοπρι-στοκαρδαμόλυφος respueret? Lien exsaturabitur citius tenuiori parte, quam vt libidine crassioris attrahēdi titilletur. Vt de viis,quas supra recēsuimus,sileamus: quæ fæcem melancholicam tam hospitari possunt, quam criceti fouea aut cuniculi cuniculus, bouē Tarentinū aut bonasum.Inuitos trahunt nos argumenta rerum ad scripturas ἀπαύστως iterandas. Præterea scimus, tenuiores humores esse ὄχημα τῆς τροφῆς, in tenuissima præsertim venarum capillamenta,ex sententia Hip.lib.de alim.& Gal,lib.1.de humor.com.2. Sāguinem enim coctione & fibrarum copia crassiorem redditum,ichores diluunt, vt melior alimenti distributio fiat.Huius rei ἀπηκόνισμα natura in sinistra vena vteri,per quam sanguis ad embryonis nutrimētum deportatur, exhibet: quæ,veluti dextra a venæ cauę trunco,ab emulgente sinistra explantatur,& sic placentæ fungosæ vteri ob faciliorē ἀνάδοσιν,vberiorem seri copiam impertit. Hic vero cōtrarium apparet:cū splen e subtili nutriatur sanguine:crassum eius ἡγεσίας aut rhedę prouincia fungetur:nullum enim alium vsum,δοκησισοφία ista indagare potest. Nisi dicamus naturam ἀξύνετον ἐκ περιαιρέσεως œconomiā perturbasse. Præterea Gal.etiam hic imputat arteriis & venis sanguinis elaborationem:quam alias soli carni lienis tanquam vsum mācipatum attribuit: & sic πολύτροπος principium φύσεως καὶ διοικήσεως venarum a se centies enuntiatum,quasi in salo fluctuans ἀσυλλογίστως euertit. Quemadmodum igitur pulmo, ob carnem laxissimam atque leuissimam, & paulo minus albam,vtpote ex spuma veluti coagulatam,teste Galeno 4. de vsu partium, capit. decimoquinto, nutritur ex sanguine purissimo,flauo,subtili & spirituo so

ita & splenis corpus, cũ tanto rarius hepate sit, quanto est crassius pulmone, merito ex tenuiore parte sanguinis, quam hepar, nutrietur. Vnde tenuem potius, quam crassum attrahet splen humorem.

VI. Vna cum spiritu per arterias subtilior quidam ac calidior, quam is, qui in venis est, sanguis attrahitur: ait Gal. 1. de semin. cap. 8. Arterias quoque seminales humorem serosum attrahere, vult ibidem cap. 16. Et lib. de plenitud. cap. 11. collecti in venis tenaces crassique humores non facile in arterias deriuantur: sed raro fieri id genus solet: transfluunt enim prorsus humores, nisi crassi ad summum ac lenti fuerint. Et 3. de facult. natur. cap. 14. inquit: arteriæ, quæ parte aliqua ad venas se aperiunt, quod tenuissimum, maximeque halituosum in iis sanguinis est, ad se trahunt. Et in fine eiusdem ac sequentis capitis ait: non est mirandum, arterias, quando dilatantur, halitum, spiritum ac tenuem sanguinem trahere, eius vero, qui in ventre & intestinis est, succi, aut nihil, aut omnino perexiguum, quãtum scilicet exquisitissime est confectum. Etsi autem Hippocr. lib. de carnib. arteriam spiritum condere ac conseruare dicat: Aristotel. etiam lib. 1. histor. animal. cap. 16. arteriam tracheam soli spiritui accipiendo, reddendoq; destinatam, nihil vel siccum, vel humidum patientem, fateatur: eo tamen modo intelligimus, quo Gal. 3. de facul. natur. cap. 14. inquit: arterias omnes, quæ ad cutim finiũtur, externum aerem, cum dilatantur, attrahere: quippe qui iis vicinus sit, ac quã maxime leuis: quæ vero parte aliqua ad venas se aperiũt, quod tenuissimum, maximeque halituosum in iis sanguinis est, ad se trahere: at, quæ propinquæ cordi sunt, ab illo ipso aliquid trahere. Ex quibus videre est, arterias omnes saltem

tenuius

tenuius allicere. Est autem, suffragio Galeni modo citato capite, omnium, quæ in corpore sunt, leuissimum, tenuissimumque spiritus: secundo loco halitus: tertio gradu, qui plane absolutus attenuatusq; est sanguis. Eo etiam, ante Galeni memoriam, collineauit Aulus Gellius lib. 8. cap. 10. vbi arterias conceptaculum nominat spiritus naturalis misti confusique cum sanguine, in quo plus spiritus est, minus sanguinis. Sic Paracelsitæ adstruunt: quod firmamenti seu superioris globi astra, vel vitales spiritus cordis & arteriarum alimento fruantur puro ac spirituali, ab astris inferiorum elementorum, ventriculo nempe, hepate, liene, œsophago, intestinis, mesaraicis venis, vesica fellis & vrinæ, venis, ante præparato: & quod benigna nutricatione ad maturitatem peruenientia, fœcunda fructuum resolutione vices repēdant, mutuaq; officiorum communicatione societatem humanæ reipublicæ custodiant. Magnæ arteriæ siue ἀορτῆς, (vt Gal. 1. de semin. cap. 8. & Arist. lib. 1. hist. animal. cap. 17. vocant:) truncus, deorsum ad thoracis vertebras explicatus, propagines in octo inferiora thoracis interualla ad verarum vsque costarum cartilagines, ad dorsualem item medullam, nec nō musculos vertebris, thoraciq; adnatos deriuat: hinc iuxta vndecimam thoracis vertebram sub præcordiis, extra thoracis cauitatem prorepens, septo transuerso & ipsi cordis inuolucro aliquot propagines communicat: post vero ex elatiore sui corporis sede arteria magna truncum prodit, qui in duos ramos fere æquales dirimitur. Dexter ramus, penes venam portæ, sursum iecoris cauū petit: & inde ramulos quosdam imæ membranæ omenti, colo, ventriculo, posteriore parte tergum versus, duodeno, vētriculi ite-

rum fundo circa summam omenti membranam, bilis demum folliculo impertitur. Sinister vero ramus, crassior dextro, postquam vniuersæ ventriculi regioni, anticæ & posticæ, vtrique item ostio plurimos distribuit surculos, lienis humiliorem sedem adit: vbi eius propago ab ipso exortu statim in duos valde diductos & grandes ramos discinditur, qui arteriarũ turmas aliquot inferiori omenti membranæ, & colo intestino suppeditant. Hinc ramus ipse sinister arteriæ in sinistram magis partem secedit, & duas emittit arterias, quæ hinc inde fertili ramorũ serie ὀρθοστάδην cauo splenis implantantur. In demissiore vero lienis sede humilior arteria ramulos imæ pelliculæ omenti obfert, dextro item ventriculi fundo, postquam sinistrum eius domicilium perreptauit, vt & summæ omenti membranæ. Idem in aliis lienis arteriis videre est, a quibus in sinistrum ventriculi latus rami pullulant. Hæc est series, hæc λειτουργία & διαδρομὴ arteriarum, innumeris & capacibus ramis per lienis corpus disseminatarum. Horum munus est, non vitalem duntaxat calorem e cordis specu adferre: sed tenuem etiam sanguinem, humoremque serosiorem, non autem crassam melancholiam, ex liene haurire, ne in venas restagnans, πιλυσπασμῷ & frigiditate sua αἱμάτωσιν remoretur: tum vero, vt feruens halituosusque cordis sanguis in arterias dispersus sero temperetur. Hoc arteriæ lienis ad vicinam aortam exportant: quod deinde ab emulgentibus arteriis ad renes deducitur. Et, vt hoc opus promtius succederet, arteriæ emulgentes paulo infra sinistrum ramum in lienem dispersum, (postquam prius ab elatiori, anteriorive arteriæ magnæ corpore, arteria in superiorem mesenterii sedem, ieiunum, ileum, &
coli

coli inteſtini partem a iecoris cauo ad dextrum renem pertinentem, promitur:) ab vtroque magnę arteriæ latere, amplæ ſatis educuntur: non tamen in renum cauum penetrant, ſed in ſubſtantiam eorum abſumuntur: quemadmodum Ariſtoteles 1. hiſtor. animal. cap. decimooctauo, obſeruauit. Ideo etiam natura tam capaces emulgentes arterias renibus donauit: vt ſeroſæ humiditatis opulentia per eas colaretur. Et hinc εὐσυλλόγιςος αἰτία redditur: cur in catillo vno ſanguinis arterioſi plus ſeri redundet, quam in tribus ſanguinis venoſi phialis. Licet autem non inficiemur, aliquid potus deferri ad arterias emulgentes, per viam a Galeno 6. de loc. adfect. cap. 4. oſtenſam, nempe ex leui arteria pulmonis per ſiniſtrum cordis ſinum in magnam arteriam, & per renes in veſicam: (ſicut in Scholis noſtris de Vrinarum probationibus, cap. ſecundo, εὐςόχως, non autem λαοδογματικῶς, demonſtrauimus:) illud tamen tantum non eſt: vt ſero in arteriis hoſpitanti quantitate reſpondeat: cum natura πρυμνήτης ἐπιγλωττίδα, membranam cartilaginoſam, laryngis orificio ſuperpoſuerit, ſitu tertiæ cartilagini arytænoidi contrario, quaſi moderatricem, obicem & operculum prohibendi admittendive tantum, quod ex ſalutis vſu foret: ne πλεονασία potus ſpirituum viam turmatim occupet. Amplius, ſi arteriis lienis communicari ſeroſos humores negemus, nulla ratio poteſt adferri, vnde aquoſa ſuperfluitas in aortam inferatur: niſi eam in corde genitam dicamus. Cui cordis κατασκεύασμα nobilitaſque reclamat. Fruſtra etiam tam amplæ arteriæ emulgentes ὁμοιοσχήμονες & corporis proportione cum venis emulgentibus certantes, conditæ eſſent. Interim tamen concedemus,

quãdam portionem aquoſi ichoris vna cum ſangui-ne in venas deferri: qui, poſtquam vehendi munere perfunctus eſt, tanquam περιττεῦόν τι, a venis in re-nes, & hinc per vreteres in veſicam detruditur: non tanta tamen vbertate, quantam in arteriis emulgen-tibus deprehendimus. Cum itaque arteriæ, non craſ-ſum, ſed ſeroſum ſubtilemque ſanguinem hauriant: hæ autem & capacibus & fertilibus ramis in liene diſperſæ conſpiciantur: cõcludimus ἀπροσωπολήπτως, ſeroſos duntaxat & tenues humores ad ſplenem de-uehi.

VII. Hippocr. lib. de aere, aquis & locis, cap. 3. & 4. de morb. item lib. 1. de mor. mulier. ſcribit, biben-tibus aquas paluſtres & ſtabiles, lacuſtres & craſſas & olentes, ſplenes ſemper eſſe magnos & plenos. Et lib. de intern. adfectionib. quintum morbum lienis, qui ab atra bile, autumno maxime fit, oriri narrat ab olerum multorum, quæ cruda eduntur, eſu, & ab a-quæ potu. Sic Aetius tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 7. aquæ lar-giorem potum, & olera humectandi vi prædita, ad ſplenis magnitudinem magnopere cõferre, ait. Ta-lis eſt ἰσοψηφία Plinii: qui lib. 25. natural. hiſtor. cap. 3. Scorbutum tempore Germanici Cæſaris, a dulcis a-quę potu in caſtris trans Rhenum originem traxiſſe, refert. Et ſupra diximus, Danos, Hollandos & Friſios ob paluſtres maritimaſq; aquas facile ſcelotyrbe ad-fici: grauius item Scorbuto tentari ob ſtagnantes flu-uios, qui Alcmariam & Amſtelrodamum inhabitãt: quam qui Gaudam, Rotterodamũ aut Dordracum colunt, qui purioribus & rapidioribus aquis vtũtur. Amplius helluones ob tempeſtatem commeſſatio-nis & Centaurorum Lapitharumq; compotationes, plerunque lienis inualetudine atrociter infeſtari, vi-demus.

demus.Hiſce cancellis & id includimus: quod Beniuen.lib.de abditis morb.cau.cap.105.vitio lienis vexatos ſcribit, cum multa cõſilia, ac pene infinita præſidia experti fuiſſent, ſolo tandem cappari, qui tali ægritudini aptiſſimus cibus eſt, ſolaque vi aquæ, in qua faber ferrarius ſæpe candens ferrum exſtinguit, annua potione liberatos: tanta ſcilicet in eiuſmodi aqua contra hoc vitium vis atque virtus ineſt: & compertum eſſe teſtatur, animalia, quæ apud fabros educãtur, perquam exiguos habere lienes: quod ex Celſi lib.4.cap.9.deſcripſit. Non alia autem ratione fieri poteſt, vt ex ὑδροποσίᾳ lien, qui πρῶτον δεκτικὸν eſt ſcorbuti, prę reliquis partibus truculentiorem perpetiatur labem: niſi aquas, & quicquid ex iis in corpore generatur, attrahat. Hæc eſt aliorum quoque poculentorum ἰσοῤῥοπία, vt Gal.2.aphoriſ.11. ea intelligit: quæ ſuapte natura apta ſunt nutrire corpus: quorum ſoboles eſt ſerum: quod quodammodo potus ſaltem naturam exſuit: ſicut ſcribit Auicen.lib.1.fen 1. doct. 4.ca.1.& 5.ſub finem. Lien igitur aqueum humorem adlicit.

IIX. Splen ſiccior eſt ſua natura: quia rarior: cuius aliquas partes inter, & alias partes, alius generis minus ſolidũ aliquid intereſt. Ideo attrahit ſerum. Eiuſdem temperamenti ſunt, quos vocant, melancholici: quibus non opus eſt vlla parte, in quam decedat onus aqualiculi, ne arnica ſuffocentur. In his lien εὐσταλῶς & εὐτυχέστατα ſuo munere fungitur: dum aquoſum ſuccum ad ſe rapit, & ab hepate, ſanguinis ergaſterio auertit: ne ab eius venis captus cum ſanguine in corpus deriuetur: vnde eidem humidior temperies conciliari poſſet. Hanc etiã ob cauſſam tales raro aliquem conſorire poſſunt: cum teſte Gal.1.de facul.

alim.cap. 1. venter ſiccus ſit ad egerendum difficilis: & celeris exitus inſeparabile ſit ſymptoma deiectionis humiditas: vt idem lib. de ſymptom. differ. cap. 4. refert. Serum enim a liene abſorbetur: cuius pars minima ad inteſtina, maxima vero ad arterias emulgentes remeat: cuiuſmodi exemplum de ſeipſo recitat Braſauol. tractat. de medic. purgantib. cap. 6. perinde ac Gal. 2. aphoriſ. 20. teſtatur, aluum plus, quam conueniat, fieri ſicciorem, cum omnis humor chyli in ipſa contentus ad hepar fertur. Hinc idem 2. de facult. alim. cap. 2. ſcribit: quæ conſiſtentia ſunt humida, corrumpuntur, exiguumque habent alimentum, & quod facile e corpore excernatur: quæ cauſſa etiam eſt, cur eiuſmodi promtius, quam ſolida, per aluum deiiciantur. Et 3. de ſympt. cauſſ. cap. 2. celerem efficit deiectionem humidiorum ciborum ſumtio, vtpote promtius delabentium. Quo reſpectu Celſus etiam lib. 1. ca. 3. ſubinde potiones cibo immixtas ſoluere aluum ait: exiguam vero, neque adhibitam, niſi cum cibi quis, quantũ aſſumturus eſt, cœpit, adſtringere. Hæc enim, quæ ſupra cibos fluctuat, cũ quibus non cõfundi potuit, facilius a liene attrahitur: quam quæ cibis commiſta eſt. Hinc Gal. 1. de facul. alim. c. 1. quin & melicratum, in quibus celeriter diſtribui occupat, nihil aluo ad excretionem confert: quinimo cibis ſecum cõmiſtis ad diſtributionem præit. Quod ſi diſtribui celeriter nõ anteuertat, ad excretionem, non ſecus ac flaua bilis ſua acrimonia ac mordacitate irritat. Vt nihil dicamus magis: quod idem 3. de ſymptomat. cauſſ. cap. 5. ait: nerui & tendones & muſculi & ligamenta, quanto ſint ſicciora, tanto ſint valentiora, eſt neceſſe: ſi tamen intra illum exceſſum, ſub quo & difficile flexibilia fiant propter duritiem, &

veluti

veluti friabilia propter ſiccitatem: vnde & ad dige-ſtiones & expulſiones valde dura corpora ſunt inepta: quippe cum difficilius tum dilatentur, tum contrahantur, quorum altero tractus fit, altero expulſio: abdominis autem muſculi ad alui & fæcũ deiectionem nobis ſunt auxilio, dicente ſic Galeno 3. de facult. natur. cap. 3. quod lib. 3. de ſympt. cauſſ. cap. 2. declarat, cum inquit: aſſiduas excretiones contingere laxatis muſculis iis, qui fini inteſtinorum ſuperiacẽt. Hanc corporis ſiccitatem medici εὔσημοι quidem, non tamen εὐσυμπερίφοροι ventilant: dum in melancholicis validiora exauctorant cathartica: quæ plerunque cum enormi virium iactura adhibent inertes ambubaiæ & ἐξαμαζώμενοι pharmacarii: plus vero, ſuadente ſic Galen. lib. 1. de arte curandi ad Glauconcapit. 11. proficiunt iis, quæ humectant ſimul & contemperant humores: vt ſunt pruna κοκκυμηλέα, caſſia, & quæ ex his conglutinantur, electuaria lenientia, diadamaſcenon, de ſebeſten, de manna, diacaſſia cum manna, & alia eius farinæ: quæ paſſim in myropoliis proſtant. Nulli vero remedio magis fidimus, quam paſſulis Corinthiacis conditis, ſiue extracto paſſulato per ius foliorum Senæ Alexandrinæ, cui myxa, ζίζυφα, ficus, pruna Damaſcena & Tamarindi miſcentur: quæ etiam in apozematibus melancholicorum non exaugurant medici ſagaciores. Hęc enim omnia lubricitate & humectatione ventrem, cuius ſerũ lien ſuffuratur, ſoluunt: vti ſcribunt Hipp. lib. 2. de diæta. Gal. lib. de attenuante victu, cap. 10. 2. de facul. alim. cap. 8. 9. & 31. Gentil. ſuper Auicen. lib. 1. fen 3. doct. 3. cap. 2. quæſt. 5. & lib. 2. tract. 2. cap. 537. Dioſc. lib. 5. c. 3. & lib. 1. cap. 149. Ob eandem cauſſam totum ſumen nonnulli oleo amygdalarum dulcium,

ἐπομφαλίων instar, inungunt. Hinc etiam liquet, cur iidem melancholici raro in sudores soluũtur: ad quos illos tantum pronos cernimus: qui hepar ac lienem calidiorem humidioremq; nacti sunt. Quemadmodum enim calor materiam attenuans, attenuatamq; per vias commodas expellens, ciet sudorem, coctione scilicet & separatione, vt Aret. lib. 1. de cau. & sig. Chron. cap. 15. loquitur: ita tenuiores serosioresque venarum & arteriarum humores, in sudores fundũtur. Cuius sententiæ habemus adsertores, Hipp. lib. 1. de morbis, & lib. de flatib. Aristot. sect. 2. probl. 28. & 35. Platonem in vltima parte Timæi. Galen. 1. de sanit. tuend. c. 12. & lib. de atra bile, cap. 2. & 4. Eustath. lib. 2. de officio renum, cap. 28, Theophrast. lib. de sudorib. In melancholicis autem ichoris μετάστασις fit ad lienem: nõ secus ac hydrope & hydrocæle laborantes rarius sudant: cum illis humor in hypochondria, his in tunicam testium erythroiden per seminalem venam propter male adfectum renem delabatur. Eodem sensu Aret. 2. de causs. & sign. acut. cap. 5. scribit: vrina multa reddi nequit, cum humores corporis in intestina & aluum feruntur. Melancholici itaque sicciores sunt: quod splen siccior serum ad se adliceat: &, ne in corpus reliquum distribuatur, in arterias emulgentes demittit: quo minus naturæ actionib. maxime vero ἐξακοντίσματι sit impedimento.
IX. Gal. 13. method. medendi cap. 17. inquit: in liene duntaxat est superflui vacuatio per inferiorem ventrem, cum, quæ per renes agatur, nulla huic visceri vacuando via pateat. Qua in re non solum arterias emulgẽtes suo munere priuat, sed etiam ἐξαισίως Hippocrati recalcitat: qui lib. de adfectionib. vult, vt biliosis, quicunq; splenem habent magnum, inter alia, vesicam

vesicam subducamus:& vt medicamentis vrinam cientibus vtantur, quæ splenem mollire scripta sunt. Et paulo post addit: ex pharmacis, quæ splenis gratia adhibentur, alia per vesicam purgant, & ipsum molliorem faciunt: alia vero purgant quidem, verum neque per vesicam quicquam, quod manifestius fiat, neque vsquam alia parte, splenem tamen molliunt. Et lib. 2. de morb. in ictero nigro, qui ab obstructione lienis oritur, vrinam cientia bibenda dat: &, vt ictericus mingat, radices asphodeli depurgatas cum foliis apii in vino coquit, & propinat. Et lib. de inter. adfection. asphodeli semen lienem attenuare, scribit: huius autem radices bibi ciendis vrinis vtiliter, adserit Diosc. lib. 2. cap. 159. apium vero crudum elixumve in cibo sumtum, vrinam ciere, & vesicæ stillicidio opitulari, testatur idem libr. 3. cap. 67. 69. & 71. Hipp. lib. 2. de diæta, Gal. 2. de facult. alim. cap. 52. 5. de simp. medic. facult. cap. 13. & lib. 13. methodi medend. cap. 15. Celsus lib. 2. cap. 30. Si itaq; in lienis morbis proliciendo est vrina: necesse est, non crassum, sed tenuem humorem in liene stabulari. Διουρητικὰ quippe φάρμακα sua acrimonia, siccitate & calore sanguinem vehementer extenuant & fundunt, & sic aqueas ac tenues partes secernunt, vt hæ facilius excernantur. Gal. lib. art. paruæ, cap. 94. Si autem tam crassus humor, fæci vinaceę similis, in liene delitesceret: cum valetudinis dispendio eiusmodi vteremur remediis. Cum enim hæc tenuium sint partium, tenuesque potius adoriantur succos: in tenuiores melancholiæ portiones vires exserent: vnde illa fæx crassescet magis, tenuioribus partibus ad vrinę tubos ablegatis: & sic obstructio cumulabitur ἐμφρακτικῶς: non secus, atq; lac, quod coagulatur, seroso videlicet & tenui seorsim segre-

gato, crasso vero in sese coeunte. Gal. 5. de simpl. medicam. facult. cap. 13. & lib. 9. de compos. pharmacor. sec. locos cap. 2. Idem de siccitate diureticorum dicimus: quę necessario adest: ne humiditas acrimoniam retundat. Melancholiæ enim partibus serosis absumtis, terrestres ficciores remanebunt. Et sic itur in antiquam siluam. Quod Gal. lib. 5. de simplic. medic. facul. c. 13. hoc exemplo enodat: puris, inquit, ex thorace exspuitioni diuretica omnia aduersa sunt: quippe cum natura eorum sit tum excalfactoria, exsiccatoriaque, tum etiam coactoria & secretoria: cogitur quidem in sese, quod crassum est: excernitur vero ac secernitur in ipso coactu, quod in sanguine serosum ac tenue defertur: atq; hoc ad sese trahere renes anteuertunt: quod vero coactum est atque exsiccatum, haud etiam facile exspuitur. Videmus insuper, ob lienem πολυτλήτυς diureticis pristinam recuperare sanitatem. Immo pleraque simplicia remedia, inualetudinibus splenis inaugurata, vrinas ciere, vel ῥωποπώλαις notum est. Capparis radicis cortici, fructui & cauliculis principem locum tribuũt in lienum morbis, duritie & obstructionibus, Galen. 2. ad Glaucon. cap. 5. lib. 7. de facult. simplic. medic. & libro quinto, cap. 12. 13. method. medend. cap. 17. 2. de facul. alimen. cap. 34. Celsus lib. 4. cap. 9. Dioscorid. libr. 2. cap. 164. Serapio cap. 281. Vrinam vero trahit: vt Galen. lib. 7. de facult. simpl. & Dioscorid. citato loco: ac Cels. libr. 2. c. 30. testantur. Scolopendrium item, quod ἄσπληνον est, induratos lienes liquat & minuit: Gal. lib. 6. de simpl. medic. facult. 2. ad Glaucon. cap. 5. 13. method. meden. cap. 17. Dioscor. lib. 3. cap. 142. Galeno tamen libr. 6. allegato, & Dioscor. dicto loco, calculos in vesica comminuit: Hippocrati quoque lib. 2. de diæta,

ſuccis vrinam cientibus accenſetur. Idem de capno herba quibuſuis pigmentariis ad lienis adfectus nota, adfirmamus: quæ iuxta Plin. lib. 26. cap. 7. Galen. item 7. de ſimpl. medic. facult. & Dioſcorid. lib. 4. cap. 105. pota vrinam bilioſam, multamq; prouocat. Quibus laudibus etiam nobilitat noſtra ætas κορυδάλλιον Galeni, ſiue chelidoniũ Capnitem aut Phragmitem Aetii, ſiue fumariam floribus luteis & ſtellatis, turbinatiſque corniculis, in montibus Illyriæ, Dalmatiæ, Hetruriæ & Narbonæ Gallo prouinciæ. Hæc efficacius noſtrate fumaria videtur farctus tenuare, atque inciſos in lotium deriuare, & vrinas ſtrenue ciere: vnde laus magna ad hydropem, Anguillara teſte. Neoterici εὐτυχέστατα ad morboſam lienis cõſtitutionem radice eryngii vtuntur. Huius autem indoles eſt: vt pota vrinas pellat: Dioſcorid. libr. 3. cap. 22. Et Matthias de Lobel in obſeruat. plantar. refert, pratenſis graminis ſemine vti medicos ad obſtructiones viſcerum, imitatione Apuleii, qui herbam gramen decoquit, & cum ea florem terit, & in panno linit, & impoſita ſplenis dolores finit. At Dioſcorid. lib. 4. cap. 31. & Galen. 6. de ſimplic. medic. facul. decoctum radicis graminis potum aiunt prodeſſe vrinę anguſtiis, & lapidoſa veſicæ excrementa frangere. De cuſcuta porro quid dicendum: quam vel ſeplaſiariorum mediaſtini ad ſplenis παθήματα magnopere conducere hariolantur? Hæc autem Matthiolo libro quarto, cap. 162. & Lobelio, iecinoris & lienis infarctus bilioſos & pituitoſos leniendo reſerat: venas exonerat humoribus, vrinam ciet, ideo morbo regio medetur. Caſſitha autem Epiurtica in agro Sommerſeti Anglię, vrinis potentius eliciendis & obſtructionibus ſoluendis efficacior eſt. Si quis vero, exemplo

Antonii Musæ, & Euricii Cordi, cuscutam a Diosco. lib. 3. cap. 141. ἀνδρόσακες, siue πικράδα, siue λάδικην, siue θαλασσίαν, ob maritima Syriæ, cognominatam velit, per nos id illi licet: cum eiusdem testimonio tenues androsaces cirri in vino drachmis duabus poti, copiosam hydropicis vrinam cieant. In qua sententia est etiam Gal. libr. 6. de simpl. medic. fac. In hac tribu & asparagi semen atq; radices collocantur: quæ Gal. loco adlegato, citra manifestam aut caliditatem, aut frigiditatem, renes ac iecur infarctu liberare scribit. Peritiores vero sese magno cum successu ad tubos splenis aperiendos, eiusq; adfectus auerruncandos, adhibere asparagi radices, hodie obseruarūt. Hæ autem, teste Gal. li. 2. de facult. alim. cap. 59. & Celso lib. 2. cap. 30. vrinas prouocant. Dioscor. vero lib. 2. cap. 114. hæc de asparago prædicat: quod cauliculi triti in vino albo renum dolores sedent: assus autem coctusve, vrinę stillicidium difficultatemque mitiget, stranguriamque leuet. Eadem facultas est corrudæ siue asparagi petræi, & myacanthini Galeni. Lobel. addit, asparagum esse tenuium partium & caloris participem: quare, dum incidit pituitam crassam, arenulas coniunctas diuidit: vel vrinam multam ad renes deducendo, calculos tam in vretere, quam vesica exturbat. Idem Plin. lib. 20. cap. 10. Theophr. libr. 6. cap. 3. & Serapio cap. 4. sentiunt. Similiter Hippocr. lib. de intern. adfection. rutam splenem attenuare scribit. Hanc vero vrinam mouere, testatur idem lib. 2. de diæta: item Gal. in fine lib. 8. de simpl. medic. facul. Celsus lib. 2. cap. 30. & Dioscor. lib. 3. cap. 47. Ita quoque idem Dioscor. eodem libro cap. 151. rubiæ maioris semē ex aceto potum, lienem absumere adfirmat: cum illam crassam copiosamq; vrinam pellere, nonnunquam

quam & sanguinem, prius dixisset. Nec aliter sentiũt Plin.lib.24.cap.11.Serap.cap.60. Chamædryn officinarum siue Teucrium pratense recẽs cum posca, aut aridæ feruefactæ ius potu, lienem potenter absumere, & lienosis cum aceto & ficis illiniri, docent Diosc. lib.3.cap.102.& Gal.lib.8.de simpl. medic.facult.qui eidem statim vim vrinas prouocandi adscribit. Pro colophone, ne putent homines liberi, temporis parcissimi conseruatores, se ætatis suę monumenta, quę adferre debent ad sapientiam consequendam, in hisce βοτανικοῖς dispensare oportere, adianthum siue callitrichon Apuleii cap.47. lienosis vnice conducere, practici ex Diosco.lib.4.cap.131.didicere: vbi extemplo addit, decoctum herbæ potum prodesse vrinæ difficili, & calculos frangere: cui Gal.etiam 6. de simplic.medic.facul.adstipulatur. Simili modo in lienis adfectibus felicissime vtimur liquore, tinctura & sale Tartari, cum spiritu vitrioli: oleo item vitrioli veneris acetoso esurino cum sale absinthii: sale item parietariæ cum liquore oculorum cancri. Eiusdem indolis est liquor siue succus æthereus crystalli: si spiritu salis nitri regenerato cum suo sublimato corpore in calcem redigitur: cuius acerbus sapor aqua cœli destillata aboletur: adfusoq; spiritu vini minerali denuo soluitur: hinc, peracta putrefactione philosophica, secernuntur elementa: terra furno reuerberii exanimata sorbet aquam, quæ in sublimem agitur partem, &, postquam animam ignis sibi adsociauit, fit lapis διαφανὴς: qui spiritu vini cum sale sublimato soluitur coagulaturque: & sic promtissime balnei tepore in liquorem transit. Hisce minime cedit sal ex ononidis fæcibus post prolectationem phlegmatis, per ignem ἀντίτυπον calcinatis, cum liquore natiuo

extractus: cuius ſcrupulus dimidius in cochleari elixiuii, quod ex cinere ononidis cũ viuo elicitur, propinatur. Hæc omnia non duntaxat tartarum lienis, a quo inflationes, apoſtemata, ſcirrhi & pleuritides ſplenis ſcaturiunt, conſumunt: ſed etiam tartarum alabaſtrinum, bolare & adamãtinum, ſi in prima præſertim conſiſtat materia, ab hepate ad tubos vrinarios detruſum abigunt, ne interueniente ſalis vrinæ, vel vitrioli, vel calcis acuto ſpiritu, lapides, dolores & apoſtemata renum veſicæque oriantur. Id etiam euincit Scorbuti curatio: in qua Vierus & Dodonæus ſummis ad cœlum laudibus euehũt naſturtium cum hortenſe, tum aquaticum, quod Dioſcoridæ libr. 2. cap. 117. eſt σισύμβειον ἕτερον. Quemadmodum autem ſcribit Dioſcorid. eodem libro cap. 144. naſturtium lienem imminuere, vel cum melle etiam illitum: ita idem vrinam mouere, Celſus libr. 2. cap. 30. adſeuerat: quod facile is quoque animaduertet, qui more Perſarum, Spartarum & Lacedæmonum, naſturtio frequenter in acetariis vtetur: licet Suidas in hiſtoricis de Perſarum conſuetudine, cuius Varro in fragmentis meminit, naſturtium, vrinam & ſputum inhibere, minus recte ſcribat. Amplius Dioſcorid. lib. 2. cap. 117. de ſiſymbrio refert, eius ſemen facere ad veſicæ ſtillicidia & calculos in vino potum: alteri vero, quod quidam a naſturtio cardaminem eo appellant, quod naſturtio ſimilis ſapore ſit, naturam eſſe excalefacere & vrinas mouere, adſerit. Idem de cochlearia tot immunitatibus in Scorbuti ablegatione dotata dicimus. Hæc enim vt foliorum circinata, cauaq; rotunditate cochlearis conuexum, intimamque ſuperficiem exprimit: ita ſapore refert & viribus æmulatur naſturtium. Quod citra moleſtiam iis

liquet: qui non ex suo cerebro, lima veritatis adhibita, sed potius ex sapientum æstimatione, æqua statera pendunt veterum dignitatem. Similiter & tamarix admodum prodest lieni indurato decocta cum aceto aut vino: siue radice, siue foliis, siue extremis ramulis decoctis: vt scribit Galenus libro septimo, de simplic. medicam. facult. & libro quinto, cap. duodecimo, cuius folia olim, nunc vero lignum in vino coquitur, potumque decoctum lienem minuit: immo potorios calices e caudice lienosis moliuntur, quo datus in his potus proficiat: vt ait Dioscorid. libro primo, cap. 101. Idem Columell. lib. 7. cap. 9. de suibus adfirmat: Sues, inquit, dum dulcedinem pabuli consectantur, supra modum æstate splenis incremento laborant, cui succurritur, si fabricentur canales ex tamariscibus & rusco, (seu, vt Ruellius monet legendum, Tamaricis e trunco,) repleantur aqua, & deinde sitientibus admoueantur: quippe ligni medicabilis succus epotus intestinorum tumorem compescit. Sic etiam Plin. lib. 24. hist. nat. cap. 9. scribit, myricen, quam & tamaricen vocat Lenæus, ad lienem præcipuam esse, si succus eius expressus in vino bibatur: adeoq; mirabilem eius antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, vt adfirment, si ex ea alueis factis bibant sues, sine liene inueniri: & ideo homini quoque splenetico cibum potumq; dant in vasis ex ea factis. Tamarix autem hæc præstat ob abstergentem & incidẽtem facultatem, absq; perspicua desiccatione: vt Gal. lib. 7. de simpl. med. fac. & Serapio c. 31. sentiunt. Egregie vero lienis tartarum absumit sal tamarisci. Nec obstat, quod fructus & cortex non paucam sortita sunt adstrictionẽ, adeo vt gallæ omphacitidi proxima sint: vt Gal. 7. de simpl. medic. facult. scribit: qua

ratione tamarix datur: cruentæ exſcreationi in potu, & coliacis, & contra profluuia fœminarum, quarum abundantiam ſiſtit impoſitus arboris cinis: vt Dioſc. lib. *1*.cap.101.teſtatur. Nam, ſicut acerbitas euidens eſt in galla, ita myricæ fructui temperatura ineſt inæqualis: immiſta eſt enim naturæ eius multa partium tenuitas, atque vis abſtergendi & incidendi plurima, pauxilla adſtringendi, vt Gal. citato loco ſentit. Niſi forſan deſiccatoriam Tamaricis facultatem hic obtrudamus: quia etiam alia ligna, Gaiacinum, Saſſafras & Rhodium pollent. Non enim omnia medicamenta, quæ profluuiis aut dyſenteriis medentur, adſtringere, contra Herodotum & Dioſcoridem demonſtrat Gal.1.de ſimplic.medic.facul.cap.*34*. Vnde eadem ratione tamarix, qua aqua, in qua ignitum ferrum ſæpe ſit exſtinctum, ſplenicis conducit ex Archigenis ſententia: vt Galen.*9*.de compoſ.pharmac. ſec. loc.cap.2.refert: & Celſ.libr.4.cap.*9*.ſentit. Etſi vero in tali aqua ob exſtinctum ignitũ chalybem ferrumve, adſtrictio nonnulla ſubſit: qua ratione obturatus lienis minime reſerare poſſe videatur: cum Crocum & eſſentiam Martis, ex ſale præſertim rubro ſæpius cohobato, morbos cruentos, & omnes fluores ex tartari ſolius, vel etiam cum acri ſale cõmiſti, in inteſtinis & vẽtriculi plicis reſolutione compeſcere ſciamus: exſiccationi tamen id acceptum ferimus: quo modo etiam in hydrope tartarum aluminoſum per ſpiritum mineralem alicuius membri reſolutum curat: gingiuas item ſtabilit: papulas ac vlcera ex ſale petræ, alumine plumoſo & vitriolo, a balſamo ſeparatis, imo & ex arſenico atque realgaribus, maxime vero Martis ſale, orta conſolidet. Quod etiam Gentil. ſuper Auicen.lib.1.fen *2*.doct.2.cap.16.quæſt.1*9*.fatetur.

tur. Lienem itaque ad ipsum, (vt Roratius Vtinensis, sacramento solutus, pro nobis concludat contradict 91. Galeni:) cum libenter deducatur aqua, eaque lien frui exoptet, chalybeata si exstiterit, exsiccante prædita erit vi. Notet asterisco hanc palinodiam Galeno mancipati hominis candidus lector: quem Satyrus Æsopicus fugeret: quod ex iisdem buccis calorem simul & frigus, vbi volet, excitat. Cũ iccirco medicamenta, quę ad splenis adfectus feliciter adhibentur, vrinas eliciant: necesse est, lienis morbos, non a crasso, sed tenui humore, qui proxime ad vrinæ prosapiam accedit, oriri. Quia autem ichor per vrinæ canales excernitur, ἀναλογίως & hic in liene continebitur. Nec ab his dissentit Paracelſ. lib 3. de cauſ. morb. tractat. 4. splen, inquit, obnoxius est tartaro, quod ex suis excrementis concipit: ventriculus vero splenis est in ipsius poris, vbi cõcoquit & separat nutrimentum suũ ab excremento, quod ex poris in forma subtilis aquæ bene clarificatæ procedit: & porro destillatur in vesicam. Exemplum habet Valetius singulare exercitat. 40. ad Holler. de morb. intern. de quodam religioso, qui annis quindecim continuis annuatim ter aut quater per interualla prominulo lienis tumore, dolore & grauitate hypochondrii, subliuidoque colore corporis infestabatur: qui vrinis nigricãtibus atramento similimis per 5. aut 7. dies erumpentibus, pristinam resumsit incolumitatem, tumore & grauitate hypochondrii vanescentibus. Ex quibus etiam cõiectare possumus ob adfectuum ἰσονίαν: quartanas febres velocius & felicius, cynosura Hippocratis, auerrũcari διουρητικοῖς, sudoriferis & διαφορητικοῖς, quam tot per violentia καθαρτικὰ carnificinis. Hinc artis nostræ Coryphæi Empiricos διαλελωβημένους ἀπαιδευσίᾳ

exſecrantur: quod in quartanis Diaceltateſſon; ſeu, (vt alii legunt,) Diateſſadelton, Paracelſi lib. 2. de vita longa, cap. 5. id eſt; turpethum minerale, eſſentiam item dulcem, ſulphur & vitrum antimonii, ad cœlum vſque laudibus extollunt: cum vtplurimum laterem lauent.

Econtra vero proſperrime λιξιπυρέτους adhibent radicis chinæ ſuccum, theriacam Mumiæ ſiue Sophiam cęleſtem, Balſamum ſulphuris vitriolatum theriacale, aurum Diaphoreticum, liquorem zinziberis, elixir proprietatis, antidotum Herculeam, & alia modo recenſita diuretica. Quo reſpectu Galen. quoq; lib. de theriaca ad Piſonem, c. 15. multos quartana laborantes theriaca ſe facile a morbo vindicaſſe, ſcribit. Trita quidem eſt opinio, quartanas ideo lõgiores eſſe, quod ab humore melancholico oriantur: teſte Hipp. lib. 2. de nat. hum. com. 22. & Gal. lib. 3. Progn. com. 28. & libr. 2. de diff. febr. cap. 5. principẽ tamen comperendinationis cauſſam iſtis medicis adſcribimus: qui ἰχνεργνώμονες ſpreta methodo a Galen. lib. 1. de arte curandi ad Glaucon. cap. 11. propoſita, quartanas ab initio nõ mediocriter, neq; leniter tractant, neque ventrem mollem faciunt clyſteribus & aliis vſitatis: ſed intempeſtiue medicãtes & fortius euacuantes difficilius reddunt malum. Immo Gal. in hoc loco, vbi καταχράτως de legitima quartanæ amolitione agit, monet: ſtatim præcipiendum eſſe ægris, vt diu conquieſcant, ac viſceribus prouidendum vngendo atque emplaſtrando iis, quæ mollire ac laxare poſſint: deinde medicamentis vtendum, quæ ciendi vrinam vim habent. Si autem tam craſſa bilis quartanam foueret, incaſſum hæc curatio inſtitueretur. Craſſus humor mollientium, laxantium & vrinam prole-

prolectantium ictum eluderet:& cuneus hic cuneo grandiori trudendus esset. Deinde,cum Hipp.2. aph. 25. scribit, οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες: οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ, μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες: Gal.in comm.hanc proponit caussam: febres quartanas in æstate breues esse, διὰ τὸ χεῖσθαι περιττοὺς χυμοὺς, καὶ πάντῃ τοῦ σώματος φέρεσθαι, καὶ διαπνεῖσθαι: quia tunc humores superflui fundātur, & per totum corpus ferantur,atque difflentur: siue, (vt Plantius Cenomanus vertit,) perspirabili cute digerantur. Per διαπνοὴν αἰσθήσει ἄδηλον, (vt Gal. 1. de sanit. tuend.cap. 12.vocat,quod per ipsam educuntur,quæ prę tenuitate conspectum effugiunt:) naturam expurgare tenuiora & vaporosa, certum est ex eodem lib. de atra bile,cap.4.& 1.de different.febrium,cap.3.& Aretęo libr. 1.de causs.& sign. Chronic. cap. decimoquinto. Quid vero in tam crasso & ad motum inepto humore difflari per cutem poterit? Aut, si tenuiores partes per transpirationem euaporent, aut per sudores protrudantur: crassities melancholiæ cumulabitur: vnde contumacior euadet morbus: si præsertim autumno aut hyeme succedente humores sese abdunt in abstrusos corporis mæandros. Quod Galenus etiam 14. method. medend. cap. 9. nos docet his verbis: ad crassum melancholicum humorem inutiles sunt imbecillæ purgationes, eo quod nullum operæpretium efficiant:tum valentes, quod vehementer tenuiores,quæ in venis sunt, sanguinis partes vel digerant,vel retrudant, crassas vero & melancholicas feci similes, nec euocent, nec repellant.

Verisimilius igitur est, febrem quartanam ab humore tenuiore, qualem lien attrahit, scaturire: cum diureticis, sudoriferis & mollientibus saltem aluum

curetur: quibus tenuiores humores in corpore delitescentes educuntur. Cum autem ἰχὼρ πυρὶ πολεμιώτατος sit: vt Hippocr. 4. de morbis scribit: quia τῷ πυρὶ οὐκ ἀγαθὴ τροφὴ ὁ ὕδρωψ: non prius febris fit: quam iuxta eundem, calescente sanguine exhalat maxime aquosus humor, atque copiosius & accommodatius alimentum febri bilis suppeditarit. τὸ δὲ χολῶδες αἷμα, διότι τὸ λιπαρὸν καὶ κοῦφον ἐστὶ τῷ πυρὶ τροφὴ μάλιστα ἐστίν. Talis enim exhalante aqua relinquitur: quod Hipp. ibidem exemplo aquæ & olei in vas æneum infusorum, & lignorum exustorum demonstrat. Hoc nomine quartanam inter febres, quæ a bile fiunt, Hippo. lib. 2. de natur. hum. comm. 22. recenset: addens, quartanas ad proportionem diuturniores esse, quā tertianas: quanto minus bilis sint sortitæ, a qua suggeritur calor, & refrigerii corporis amplius habent. Quod refrigerium de ichore intelligimus: cuius indoles frigidior est: ideoq; lentam nec vehementer vrentem febrem ciere potest: cum non tam prompte, sed vix tertio quoque die, exhalet ichor, qui bilis feruorem, nutrimentum scilicet febris, retundit: sicut modo ex Hippocrate diximus. Hisce ὁμοδοξεῖν videmus δοκιμωτάτους quosdam Spagiricos: qui quartanæ febris radices in renum anatomia, specu nempe, carne, substantia, humiditate & aere latitare aiunt: præcipue vbi in hepatis, lienis, mesenterii, ventriculi, aliorumque vicinorum extorum mumia, tincturæ febriles impuræ non fuerint plantatæ. Id monstrant lumbago, spinæ dorsualis cruciatus, difficilis γονυκλισία, artuum confractiones, vrinæ tenuissimæ & plane aquosæ ab initio: (quod etiam Gal. lib. 2. de crisibus, cap. 5. fatetur:) in quibus progressu temporis nitrosulphurea salia, manifesta febris mineræ rudimenta, separatione artificiosa

ciosa cõspiciuntur: quæ in anatomia vicinarum partium matrices obtinere nequeunt: licet in eandem molitionem conspirent, commuunemque impuritatum sentinam per spiritus mechanicos separẽt. Hinc nullas lienis febres sine legitimis & indubitatis febris renum signaturis deprehendi, sensuum analogismis edocti, censent. Sicut autem assidua fructuum resolutione radices impuritatum febrilium in balsamo sanguinis efferuescunt & paroxysmum suscitant: ita fructuum maturitate absoluta, vel vaporosa resolutione in sudores dissipantur: vel, si fructus paulo crassiores obtinuerint congelationes, iuxta scientias & proprietates trium principiorum, per vrinas euacuantur. Tales sententiam combennonum Paracelsi susque deque faciunt: qui paroxysmos quartanarios oriri putant ex fecibus tartari sulphureis, quæ non sinunt se coagulare, sed, dum a vi expulsiua nõ separantur, putrescunt, cientque ebullitionem & feruefactionem: quemadmodum & quotidianas febres mucagini tartareæ Mercuriali, tertianas vero recrementis salium tartari acceptas referunt. Verum inuoluamus velum lembi, ne in voraginoses Oceani gurgites feramur, cum μετ̀ ξενολογίας næuo.

X. Galenus hoc ἀξίωμα ceu ἀξιομνημόνευτον & ἀξιόπιστον inculcat: ἕκαστον τῶν φαρμάκων τὸ οἰκεῖον ἑαυτῷ χυμὸν ἐπισπώμενον ἐστί: 1. aphor. 22. 2. aphor. 37. lib. 1. de facult. natur. cap. 13. 2. de elemẽt. cap. 5. & 3. lib. de atra bile, cap. 6. Cap. 9. vero sic scribit: ostensum est, proprium a quolibet trahi humorem ex eo, quod data hyderícis medicamina tantam quandoque euacuationem moliuntur, vt totas impleãt matellas: eius vero, quod euacuatum est, proportione venter compescatur, & leuentur manifeste ægri, spirantioresque fiant. Quæ

autem in regio morbo exhibentur, bilem flauam educunt plurimam, & laborantes iuuantur. Quod si contra ictericis medicamenta, quæ aquam educunt, dederis, quæ bilem, hydropicis: proprium humorem euacuabis parcissimum: tantum vero abest, vt languentes iuues, vt etiam grauiter lædas. Quanquam huius rei ab iis, quibus catharticorum attractio suspecta est, alia adferatur caussa: quod nempe pharmaca, vni humori educendo apta, vel acriora, vel vehementiora, vel mitiora, vel blandiora sint, quam vt aliis excrementis censeantur euacuando. Quare, qui de vna fidelia plures & quidem diuersos dealbare parietes, eodemque modo in omnibus Augiæ stabulum eluere conantur, aut incassum violentas manus naturæ inferunt, acutioribus grādioribusq; machinis belligerantes: aut elumbibus arundineti longuriis, saltem Camarinam mouent. Verum hisce in palæstra relictis, cum istud ζητημάτιον sit a peritis ventilatum, non est hic argumentorum cōuasationibus repetendum: sed dicendum, in obstructionibus aliisque adfectibus lienis veratrum nigrum exhiberi: vt melācholia euacuetur. Μελανόῤῥιζον siue veratrum nigrū prodesse melancholicis, atra bile vexatis, & cum tristitia insanientibus, testantur Democr. in epist. ad Hipp. Diosc. lib. 4. cap. 146. Serapio cap. 313. Plin. lib. 25. cap. 5. Theophrast. lib. 10. cap. 11. Celsus lib. 2. c. 11. Hinc Hippocr. in epist. ad Crateuam, eo Melampum pastorem Proeti regis Arcadiæ filias furore percitas, (cui Gal. etiam lib. de atra bile, cap. 7. adstipulatur:) & Anticyreum Herculem curasse, ait. Quod aliam ob rationem non fit, quam atram bilem, melancholicorum morborum fomitem, exstirpando. At videmus, hic propinato elleboro aquas tenues cateruatim per

aluum

aluum deturbari. Hoc ſenſu Hipp. lib. de loc. in hom. ſplene turgido medicaměta in potu exhibere iubet, quæ aquam purgent. Et licet fæces quædam craſſiores initio aquis confuſæ deprehendantur: hæ tamen potius ſunt περιττώματα ſeu σκύβαλα, quæ ob alui ſiccitatem aliquandiu in gyris inteſtinorũ latitarunt: quæ, ſi quis cum aquarum a melancholicis foriolis excretarum quantitate & cõſiſtentia comparare conetur, paludamentum Gigantis nano adaptabit. Et ne quiſpiam ſe apozematibus ad lienis παθήματα concinnatis, quibus διουρητικὰ plerunq; commiſcentur, irretiri ſuſpicetur: eximent ipſi hũc ſcrupulum ſcrupuli duo treſve extracti corticum ellebori nigri, Spagirica per ſolas tincturas ſequeſtratione in matratio reiterata, coagmentati: vel balſamum Melampodii in proprio foliorum liquore digeſtum, & poſt putrefactionem Pellicani philoſophicam ſeparatum a fæcibus: e quibus calcinatis ſolum ſal extractũ ei miſceatur, omiſſo balſamo naturali, ex floribus ſcil. ſulphuris cũ vitriolo ſublimatis: quod Paracel. tract. de elleb. iubet. Hęc medicinæ ſimplicis doſis non exigua putidarũ aquarum ſaburra ſcaphium ſedis familiaricę replebit: & ſi viciſſim deglutiatur, id adeo feliciter præſtabit: vt vel μισώτριαι de atrabilari fæce in lienis morbis ambigant. Idem illis, qui ſcabie pruriunt, accidit: quibus confectio Hamech aliam ob cauſſam non conducit: quã quod ſeroſas humiditates expurgat. Licet enim in ſcabie multum, ſalſum, craſſum & immotum eſſe ſuccum vitioſum, ſcribat Gal. 2. de ſympt. cauſ. c. 6. & Gentil. ſuper Auic. lib. 1. fen 2. doct. 2. cap. 16. quæſt. 17. immo Gal. libr. de tumor. præt. natur. cap. 13. melancholicum hunc adfectum cutis nominet: conſonum tamen magis eſt veritati: cum, teſte eodem part. 3.

aphor.21.sudores biliosiores mordeãt cutim, & prurig nosam efficiant, & per modum vlcerum exasperent: tenuius serum sanguinis salsi, vel acris, vel acuti, (vt Gentil. super Auicen. libr.1. fen 2. doct. 2. tract. 2. cap. 20. loquitur:) caussam esse scabiei. In qua sententia plerique sunt: qui vident, melancholicos & adustos humores crassiores esse, quam vt ad poros cutis permeare possint. Ideoque sudorum maxime prolectatione arcent scabiem: cum tenuiores serosioresq; sint succi: & sciant ex Gal. lib.1. de humor. com. 15. qui ad cutim vergunt humores, per cutim esse euacuandos: nam procul nimium perducerẽtur, si per aluum aut vomitum velles eos in imas corporis partes reuulsos educere. Idem Paracelsitæ adstruũt. Balsamus siue Mumia sanguinis, carnium, synouiæ, vitalibus, dulcibus & cõsolidatiuis salium tincturis pollet: quæ nutriuntur ex vaporosis spirituum tincturis, in quibus vitales salium proprietates, impuritatibus analogis permixtæ, delitescunt: hæ salsæ impuritates coagulationem, sed resolutam, accipiẽtes, vt plurimum per vrinas, sæpe per sudores & insensiles transpirationes expelluntur. Vitiata hac naturaliũ facultatum lithurgia, siue innata balsami ἀδυναμίᾳ, siue astrorum cõfœderationibus, siue erroribus diætæ, in mumia defectus & præuaricationes secretionis puri ab impuro, expulsionis & consumtionis contingunt, superstite ἀφροσύνῃ impuritatis, prædestinationibus salium corrosiuorum insignita: quæ radices, radicibusque fructus consentaneos introducunt. Sic pruritus, scabies, nitrosis vitriolatisq; tincturarum proprietatibus constant, locisq; omnibus fructus emittũt vaporoso, sed lento sudore, in quo spirituum fortium scientiæ & prædestinationes continentur, carnibus,

nibus & cuti perniciem allaturæ. Salia autem ista fusione resoluuntur in liquorem, & nisi per sudorem, aut vrinam, (in qua ceu colaméto sanguinis, carnium & synouiæ, innumeræ corrosiuorum salium species deprehendūtur:) excernantur, continua augmentatione, & vicinarum partium erosione, pruritus, scabies & vlcera suscitant: mitiores quidem adfectus, pro aluminosorum & salgemmeorum: vehemētiores vero, pro vitriolatorum, æruginosorum & tartareorū: acutissimos autem, pro salis & nitri spirituum tinctura. Amplius necesse esset, semper cancrum anteire scabiem: cum hæc, suffragio Galeni lib. de tum. præt. natur. cap. 13. ab illo non differat: nisi quod scabies in cute, cancer vero in venis & carne fiat. Materia enim cancri, quæ iuxta eundem est atra bilis, lib. de atra bile, cap. 4. & 7. & aphor. 2. part. 1. citius locum suum, carnem videlicet, occupabit, quā materia scabiei. Cum itaque μελαναγωγὰ in adfectibus lienis plurimum serosæ humiditatis, parum vero crassarum fæcum purgent: liquet in splene tenue potius serum, quam tam crassum humorem contineri.

XI. Medici ex Gentil. super Auic. lib. 1. fen 2. doct. 3. tract. 2. cap. 6. quæst. 3. censent: in quibus abundant crassi humores, in iis hypostasin digestam & copiosam debere in fundo subsidere: in macris vero & colericis, qui subtiles habent humores, sufficere: si in ipsorum vrinis appareat nebula, natans sursum, vel pendens, vel residens: quia tales habent modicas & subtiles tantum superfluitates, quas sedimētum paucum & subtile sequitur. Hinc Galen. lib. de plenitud. cap. 11 scribit: crudum humorem appellatum genus quoddam vnum pituitæ cōstitui oportere, compertum est: qui humor alia pituita crassior est, ac minus

flatulētus: qualis in vrinis subsidet, iis præsertim, quæ ex edacitate sedimen multum fabaceæ pulticulæ simile obtinent. Eodem sensu 1. de facul. alim. c. 2. dicit: est sane & pituitæ succus crudus & frigidus, non tamen crassus, vt qui humiditatem multam habeat & spiritum flatulentum: crudus autem succus propriè nuncupatus talis est, quale id apparet, quod in vrinis subsidet, puri quandoque adsimile: verum pus & graueolens est, & lentum, crudus vero succus crassitie & colore illi duntaxat est similis: vt qui neque graueolens, neque lentus. Non tamen febricitantibus quidem ex crudorum humorū copia solis in vrinis subsidet, cuiusmodi dixi, sed & sanis, qui post multos exantlatos labores, cibos duros ac confectu difficiles esitant. Hac ratione, sententia quoq; Bertruci Bononiensis cap. de lapidib. renum, materiam sedimenti statuimus αἷμα νοσῶδες, & quidem ἢ φύσει, ἢ νόσῳ: vt Aristoteles lib. 3. histor. animal. cap. 19. & 4. de partibus animal. cap. 2. nominat: cum vel ob crassitiem, vel humiditatem, vel siccitatem sanguis πολυκτημοσύνην πολύφορβον exuit, & excrementi indolem induit: vt fusius cap. 1. partic. 4. de vrinarum probationibus, demonstrauimus. Nec diuersum sentit Paracels. libr. 3. Paramicor. de causs. morb. tract. 4. renes, inquit, iuxta suam anatomiam suum nutrimentum accipiunt, iuxta distributionem, quæ vnicuique membro id, quod ad ipsum pertinet, tradit, idque mixtum excremētis, quæ nullibi separari possunt, nisi in illo membro suo proprio: atque ita renes quoque sua propria excrementa habent, vt omnia alia membra. Hoc excrementum commiscetur vrinæ, & vna cum vrina exit, estque vrinæ hypostasis: vnde ex hypostasi de vitiis renum iudicatur, vtpote ipsorum excremento.
Hinc

Hinc etiam veritas aphorismi Hippòcratici 74. libr. 4. patet: ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι: ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ, κάρτα παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον. Cuius exemplum proponit libr. 6. Epidem. sectione 4. sentent. 2. in seruo aut amico Archigenis: & Schenckius libro tertio, obseruation. 326. Crassi itaque humores crassam vrinarum ὑπόστασιν gignunt: qualem historiis aliquot describunt. Nicol. Florentin. sermon. 5. tract. 10. cap. 21. Cardan. comment. ad aphorism. 79. lib. 4. Marcell. Donat. lib. 4. cap. 29. Med. hist. mirab. Scholiograph. ad cap. 50. Holler. de morb. intern. & Andernac. Dialog. 1. de aquis medicatis: tenues vero, tenue ἐναιώρημα γονοειδὲς, καὶ νεφελοειδὲς, καὶ νεφέλην. At πολυπείρους Practicos συνεπιψηφίζειν audimus, vrinam subrufam tenuem sine crasso sedimēto diu mictam, portendere temperamentum melancholicum & lienis morbos: si multi præsertim radii virgulæque in ea appareāt, perinde ac in meteoris. Manifestum huius exemplum proponit Hippocr. lib. 2. Epid. sect. 3. in historia Scopi: σπλὴν ἐπηρμένος καὶ κατάρροπος ἐγένετο: καὶ οὖρον ὑπόστασιν ἔχον: ἐν δὲ τῇ ὑποστάσει ὑπόλευκόν τι προσεχόμενον πρὸς τῷ ἀγγείῳ λεπτὸν: οὔτε οἷον γονοειδὲς, οὔτε ἀνόμοιον: splen eleuatus & deorsum vergens factus est: & vrina subsidentiam habebat: in subsidentia vero subalbum quiddam adhærens vasi, tenue: neq; genituræ simile, neq; dissimile. Si lien destinatū esset viscus expurgando tā fæculento humori, cuius πολυφορίαν melancholicis atque lienosis imputante crassius horum vrinæ repræsentarent sedimen. Immo facilime hæc crassiorum humorum ad vrinæ tubos segregatio accidere posset: quia arteriæ emulgentes sat capaces ramo sinistro trunci arteriæ magnæ in lienem disperso recta substernūntur: sicuti videmus melancholicos

& lienoſos adfectus ſæpiſſime per vrinæ profuſiones feliciſſime terminari: quod obſeruarunt Rhaſ.li.18. cap.4.exemplo 24. Thomas a Veiga comm. ad lib.6. Gal.de loc.adfect.pag.342.Ioan. Bellfortis comm.ad lib.Galeni de Vrin.pag.72.Amat.Luſitan. cent.5. curat.54.Valeriol.com.ad lib.Galen. de conſtitut. artis medic.pag.355.Andr.Laurent.lib.1.anatom. quæſt. 38.& Valetius Exercit.ad c.40.lib.1.Holler. de morbis intern. ſicuti modo ratione 10. de diureticis copioſius docuimus. Et hæc iis contingunt, qui in ſanitatis contubernio quoq; viuunt. Non fugit nos, oppilationes creberrime in morbis generare vrinas tenues: cum humores ob lentorē permeare nequeunt obturatas vias: vnde minus perturbatum, minus craſſis confuſum exit lotium: quæ expurgatio ſenſui præſtat ſpeciem attenuationis. Sic vrinas circa obſtructionum principia paucas aquoſaſque, in earum vero ſolutionibus craſſas mingi, cernimus. Quo reſpectu Aret.lib 1 de cau.& ſign.Chronic. cap.13. ſcribit: vrina multa & craſſa, ac cum multa ſubſidentia limoſa in hydrope, ſpē liberationis facit: tenuis vero, pauca & ſubſidentia carens, auget morbum. Vrinæ itaq; tenues in lienoſis abſque craſſo ſedimento, tenues ſplenis humores potius, quam craſſas fæces, εἰς ὀλόκληρον arguunt.

XII. Γίνεται δὲ ὕδρωψ καὶ ἀπὸ τοῦ σπληνὸς, ὅταν νοσήσῃ: ait Hippoc.lib. περὶ παθῶν. Idem obſeruarunt Galen.3. aphor.22.Aret 2.de cau.& ſign.Chronic.cap.1. Holler.lib.1.de morb.intern.cap.39 Marcell.Donat.lib. 4.Hiſtor.mirab.cap.9.Hippocr.autem 2.Epidem.ſection.1.hydropis ſpecies his verbis diſtinguit: καὶ ἴκτεροι οἱ ἀπὸ ἥπατος ἐς τὸ ὑπόλευκον, καὶ ὑδατοινόμενοι, καὶ οἱ λευκοφλέγματος: οἱ δὲ ἀπὸ σπληνὸς μελάντεροι, καὶ ὕδρωπες,

καὶ οἱ

καὶ οἱ ἴκτεροι. Quin etiam morbi regii ab hepate ad subalbidum colorem vergunt, vt qui ex aqua intercutem & ex pituita alba laborant: qui vero a splene sunt, tum hydropes, tum morbi regii, nigriores sunt. Normam generationis vt enodent medici, dupliciter cieri rentur hydropem: ἢ πρώτου παθόντος τοῦ ἥπατος: ἢ ἄλλῳ τινὶ συμπάσχοντος. Omnem hydropis speciem non nisi male adfecto iecinore gigni, sanguinis generatione vel non peracta, vel non rite peracta, habent adsertores Gal. de sympt.differ. cap. 4.5. de loc. adfect.cap.7 & lib.6.cap.1.libr.2.de facult.natur.c.8. Aret.2.de caus.acut.cap.7.Paulum lib.3.cap.48. Auicen.libr.3.fen 14.tract. 4. cap.8.Sic primo in aqua intercute patitur iecur ἐκ τοῦ κατορθώματος vitio, dum vel refrigeratur, vel phlegmone, obstructione, scirrho, hydatidibus, aliave dyscrasia vexatur: quo minus αἱματοποίησις εὐσταλῶς succedat. Per consensum vero siue συντιμωρίαν partiũ est πολύτλητον: vt si renes vel obturentur, vel non extrudant serum: aut si sanguinis stillicidium per nasum, locos & hæmorrhoides vel exundet, vel coerceatur. Quemadmodum enim πολυαρκέστατος vacuatio spiritum & sanguinem cum calore dilapidat: ita in suppressione nimia, sanguinis exorbitantis penus πληθώραν πρὸς τὴν εὐρυχωρίαν τῶν περιεχόντων τοὺς χυμοὺς ἀγγείων inuehit: vnde φθορὰ caloris per σβέσιν ὑπὸ τῶν ἐναντίων, siue τῶν ἔξωθεν: cum is ita cogitur, vt præpedito effluxu ἀθρόως contabescat. Idem de lienteria, torminibus, aliisque fluxionibus, ex Hippoc.lib. περὶ παθῶν dicunt: qui ibidem hydropis per consensum generationem hoc veritatis nectare ad viuũ exprimunt. φλέγμα λευκὸν ὅταν ἔχῃ, τὸ σῶμα οἰδέει πᾶν λευκῷ οἰδήματι. ἡ δὲ νοῦσος αὕτη γίνεται ἀπὸ φλέγματος, ὅταν τις ἐκ πυρετῶν πολυχρονίων φλεγματώδης ὢν ἀκάθαρτος γέ-

νηται, τρέπηταί τε τὸ φλέγμα αὐτοῦ ἀνὰ τὰς σάρκας, καὶ λευκότερον μὲν οὐδὲν τούτου τοῦ ἄλλου ἢ φλέγματος. ὁ δὲ χρὼς φαίνεται λευκότερος. τὸ γὰρ αἷμα ὑπὸ πλήθεος τοῦ φλέγματος, ὑδαρέστερον γίνεται: καὶ οὐκ ἔνι ὁμοίως ἐν αὐτῷ τὸ εὔχροον: καὶ διὰ τοῦτο λευκότεροί τε φαίνονται, καὶ καλέεται ἡ νοῦσος φλέγμα λευκόν. ἢν μὲν οὖν θεραπευθῇ ἀρχομένης τῆς νούσου, ὑγιὴς γίνεται: ἢν δὲ μὴ, ἐς ὕδρωπα μεθίσταται ἡ νοῦσος, καὶ διέφθειρε τὸν ἄνθρωπον. Pituita alba cum tenuerit, corpus totum intumescit albo tumore. Morbus autem hic fit a pituita, cum quis ex febribus diuturnis pituitosus exsistens, impurgatus manserit, & pituita ad carnes ipsius conuersa fuerit: & nihil quidem albidior est hæc pituita, quam alia: verum corporis color albidior apparet. Sãguis enim a pituitæ copia aquosior fit: & non inest similiter in ipso bonus color. Quapropter albidiores apparent, & vocatur hic morbus pituita alba. Siquidem igitur curatus fuerit incoante morbo, sanus fiet: sin minus, in hydropem transit morbus, & hominem corrumpit. Adfinem modum Gal. 9. method. medend. cap. 10. recẽset: aliis, postquam immodica inanitione per sanguinis missionem resoluta naturalis vis fuit, cum immodicæ vacuationis noxam sarcire nõ potuissent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius: ex qua refrigeratione facile ex quauis occasione læsi in aquam inter cutem deciderunt. Similiter lib. 2. de fac. natur. c. 8. vidit Galen. sæpe aquam inter cutem collectam ex diuturnis hęmorrhoidibus vel suppressis, vel immodica profusione hominem ad extremã frigiditatem ducentibus: sicut mulieribus quoque tum menstruę purgationis omnimoda cessatio, tum immodica vacuatio, cum scilicet vteri nimio sanguinis profluuio laborarunt, sæpe hydropem accersiuerunt: nonnul-

lis

his vero earum, & qui muliebris vocatur fluxus, in hunc terminatus est morbum. Hinc Celsus libro 2. cap. 6. inquit: si ora venarum sanguinem solita fundere, subito suppressa sunt, aut aqua inter cutem, aut tabes sequitur. Et sic de aliis: quos ὑδατωνομένους Hippocr. lib. 2. Epidem. sectione 1. vocat: siue, vt mulieres ὑδατωνούσας nominat 6. Epidem. comment. 1. sentent. 7. quas, (vt in comment. Galen.) ἔνιοι μὲν ἤκουσαν τὰς ἐχούσας ἐπιτηδείως ἁλῶναι τῷ κατὰ τὸ ὕδερον πάθει, τινὲς δὲ τὰς φύσει λεπτόν, καὶ ὑδατῶδες ἐχούσας αἷμα. Eadem ratione lieni obstructo induratoque dominium aquæ intercutis abrogant: nisi consentiat iecur: vt Galen. 6. de loc. adfect. cap. 1. vult. Brasauol. comment. aphor. 22. part. 3. ex Oribasio censet, fieri hydropem a liene ignorantia medicorum, qui tumorem in splene deprehendentes, volunt ipsum per cataplasma resoluere, ille vero in aquam conuertitur, & fit hydrops, pręcipue ascitis. Dumetum longe, lateque spinis obsitum leuissimo saltu transuolat θαῤῥαλεώτερος Oribasius. Διαφορητικά, licet sint tenuia, calida, acria & sicca, vt frigidos crassosque humores, quibus ἀραιωτικὰ incassum applicantur, in profundis anfractibus resoluant: nunquam tamen lienis παρέγχυμα in aquam redigent. Quin eorum indoles est, calore materias attenuare, calido succo laxare cutim, & λεπτομερείᾳ in abstrusas recessus παρεισδύεσθαι: vnde vapor oritur, qui exspirans locum σκληρὸν facit σκληφρόν. Eadem solent materiam compactam fundere, vt ἐυσυμπείφορος fiat, exilesq; corporis pori patentiores reddantur. Et tantũ abest, vt resoluentiũ vsu splen difflu at, vt ẽt διαφορητικοῖς lapidosior fiat: difflatur n. tenue, crassioraq; in inexpugnabiles cogũtur tumores. Ideo Chirurgi in lerna crassa duraq; resoluẽda διαφορητικοῖς

præmittunt μαλακτικὰ & incidentia. Atque, ſi ſane in aquam degeneraret lien, exiguũ iſtud immiſſarium non poſſet viuarium inter peritonæum, epiploon & enteranea rigare, multo minus infarcire, ineq; tumorem eleuare. Neq; ſine ſplene tamdiu ſuperſtes eſſe poſſet quis: donec hepar, prius næuo lienis corruptũ, vberiorem hydropi aquam largiretur. Præterquam, quod nemo in hoc morbo effugeret πολυάνδριον. Nã non adeo ſunt fœcundi homines, vt Tityus: cuius iecur, licet id roſtro immanis vultur obunco ſine vlla requie depaſcatur, immortale tamen ſemper renaſcitur. Cum itaq; Oribaſius lectorem in ſordum naturæ hypogeum deducat, ſed per ea ſenticeta, in quibus nulla ſpirat roſa: aliam Braſauoli ſcholæque medicę contemplemur συζήτησιν, quomodo aqua intercus fiat à ſplene: quam ex Gal. com. 2. Prognoſt. aph. 1. tranſcripſerunt: cum hoc viſcus, quando per longos morbos traxerit ſcirrhoſam diſpoſitionem, ad conſenſum agit iecur, omnique corpori per tale medium aquam intercutem concinnat: dum nempe iuxta illos non expurgat excrementa iecoris, ideoque praue coquentis: vnde flatus & aqua: dum vero lien mittit frigidas, vt Philotheus refert auras ad iecur, καταβάλλει τὴν ἐξαιματοποιητικὴν δύναμιν τοῦ ἥπατος, καὶ οὐ πέπτει καλῶς: ἀπεψίας οὖν γινομένης, ὕδρωπες γίνονται. Hi taltem εἰκολογῆσαι ſolent. Etſi enim ob obſtructionem aut ſcirrhum lien hydropem inducat: auras tamen illas id χρονίως præſtare, ob ſanguinem hepatis παρέγχυσιν, & tympaniten potius, quam aliam hydropis ſpeciem creare, autumamus. Et ſi illarum aurarum tanta vis eſt: cur non melancholiam enituntur, quæ a vaporibus eiuſmodi ſcaturit? Genuinam itaque & minime ἀμφισβητήσιμον cauſſam, cur hydrops creberrime lie-

me lienem habeat πρῶτον δεκτικὸν, ex Hippocr. libr. 4. de morbis hanc esse remur: quod & corpus & lien aquam in se trahant ex ventriculo: & si plus traxerint, quam oportet, statim homo adfligitur: postquam autem traxit splen, optimum est, si vetus aqua, quæ in splene inerat, ad vesicam & ventriculum excoletur, & per hæc expellatur: quod si non fiat, de splene ad infernas partes aqua procedit, atq; isthic alii humori miscetur: quæ si pauca fuerit, non sane læserit, sed de corpore ad vesicam & ventriculum per venas excolari poterit. At si alia aqua generetur, quam ventriculus & vesica foras non expellant, splen eleuatur, & infernæ corporis partes dolore adficiuntur: cum autem eo vsque increuit splen, vt nulla capacitas aquæ supersit, aqua ad infernas partes procedit, maxime autem distribuitur ad omentum, & in decliue deorsum, & in scrotum, & ad crura, & ad pedes: quibus partibus sanus etiam lien communicat aquam: vnde, quo maior aquæ copia influit, eo in maiorem attolluntur tumorem. Si vero aceruatim aqua accessit, & via in principiis nō pateat ad inferiores partes, sed aceruatim in venis concludatur, & neq; sursum, neque deorsum feratur, vt quæ respirationem non habeat: circa ventriculum solum volutatur: haud aliter, quam si quis magnum vas angusti osculi occludat, ac subito inuertat, deinde sensim operculum de osculo detrahat: etsi enim hoc feceris, aqua non effluet foras, neque enim respirationem habet, sed a spiritu, qui intus est, conclusa est. Nam spiritus, qui intus est, replet vas, & externo spiritui renititur, & excursus aquæ non datur præ spiritu vas implente, & simul aere incumbente: si vero quis sensim vas inclinarit, aut fundum perforarit, spiritus de vase exibit, egresso au-

tem ſpiritu procedit etiam aqua foras. Et poſtquam
bibit homo, etiam ſplen amplius adfligitur. Et ὁμό-
ψηφον teſtimonium occurrit in eiuſdem Hippoc. lib.
1. de morb. muliebr. ἢν δὲ γυνὴ ὑδρωπιήσῃ, οἱ αὐτῆς σπλη-
νὸς ὑδατώδεος καὶ μεγάλου ἐόντος, γίνεται ὁ σπλὴν ὑδατώδης ἀπὸ
τοῦδε τοῦ παθήματος. ἢν πῦρ ἔχῃ, καὶ μὴ ἀφίῃ τὴν ἄνθρωπον,
καὶ δίψα μιν λαμβάνῃ καρτερὴ, καὶ πίνῃ, καὶ μὴ ἀπεμέσῃ. τὸ
μὲν γὰρ ἐς τὴν κύστιν διηθὲν διουρέεται, τὸ λοιπὸν δὲ ὁ σπλὴν λαμ-
βάνει, διασπῶν ἀπὸ τῆς κοιλίης πρὸς ἑαυτὸν, ἅτε ἀραιὸς ὢν καὶ
σπογγοειδὴς, κείμενός τε κατὰ τὴν κοιλίην. καὶ ἢν τούτων οὕτως
ἐχόντων μὴ ἱδρώσῃ, μηδὲ ἡ κοιλίη χαλᾶται, αἴρεται ὁ σπλὴν
ὑπὸ τούτου, καὶ μᾶλλον ἢν ὕδωρ ᾖ τὸ ποτόν. καί μιν ἤν τις ἐπα-
φήσαιτο, μαλθακὸς ὡς χνοῦς ἐστιν· ἔστι δ' ὅτε ἀντιτυπεόμενος. Α-
ερθεὶς δὲ καὶ πιμπλάμενος ἐκδιδοῖ κατὰ τὰς φλέβας τῷ σώ-
ματι, καὶ μάλιστα ἐς τὸ ἐπίπλοον, καὶ τοῖσιν ἀμφὶ τὴν κοιλίην
ἐοῦσι χωρίοισι καὶ τοῖσι σκέλεσι. ἑτέρῃ γὰρ ἑτέρῳ διεκδιδοῖ ἐν τῷ
σώματι, ἢν πλέον ἑκάστῳ τοῦ καιροῦ ᾖ, καὶ μὴ δύνηται κατέχειν.
ὅτι γίνεται δὲ ἀπὸ τοῦ ὕδρωψ ἀεὶ, ἢν μάθῃ ὁ σπλὴν ἕλκειν ἐς ἑ-
αὐτὸν, φύσει ἀραιὸς ὢν καὶ μανός. Quod Latio eſt. Si mulier
aqua inter cutem laborarit, ſplene ipſius magno & a-
quoſo exſiſtente, fit ſplen aquoſus ab hac adfectione,
cum febris habuerit, & non dimiſerit hominem, &
ſitis ipſam corripuerit fortis, & biberit, ac non reuo-
muerit. Nam quod in veſicam penetrat, per vrinam
eiicitur: reliquum vero ſplen capit, abſtrahens a ven-
tre ad ſeipſum, vt qui rarus eſt & ſpongiformis, & ſe-
cundum ventrem ſitus. Et ſi his ſic habentibus non
exſudarit, neq; aluus laxetur, ab hoc ſplen attollitur,
& hoc magis, ſi aqua fuerit potus, &, ſi quis ipſum cō-
tingat, mollis eſt, velut molliſſima pluma ſiue lana:
quandoq; vero etiam renititur. Eleuatus autē & im-
pletus diſtribuit per venas corpori, & maxime in o-
mentum, & locos circa ventrē, & crura. Altera enim
pars

pars ad alteram delegat in corpore, vbi singulis plus, quam oportet, adfluxerit, & continere nō potuerint. Succedit autem ex hoc semper hydrops, vbi splen ad seipsum trahere consueuerit, cum natura rarus sit ac mollis. Hæc ὁμολογία est, si lien aut in scirrhum cogatur, aut obstructus sit a viscidis humoribus. Propter vtrumque enim attractio secretioque aquæ ad lienem impeditur: vnde restagnans & εὐστροφώτατος cuniculos in corpore quærit, & sanguini omnium partium commiscetur: sicut modo ex Hippocr. lib. περὶ παθῶν diximus: donec etiam in diuturno morbo quibusdam per suras exesas stillet. Interdum etiam ab ortu tam angustus est lien: ne possit esse capax aquæ adfluenti. Vnde necessario hydrops quoque creatur. Huius rei historias duas recenset ὁμόφρων Vesal. lib. 5. de fabrica human. cap. 9. vnam Galli sacerdotis Bononiæ in Xenodochio, aqua subter cutem mortui, in quo lienem albidum, sed exiguum adinuenit: vt & in muliere textrice Augustæ, in cuius vtero serosæ aquæ supra sexaginta Augustanas mensuras, quæ singulę tres pendent libras, post mortem, vna cum multis medicis reperit, nullibi interim circum intestina præsente aqua, aut laxo in manibus aut pedibus tumore, aut etiam viscerum, aut alterius cuiusdam organi, immo nec iecoris, sese alioquin offerente vitio: lien autem subalbidus fuit & exiguus, caussa scilicet hydropis ob dictam expurgationem aquæ cohibitam. Quomodo vero atra bilis, non a liene attracta, potuit aquam intercutem generare? Per consensum, dicent: dum regurgitās ad hepar vel humor ille crassus, vel etiam frigidi vapores, sanguificationē hepatis corrumpunt. At neutrum in hac fęmina locum habuit: iecur omnis labis expers fuit. Et Vid. Vid. iun.

lib. 10. cap. 10. de curat. memb. Barcinoniæ obſeruauit in homine admodum cachectico lienem columbacei oui magnitudinem non excedere; ſed adeo durum ac compactum, vt fere lapidis duritiem imitaretur. Veritati itaq; conſona eſt Hippocratis ἐρημοθαύκου doctrina de aquæ a liene attractæ colatione. Et hoc modo hydrops ἐναργῶς & ὁμολογουμένως ſpleni ἐυπερόσεδρος fit.

XIII. Hiſce clathris includimus, quod ab oculatis Anatomicis, inprimis vero Coiter. in lib. obſeru. Anatom. & Chirurg. non ſemel adnotatum eſt, ſub liene deprehendi veſicas duorum pluriumve etiam pugnorum magnitudine aqua pleniſſimas, in diſſectis cadaueribus. Idem innuunt Simonius in appendice Synopſis de humoralibus febribus: & Felix Platerus ad Schenck. libr. 3. obſeru. 35. quales veſicas in membrana iecur obuoluēte plures generari, ac dum aquà ex ruptis intra peritonæum fluit, aſciten generare, ſępius vidit Chriſtoph. a Vega comm. ad aph. 55. libr. 7. aph. Hippocr. Modum generationis alium vix quiſquam comminiſcetur: quam a nobis inculcatum, ob attractas a ſplene aquas. Etſi autem Gabriel Cuneus in apolo. pro Veſalio contra Puteum pag. 102. membranam quandam a iecore ad lienem vētriculo ſubditam, colo inteſtino meſenterii vice a dextro latere in ſiniſtrum porrigi, huic aquæ aliiſque prauis ſuccis per vomitum & ſedes expellēdis deſtinatam, ſcribat: ſententiæ tamen ſuæ, cum inter ἀμυχείεισα referatur, eiq; αὐτοψία recalcitret, paraſtatas habet nullos.

XIV. Colorem cutis ſimilem effloreſcere humoribus & ſuccis in corpore contentis, maxime autem in hepatis & ſplenis adfectibus, adſerit Gal. 1. de loc. adfect. cap. 5. 1. aphor. 2. 3. de ſympt. cauſ. cap. 5. & lib. 3.

de

de difficult.respir.cap.12.de Temænei filio, qui viridantis palloris fuit. Hinc bonus color non contemnendum est signum habitus salubris: eodẽ teste com. 23.li.de vict. idiot. Sic melancholicos & spleneticos, quod nigro abundent humore, nigro quoq; corporis esse colore dicunt cum Marcell.Donat. lib. 1. cap. 3. histor.med.mirab. Sed, si quis fidem oculis suis non deroget, neque auctoribus ἐυπίςως credat, tales licet subobscuro, non tamen furuo aut serici heteromalli coracino, aut aquilino Hecubæ & Aiacis Oilei, sed potius aqueo colore cõtemplabitur: quali solent esse ii, qui cachexia & leucophlegmatia laborare incipiunt, Hippocr.lib. 2.Epidem.sect. 1. quamprimum dixisset: οἱ δ' ἀπὸ σπληνὸς μελάντεροι καὶ ὕδρωπες, καὶ ἴκτεροι: quasi seipsum explicans subdit: καὶ αἱ δυσελκίαι τῶν ἐκλαδίκων, τῶν ὑποφακωδέων, exalbidos & lenticolores vocans: cum de hepaticis ἐς τὸ ὑπόλευκον, colorem subalbidum habere scripsisset. ὑποφακώδεες nominantur lentem colore referẽtes: quales sunt fere omnes lienosi. Sanguis enim horum pallido & aliquando subalbido mixtus, ex nigricante viridem colorem abunde saturatum in cutem subfundit. Simili colore melancholicos depingit ibidem sect. 2. ῥητέον, ὅτι αἵματος ῥυέντος ἐκχλοιοῦνται. Χλοιοῦνται interpretatur Gal. in Exegesi, ὥσπερ καὶ χλωραίνονται, vt si virescunt: quod & χλοοῦνται dicitur: vt & χλόος, viriditas, χλοώδες, virẽs, & χλώρασμα, quod interprete Galeno est viriditas clare fulgens, & ad aqueum colorem declinans. Proprie autem dici potest hic color ex pallido virescens. Χλωρὸν enim aliquando ὠχρὸν significat, vt Gal. 6. Epid. com. 3. senten. 21. scribit: in quo loco, si quis ἐυλογίςως contextum rimetur, talem colorem a melancholico succo scaturire, videre est. Et com. 1. Prognost. sent. 22.

ait, χλωρὸν interdum pallidum colorem, interdum viridē ſignificare: ex qua ſignificatione ſolemus braſſicam chloram, id eſt, viridem nominare: pari modo læſio quoque maior liuidum ſolet efficere colorem, vt qui non longe diſtet a nigro: minor vero pallidum vel viridem. Dilucidiſſime autem hunc colorē idem Gal. enodat in lib. Hippocr. de vict. rat. in acut. com. 2. ſenten. 22. his verbis: Iis, qui diminute cibantur, viſcera pendere videntur, eoſque tum calidum, tum χλωρὸν, id eſt, viride meiere. Calidum, inquiens, id eſt ſolito calidius: χλωρὸν vero, id eſt, viride, iuxta morē quendam Aſiaticorum Græcorum, qui & nunc obſeruatur. ὠχροὺς ſiquidem, id eſt, pallidos quoſdam videntes, cauſſam, cur ita χλωροὶ, id eſt, virides facti ſunt, interrogant: χλωρὸν & ὠχρὸν, id eſt, viride & pallidum nihil differre exiſtimantes: viſumque quendam ſeipſo χλωρότερον, id eſt, viridiorem dicunt, ὠχρότερον, id eſt, pallidiorem ita ſignificantes. Eſt autem ὠχρὸν χρῶμα, id eſt, color pallidus velut ignis, & color ὤχρας vocatæ, cuius prima ſyllaba acuitur. Fitque talis color permiſta aquoſo excremento pallida & amara, & flaua appellata bile. Vt autem viridis color fit ex flauo & nigro: ita pallidus ex albo magis & flauo. Feſtucinus, (quæ vox Venetis eſt vulgaris:) leuior eſt viridi: cuiuſmodi in palea nondum matura & in citrio matureſcente. Hic melancholicis quadrat potius, quam praſinus a porrorum caudis, aut nitidior ab ærugine colorem trahens. Talis porro melancholicorū ſpleneticorumq; color fit refrigerato corpore, in vbertate cruditatis, ab humorum colluuie: qualis etiam in exhauſto ſanguine, ſpiritu & calido innato deprehenditur, quod Hipp. li. 2. Epid. ſect. 2. & Gal. 6. Epid. com. 3. ſent. 21, fatentur. Cui nō abſimilis eſt eiuſdem ſenten-

sententia *1*. de humor. com. 1. color faciei & corporis quasi mixtus ex albo & liuido, crudi humoris indiciũ est. Sic & de cachecticis & ad hydropem pronis χλωράζειν & λαχανίζειν dicitur: quod tales maxime herbarum colorem imitentur. Et melancholia tantum vocatur atra aut nigra, respectu bilis flauæ: vt patet ex Gal. lib. de tumor. præt. nat. c. 9. Quin in ictero nigro nunquam validissimus ille color conspicitur, qui in summo suo fastigio ater a Romanis nominatur, siue a terra, quæ præstans gleba: siue a Chaldæorum voce, quibus fumum significat. Neq; etiam fuscus deprehenditur: qui niger est citra obscuritatis fastigium, παρὰ τὸ φώσκειν, quod Hippocrati est vstulare. Imo neque murinus, neque mustelinus: minime autem piceus, pini, piceæve lacrymæ excoctæ similis. Sed color eorum, qui ictero nigro infestantur, respondet aquæ momento croci dilutæ, vbi aqua flauedinẽ quadam fuscedine temperat: quemadmodum in aurigine a bile flaua, flauus color saturatus apparet, vt citrio superior, ita citrangulari ab aurantiis malis aliquantum inferior: raro autem proximus illi, quem ὄρφνιον Theophrastus, Plato ὄρφνινον appellat. Nam insolitum est, quod Cornel. Gemma Cosmocrit. lib. 1. cap. 7. scribit, se in quadam icterica adeo flauescentem habitum corporis obseruasse, vt vno temporis puncto & vngues, & labia, & crines cum vniuerso habitu coloris extreme fului atq; aurei spectarẽtur. Hinc Hipp. lib. 2. de morb. in descriptione icteri nigri, colorem cum virore pallidum ei attribuit. Nũnquam etiam lien, licet ὑποπέλιος pluribus sit, adeo furuus conspicitur: vt cum nigro sanguine emisso conferri possit. In cane splẽdidus plerunq; ipso iecore rubet: sues vero & boues albicantẽ magis lienẽ ostendũt: vt

Vesal.lib.5.cap.9.de corpor.hum.fabr.adnotat. Imo in multis splen purpureus visitur: quamuis hepatis παρέγχυμα a natiuo colore non parum deseruerit. Et Anatomici industrii sæpissime in elephantiacis lienem sano similem obseruarunt. Friuolum itaque est, quod Gal.lib.4.aphor.2. scribit, in atra bile colorem totius corporis ad nigritiem tẽdere: & vel hinc conjicere licet, cũ melancholici ac lienosi pallido aqueoque conspiciantur colore, aqueos potius, quam crassos & fæculentos succos in splene cõtineri: cuius humorum & adfectuum ἰδιοσυγκρισίαις, coloris in toto corpore μεταβολὴ imputatur.

XV. Melancholicos, qui atram bilem coaceruarunt, frequenter apoplexia corripi, scimus ex Hipp. lib.2.de morb. item 6.aphor.56.& 57.& Gal.in com. Quibus suffragatur experientia. Idem de epilepsia dicimus: quam melãcholiæ & maniæ succedere obseruarunt Aret.libr.1.de caus.acut.cap.4.Cardan.lib. curat.admirand cura.3.Iacotius com.ad aphor.3.lib. 1.sect.3.Coac.Hippocr. Morbus enim comitialis, vt Gal.lib.2.aphor.45.scribit, proximus quodammodo est morbo, quem apoplexiam appellant, cum idem locus in vtraq; patiatur, & idem humor in caussa sit: verum apoplexia quidem ob omnimodam carẽtiam illius potẽtiæ, quæ ad neruos defluit, morbus autem comitialis propter motum vitiosum generatur. Ita, (vt Erastus part. 4. Disputat. Antiparacels. & Comes Montan.lib.3.de morb.cap.31. censent:) in epilepsia humor non perfecte, nec vna vice, nec subito replet cerebri sinus, vt in apoplexia, in qua quandoq; plures ventriculi, & ipsum etiam cerebri corpus adficiuntur, ex sententia quoque Gal.lib.de odorat.instru. cap.6.& 3.aphoris.31. Πυθόχρηστον est medicis, morbos hos-

hosce a crassis oriri humoribus, persuadentibus sic Gal.2.aphoris.45.lib. de atra bile, cap.5.13.Method. medend.cap.21.lib.1.de humor.comm.1.2.de sympt. caus.cap.7.Fernel.lib.2.de abditis,c.15. Iacotio comment.1.aphor.3.lib.7.sect.2.Coac.Hippoc. Hanc πιθανολογίαν demolitur præceps insultus & repetinum καταπτωμα, quę ob glutinosi humoris ἀκινησίαν hic exsulant: cita item morbi Herculei λύσις, cum crassa difficilime, tenuia facile dissipentur: euacuationes præterea a paroxysmo per capitis emunctoria oscitatione, sternutatione & sputi protrusione ex aquæ tenuis & spiritus ἐξατμισθέντος violenta agitatione, tenuitatem caussæ morbosæ demonstrant. Per iugulares enim venas, vt Hipp.libr. de flatibus scribit, aer transiens penetrat, & secum id, quod tenuissimum est in sanguine, simul euehit: quod cũ humidum sit illius, illius permixtione albescit. Loco insuper ἐπεξεργασίας audiantur Anatomici insignes, Columb. lib.15. Anatom.& Coiter.lib.obseru.Anatom. & Chirurg. qui pluries in cadauerib. epilepsia ac apoplexia mortuorum, in cerebri ventriculis sacraque fistula inuenerunt aquam limpidam, tenuem & purã: qualis maiori ex parte paralysin excitat, dum in cerebri ventriculis atque in spina dorsi collecta, sensim a superiori parte neruos irrigat, quoad peruenerit ad eorum extremitatem. Similem historiam, instituto nostro ὁπιδεξίως quadrantem, recitabimus: quid nobis Basileæ, 3.Iduum Augusti, anno 1582.in sectione Baronis cuiusdam Galli, νυθεσία dignum occurrerit. Prestites adfuere ἰατρικώτατοι præceptores nostri, Erastus, Zuingerus, Platerus, Panthaleon, Stupanus, Bauhinus, Scherbius & alii. Æger hic cum Polyxena filia Hecubæ iam mactanda ad sepulcrum Achillis, iure ex cla-

mare potuisset: τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος. Nã post diuturnam melancholiã, insania corripiebatur, nonnunquam quieta nõnihil, qualem a pituita oriri vult Hippocrat. lib. de sacro morbo, & lib. de insania: qua nõdum sopita, paralysis sinistrum latus hostili & dolosa apprehensione αὐτοβοεὶ prosternebat: tandemq; apoplexia κακολυχλω̃ iugulabat. Aperta caluaria deprehensum cerebrum inflatum eleuatumq;, cui meninx crassa vix esset vallando: qua, vt & pia matre dissecta, non duntaxat locuplete aquę pellucidę sentina cerebri sinus repletos, sed etiam in dextro vẽtriculo substãtiam fungosam, lobulis pro gyris cerebri concinnatis renem medium vitulinũ ἀκριβῶς repræsentantem, vidimus. Similis fuit hæc excrescentia fungosæ carni in cerebri vulneribus, quã vulgus Ficum sancti Fiacrii nuncupat: quæ tenaciter partibus subiectis adnascitur, & semper suppullulat, donec carne loco cerebri vel calli succrescente, vulnus cerebri repletum & obductum sit: vt Gal. com. lib. 3. Epid. Hippoc. item Alexan. Aphrodis. lib. 2. problem. 86. Langius in epist. Coiter. lib. obseru. Anatom. & Chirurg. & Pareus libr. 9. cap. 19. animaduerterunt. Quemadmodum enim in arborum stipitibus ab alimenti excrementis humores semiputridi, crassi & glutinosi per corticem extuberantes, in fungos coalescunt: sic ex crassæ menyngis & cranii vasis ruptis sanguis exsilit, temperie & consistentia melancholicus, qui in speciem fungi concrescit. Ex eiusmodi dextri sinus fungo modice compresso, aqua ceu per siphunculum in sinistrum ventriculum prosiliebat: quæ omni procul dubio paralysis & apoplexiæ scatebra exstitit. Nulla hic vel bilis atræ, vel crassæ pituitæ indicia, nulla vestigia: licet omnia ὑποδυτήεια lynceis perlustrare-

ſtraremus oculis. Idem Hipp. lib. de ſacro morbo, ouium caprarumq; exemplo declarat: cerebrum, ait, humidius quam ex natura ſit, & præ pituita inundat, vt defluxiones quidem frequentiores fiant: non autem amplius poſſibile ſit pituitam excerni, neq; cerebrum reſiccari, ſed perrigatur, & humidũ exſiſtit. Cognouerit autẽ hoc ipſum quis maxime ex ouibus hoc morbo correptis, & præſertim capris: hæ enim frequentiſſime corripiuntur. Si enim caput ipſarum diſſecueris, reperies cerebrum humidum eſſe, & ſudore refertum, ac male olens. Sic vero ſe res habet ẽt in homine. Cum enim ætatẽ adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis eſt: cerebrum enim eroditur pituita, ac colliquatur. Id vero qđ colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit ac circumuallit. Vbi iam ὑπομνηματισμῦ Galeni ſplẽdor, qui perpetuo melancholiam & maniã oriri ſcribit ab atra bile, 2. de ſymp. cau. c. 7. lib. de atra bile, c. 7. lib. de plenitud. c. 11. 3. aph. 22. Ingrediamur iterum Hippocratis ἀκροτήριον: qui lib. de inſania, & libr. de ſacro morbo ſic docet: inſanienti neceſſe eſt præ humiditate cerebrum, in quo animæ ſunt opera, moueri: vbi videlicet humidius, quam pro natura fuerit. Eo vero cõmoto, neq; viſum, neq; auditum quieſcere: ſed alias alia & videre & audire: & linguam talia loqui, qualia ſingulis vicibus viderit ac audierit. Quãdiu vero cerebrũ quieuerit: tãdiu ẽt homo ſapit. Fit aũt corruptio cerebri a pituita & bile. Vtriuſq; vero cognitio ſic contingit. Etenim qui a pituita inſaniunt, quieti ſunt, & non vociferantur, neq; tumultuantur. Qui vero a bile, percuſſores ſunt, & malefici, ac nõ quieti. Simili ratione Paracelſitæ dictos morbos radicib. Mercurialibus in capite reſolutis, ſpirituũq; famelica attractione cõgregatis,

acceptos ferunt. Nam si Mercurius vel influxu siderum, vel alia caussa, in corpore separetur, caluamque petat, ibique destilletur ac circuletur, apoplexiam & paralysis species inducit, quæ fulmini cœli comparantur. Si Mercurio sulphur exacte sublimatum & nitrum permisceatur, morbus caducus cũ trucibus cõcussionibus oritur, qui velut tonitru & terræ motus microcosmi est: si præsertim paroxysmi ab ignis vel terræ elemento dependeat. Si autem Mercurius sublimetur in caput e mineris & matricibus inferiorum partium, & tunc coaguletur, obumbrat cerebrum, maniam ac phrenesin inuehendo. Si idẽ Mercurius præcipitatur, arthritidis & podagræ scatebra fit. Melancholici iccirco frequentius epilepsia ac apoplexia vexantur, dum lithurgia lienis vitiata, aqua ab eo non potest attrahi: vnde ὠχύῤῥος, ideoque ὠχύμορος, cerebrum tandem adoritur, eiusque sinus infarcit eo modo, quo Duretus com. ad Coac. Hippoc. pag. 357. de Comitissa Grueriana scribit, symptomati hydropico superuenisse epilepsiam nõ minus, quã ipsi caussæ hydropificæ: quoniam in hydrope stabulum est corruptionis, quæ facile cerebrum lacessendo consecutionem adfert horrendæ illius epilepsiæ: idq; tum appulsu venenatæ cuiusdam auræ, tum trãslatione malignæ hydropis cacochymiæ: ac talis epilepsia mox vertitur in apoplexiam mortiferam & insanabilem. Et hæc transpositio aquæ in cerebri sinus fieri potest vel per ipsius lienis vasa, vel per ambages hepatis tubis communicata saburra. Has vias approbat Hippoc. lib. de morbo sacro: Venæ, inquit, in cerebrum tendũt ex vniuerso corpore multę & tenues, duæ vero crassæ, altera ab hepate, altera de liene. Et quæ quidem ab hepate venit, hoc modo se habet.

Altera

Altera quidem venæ pars deorſum tendit, per partes ad dextram iuxta ipſum renem ac lumbum, ad internam fœmoris partem, & deſcendit in pedem, & vocatur vena caua. Altera vero ſurſum tendit per venas dextras & pulmonem. Finditur autem & in cor, & in brachium dextrum. Reliquũ ſurſum fertur per clauiculam ad dextrã ceruicis partem ad ipſam cutem, vt conſpicua fiat. Iuxta aurem vero occultatur. Atq; hic finditur, & craſſiſſima quidem ac maxima & cauiſſima ipſius pars in cerebrum deſinit: alia vero pars in aurem dextram, quę ſane venula tenuis eſt: alia autem in oculum dextrum: alia in ipſum naſum. Atque ſic quidem venæ ab hepate habent. Tendit autem & a liene vena in ſiniſtra ſurſum ac deorſum, velut ab hepate, verum tenuior & imbecillior. Nihilominus autem hanc venam remur amplam ſat eſſe ad aquam ſuſcipiendam: anguſtiorem vero ad atræ bilis attractionem & vehiculum. Sic in lienis vſu vbique πυθαγόρικλω ducem ſequimur.

Euerrimus quiſquilias: quibus impeditum fuit iter noſtrum, quod nobis inſtabat per ſe ſatis & longum, & ſalebroſum ad Scorbuti ἐπιζήτησιν & κοινώνημα. Omnium ἀνακεφαλαίωσις eſt, lienem fæculẽtæ melancholiæ vel attrahendæ, vel hoſpitandæ ἄχωρον & ἀσύμφυλον, nobilioribus eſſe deſtinatum a natura vſibus: vt nempe iecinoris ἐξαιμάτωσιν iuuet; dum ipſe quoque ſanguinem fabricat, ſed tenuiorem: ad quod præſidium humorem tenuem attrahit: quem Ariſt. τὰς ἰκμάδας τὰς πεειοσὰς, ſiue ἰχῶρα, Hippoc. vero ὕδωρ ὕδρωπα indigitant: ne hæc συναντηείῳ & frigiditate venarum actionem turbent. Nos, vt vtriuſque auctoris ἀσυκοφαντήτυ aucupemur gratiam, nunc ichorem, nunc aquam vocabimus. Licet enim quidam cum

Celso lib.5.cap.26.saniem dicere malint: ἀσυγκρότητον tamen est: cum sanies tantum sanguini tenuiori attribuatur: a quo ichor παντοδαπῶς discrepat. Atqui non inficiamur, partes etiam quasdā chyli ad lienem vehi, ex quibus coquat sanguinem pro sui nutritione: sed eæ sunt tenuiores aquosioresque. Vt tāto minus valoris habeat id: quod quidam, licet nobis ἰσόψηφοι sint, tamen quasi receptui canentes scribunt: vt felicius iecur sanguinem floridū ac temperatiorem cōficeret, minusq; esset obstructionibus obnoxium, splen partes chyli terrenas, id est, frigidiores, sicciores ac crassiores secernit, attrahit & elaborat, eosque pro sui nutritione extenuat, concoquit, formaq; sanguinis exornat, sed colorē obscurum & nigricantem inducit, ipsum sibi, quantum potest, adsimilās. Tales, præterquam quod Hipp. & Aristot. iniurii sunt, quos in tutelam recipiebant, suo sese gladio iugulant. Adseueramus vsq; ad rauim, nullas terrenas crassasque chyli partes, citra enorme obturationis discrimen, à liene posse attrahi, neque vllos canales esse illi crassitiei conuenientes. Quod ne quidem Tyro medicinę negabit, qui pro ignauis lactucis, nasturtium ex floridissimis sapientiæ hortulis superius decerptum, ruminabitur.

Πέψις ἐστὶ τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ: (a quo ἡ ἀρχὴ τῆς τελειώσεως συμβαίνει:) ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν: ταῦτα δ᾽ ἐστὶν, ἡ οἰκεία ἑκάστῳ ὕλη: inquit Arist.4.Meteor.ca.2. Omnem autem πέψιν animalis absolute & generatim ad ἕψησιν referēdam, censemus recte cum Gal.li.3.de facul.nat.c.7. ἕψησις δ᾽ ἐστὶ, iuxta Arist. τὸ μὲν ὅλον πέψις ὑπὸ θερμότητος ὑγρᾶς, τοῦ ἐνυπάρχοντος ἀορίστου ἐν τῷ ὑγρῷ. ἐστὶ δὲ οὐ πᾶν σῶμα ἑψητόν. οὔτε γὰρ ἐν ᾧ μηδέν ἐστιν ὑγρὸν, οἷον ἐν λίθοις. οὔτε ἐν οἷς ἔνεστι μὲν, ἀλλ᾽ ἀδύνατον κρατηθῆναι

διὰ

διὰ πυκνότητα, οἷον ἐν τοῖς ξύλοις. ἀλλ᾽ ὅσα τῶν σωμάτων ἔχει ὑγρότητα παθητικὴν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ ὑγρῷ πυρώσεως. Elixatio est coctio, a calore humido, indefiniti humoris. Non est autem omne corpus elixabile: tum in quo nihil humoris inest, vt in lapidibus: tũ in quo aliquis quidem est, sed superari nequit propter densitatem, vt in lignis: sed quæcunque corpora habent humiditatem passibilem ab humido calore. Πέψις itaque ventriculi est ἕψησις: quæ vt rite procedat, calorem desiderat humidum. Idcirco, quo expeditior cibi confusio chylique subactio fiat, potum adsumimus: ne ὄπτησις aut στάτωσις sequatur: ceu Spagirici in destillationibus aquam aut alium liquorem stillatitium solent addere. Potus cum chylo probe mistus ἕψησιν efficit atque promouet: vnde αἱματοποίησις felicior: dum chyli cremor in hepate velut foco suo feruet, & in εὐχυμίαν alimenti, ope caloris, ingenitaque visceris indole excoquitur. Potus autem sanguini confusus, eum fibrarum supellectile crassum ac lentum diluit, & cum ipso tanquam ὄχημα τῆς τροφῆς in exilia etiam venarum capillamenta, exspatiatur, ne vllius partis genius vsufructu eius depiletur: & tandem vehendi munere perfunctus, ceu περιττεῦόν τι, partim per spiracula, quibus cutim natura passim pertudit, alias vaporis specie, nullo sensu euolat, calore prius fusus extenuatusque: alias sudoribus exhauritur, per meatuum cœlatorum oscula foras punctim hiscentia, guttatim scaturiendo, aquæ consimilis pelluciditate atque consistentia: partim ad renes amandatur, & inde a sanguine sequestratus vesicæ adpellitur, vt mictu foras extrudatur. Vna siquidem est eademque φύσις, ὕλη καὶ τρόπος φύσεως omnium, loci duntaxat emissaculorumque & excernendi ratione,

tum etiam cultu ſiue elaboratione inter ſe diſtincta. Eandem fere Paracelſitæ coctionum lithurgiam ſtatuunt. Alimenta ventriculo recepta, vt Balſamus illorum animalis humanæ naturæ conſentaneus reddatur: virtute ſpirituum Mechanicorum a ſcientiis ſulphurum, ſalium & Mercuriorum in anatomia ſtomachi, reſoluũtur & miſcentur: hinc impurum a puro ſeparatur, & proprietate ſulphuris diſſentanea à ſuis repellũtur globis ad nota diuerſoria: dein a chylo ſecernitur ſulphur impurum ac fœtidum ad monoculum. Poſt alimentum in officina hepatis in ſubſtantiam ſanguineam iuxta ſcientiam trium principiorum hepatis coagulatur, & quia hic ſubtiliora & vaporoſa ſunt nutrimenta, ſubtilioribuſque Mechanicis ſubiecta, excrementum quoq; analogum, nempe ſed ſuperfluum ſeu ſtercus ſalis cum vrina excernitur. Mercurius vero, cùm liquidus ſit, vehiculũ eſt, ſanguinis ad membra, & in nutrimentum abit cum portione ſulphuris & ſalis purioris reſoluti: huius recrementum per ſudorem extruditur, cum ſudor ſit Mercurius ſuperfluus. Illam vero partem potus, quæ in ἑψήσει exuberat, neq; cum chylo cibiſve tanquam exundans exacte miſceri potuit, ne hæc cum chylo in venas iecinoris rapta, ſanguificationi officiat, lien attrahit: quæ portio ἑψήσεως quoq; vim aliquam experta eſt. Ex hac ſanguinem ſibi pro alimonia fabricat lien: reliquum ad arterias emulgentes ablegatur. Si porro ad lienem fluat potus πολυδρκέστατος, ſplen eo vſq; rapit, donec in tumorem eleuetur. Atq; hæc eſt œconomia corporis ſani. Secus fit in Scorbuto. Huius cauſſa externa eſt victus exorbitans, ex craſſis crudiſque cibis ſcaturiens. Hi, dum ad frugem reduci non poſſunt, difficulter cũ potulenta materia ſubi-

guntur:

guntur: vnde ἔψησις exsulat. Potus itaque cibis non commistus hac illac fluctuat: &, licet aliqua eius portio a liene absorbeatur, non tamen tanta est, quantam natura desiderat. Hinc accidit, vt alluuiei perennitate restagnans penus poculenta, quæ omnem πέψιν & ἔψησιν aspernata est, secreta a reliqua chyli massa, in venas & corpus redundet: vbi in illis locorum faucibus hospitari iã amplius nequierit: vnde ichorosus sanguis vbertim in venis generatur. Illa etiam chyli subactio & esculentorum cum poculentis συνημοσύνη, eo minus fieri potest, quo crassiora sunt potulenta: vt aquæ lacustres, vina crassa, ceruisia turbida, & similia: quæ neutiquam a calore natiuo cum crassis chyli partibus cõmisceri possunt. Quamprimum autem potus ita crudus in corpus e ventriculo rapitur: crassiores chyli partes remanent: quarum portio aliqua potui sociata ad lienem, eius præsertim exiles venas, commeans, ipsum e vestigio obstruit: vnde, si nihil amplius potus a liene attrahi potest, is tanta cõpia in omnes corporis œcos quaquauersum diditur, vt Scorbutum inducat. Quod eo etiam celerius contingit: si illa accedant, quæ cruditates gignunt: vnde ἔψησις & αἱμάτωσις grauius vacillant: caussæ autẽ coniunctę fomes subditur: dum nempe corpus tenuibus & per μόλυνσιν creatis succis repletur. Eodem hæmorrhoidas, hæmorrhagias, aliasque vacuationes cohibitas reuocamus. Nam reses humorum ἀκαθαρσία, in spiraculis atque diuerticulis stabulans, plethoram inuehit, & coctioni ventriculi, venarumque est impedimento. Obstructio itaque, vel scirrhus, vel alius morbus lienis, caussa interna προηγουμένη est Scorbuti: quatenus propter hos adfectus splen nequit attrahere potulentam materiam; & ex hac genitum icho-

rem: qui discursitans in venas totumque corpus, specimen malitiæ iam palam profert suæ: vt illico docebimus.

Ex dictis *Caussa coniuncta* actutum in conspectum Philosophi prosilit: quæ Scorbuti οὐσίαν continenter generat, quãdiu morbus durat. Ea est μόλυνσις: quam si quis dextre & εὐπαιδεύτως reuocare velit ad σῆψιν, quam ἰδίως ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων λέγεσθαι, Arist. lib. 4 Meteor. cap. 1. adserit, non vitilitigabimus: quo sensu etiam Gal. partic. 2. aphoris. 12. ait: πᾶν ὑγρὸν ἀλλότριον τῆς τοῦ περιέχοντος αὐτὸ σώματος φύσεως, οὔτε τρέφειν ἐκεῖνο πέφυκε, καὶ λοιπὸν ἐξ ἀνάγκης ἔχει τὴν εἰς σηπεδόνα μεταβολήν: & cum lib. 2. de differen. febr. cap. 5. paulo latius scribit: semper suis natura viribus vtens, quicquid optimum fieri contigerit, his, quæ aluntur partibus, adsimilare, quicquid vero alienum, excernere conatur. Quod si aliquando ob crassitudinem, aut mollitudinem, aut tenuitatem materiæ inutilis, aut aliquam meatuum obstructionem, aut propter sui imbecillitatem, totum, quod est vitiatum, nequeat expellere, necesse est, vt, si id diutius in animalis corpore perdurauerit, corrumpatur. Neque enim fieri potest, vt aliquis quispiã ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, nedum qui ita deprauatus, vt naturæ cultum non amplius suscipiat: sed alterum omnino sequitur, vt scilicet cõcoquatur, adponatur, atque adsimiletur solidis partibus animalis, aut corrumpatur & putrescat. Dum modo sartam tectam conseruet talis putredinem illam vniuersalem, quæ generationi simplici opponitur, tãquam ἐναντίον μάλιστα κοινόν: ὅταν κρατῇ τοῦ ὁρίζοντος τὸ ὁριζόμενον, διὰ τὸ περιέχον: & videat, quomodo se excutiet apud Gal. qui 11. Meth. med. c. 8. describit putredinem, vt sit μεταβολὴ

τῆς

τῆς ὅλης τοῦ σώματος σηπομένης οὐσίας ὅτι φθορὰν, ὑπὸ τῆς ἔξω-θεν θερμασίας. Nos absque vllo lenocinio & cincinnis caussam coniunctã Scorbuti μόλυνσιν vocamus: quæ, teste Arist. 4 Meteor. c. 2. ἑψήσει ἐναντία est, καὶ ἀπεψία. εἴη δ' ἐναντία ἡ τῇ πρώτῃ λεχθείσῃ ἀπεψία τοῦ ἐν τῷ σώματι ἀορίστου, δι' ἔνδειαν τῆς ἐν τῷ ὑγρῷ τῷ πέριξ θερμότητος. ἐκκρού-εται γὰρ ἡ πέττουσα, καὶ ἡ ἔνδεια ἐστὶν ἢ διὰ τὸ πλῆθος τῆς ἐν τῷ ὑ-γρῷ ψυχρότητος, ἢ διὰ τὸ ἐν τῷ ἑψομένῳ πλῆθος. τότε γὰρ συμβαίνει τὴν ἐν τῷ ὑγρῷ θερμότητα πλείω μὲν εἶναι, ἢ ὥστε μὴ κι-νῆσαι, ἐλάττω δ' ἐστὶν, ἢ ὥστε ὁμολύναι καὶ συμπέψαι. Est contraria elixationi, inconcoctio humoris in corpore indefiniti, ob defectum caloris, in circumfuso humido: defectus autem caloris prouenit, vel propter copiam frigiditatis, quæ in humido est: vel propter copiam frigidi humoris in eo, quod coqui debet, tantam, vt a calore circumfusi humoris vinci & mitificari non possit. Hinc liquet: quam speciem ichoris apud Aristotelem, Scorbutum inducere censeamus. Hippocrati, teste Gal. 6. Epidem. sect. 2. tex. 38 ἰχωροειδὲς αἷμα significat, non ἁπλῶς λεπτὸν καὶ ὑδατῶδες αἷμα, ἀλλὰ καὶ μετά τινος ἰώδους καὶ κακοήθους δυνάμεως: qui venenosa aliqua & maligna facultate præditus sit. Cuius rei exẽplum statim adducit ex eodem Hipp. lib. 2. Epid. sect. 1. vbi inquit: καὶ ὑπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες ἐγκαταλαμβα-νόμενοι δὲ ἐθερμαίνοντο, καὶ κνησμὸν ἐνεποίεον, εἶτα φλυκταινί-δες ὥσπερ πυρικαῦστοι διανίσταντο, καὶ ὑπὸ τὸ δέρμα καίεσθαι ἐδόκεον. Id est: Sub cute ichores creabantur: inclusi autem calescebant, & pruritum excitabant: deinde pustulæ, vt ambustis, exsurgebant, & sub cute vri se putabant. Et mox subiicit hæc: est ἰχὼρ siue ἰχωροει-δὲς αἷμα, περιέχον ἐν ἑαυτῷ μοχθηρὰν ὑγρότητα λεπτὴν, οὐχ ὑδατώδη καὶ ἄδηκτον, ἀλλὰ δακνώδη καὶ διαβρω-τικήν: in seipso prauam ac tenuem humiditatem

continens, non aqueam & morſu carẽtem, ſed mordacem & erodentem. Plato etiam in Timæo ſimile quid ſignificat: ichor, inquit, ſanguinis quidẽ ſerum, mitis: nigræ vero bilis ἄγριον, id eſt, ferus, acris. Dum hi colluuiem ab ichore prognatam depingunt, non deuiant a ſcitis Ariſtotelis: qui, licet generatim per ἰχῶρα intelligit τὸ ὑδατῶδες αἵματος, & eum ad pituitoſum excrementum reuocat: eius tamen duas ponit ſpecies: inquit enim 3 hiſtor. animal. cap. 19. ichorem eſſe ſanguinem imperfectum, vel in ſerum conuerſum: & 2. de partib. animal. cap. 4. ichorem eſſe partem aqueam ſanguinis, vel nondum coctam, vel corruptam. Priorem ſpeciem conſtituit Ariſtoteles φλέγμα, τὸ ὑδατῶδες ſcilicet αἵματος, nonnihil, non tamen ad amuſſim coctum, ideoque craſſius & adhuc ἄπεπτον: vnde & περίττωμα quidem dicitur, verum χρησίμης πρώτης τροφῆς καὶ αἵματος χάριν, quod vlteriore coctione in ſanguinem ſeu alimentum cedere poſſit, 1. de ortu animal. cap. 18. ſect. 4. problem. 27. libr. 2. de partib. animal. cap. 4. & 3. hiſtor. animal. cap. 19. Poſteriorem ſpeciem nominat ſpecialiter ἰχῶρα, & 4. Meteor. cap. 7 ὕδωρ ἀκράτητον καὶ ἐξ ἀνάγκης ἰχῶρα, vt puta ἄχρηστον: cuius ideo deſperata coctio eſt: quod in naturam prorſus aqueam degenerarit. Poſterior hæc Scorbuti cauſſa eſt: quæ ob μόλυνσιν oritur, & merum eſt περίττωμα, ſiue αἷμα νοσῶδες καὶ νοσερόν: (ſic enim Ariſtot. 3. de hiſtor. animal. cap. 2 & 19. 4. de partib. animal. cap. 2. appellat αἷμα ἢ φύσει, ἢ νόσῳ vel παχύτερον καὶ ὑγρότερον, vel λεπτότερον, καὶ μελάντερον, ac omnino θολερώτερον:) progreſſuque temporis indolem acquirit deteriorem, quam Gal. ex Hippocr. ichori attribuit: qualemque in Scorbuto obſeruamus. Eodem ſenſu voces Hippocraticas intelligimus: quibus nõ ſolum aquam,

aquam, ſed quamcunque potulentam materiam, Laconico & ſuccincto loquendi more, comprehendit Hippocrates. Interim tamen, quamuis hunc lienis vſum ſtatuamus, non negamus, ex terreſtribus chyli partibus melancholiam in venis generari: quæ non ſolum vinaceæ fæci ſimilis eſt, ſed etiam quandoque eam induit κακοήθειαν, quam furori atræ bilis adſcribunt Galenici. Hanc autem melancholiam allici a liene, conſtanter inficiamur: ſed, cum ſit venarum excrementum, perinde ac bilis flaua, quemadmodum hæc in ſuum folliculum & enteranea expurgatur, ita illam per emulgentes in renes veſicamque detrudi, materiamque hypoſtaſi vrinæ præbere, cum Bertrucio cap. de lapidib. renum, arbitramur. Non itaque erit humor melancholia: cum ſolus ſanguis nutriat: & quidem is, qui pro varia partium nutriendarum natura, partibus frigidioribus, calidioribus, craſſioribus, tenuioribuſque conſtat. Auguramur etiam infinitos morbos ob lienis næuum imputari craſſæ iſti & lutulentæ melancholiæ: qui a tenui atque aquoſo humore prodeunt. Vnde tam periculoſæ in melancholicorum curationibus comperendinationes, dignæ εἰς δικαστήριον καλέσαι.

Quas ingeniorum intemperies cum ſolus Deus νουβυστικὸς ad ſanitatem reuocare poſſit: Illi hæc omnia vni emendanda relinquemus, ſimul precantes: vt animos noſtros ignota mortalibus opulentia compleat: quo nobis, quantum argumenti de Scorbuto captus fert, grata ipſi, non autem prurientibus auribus adridentia, dicere liceat.

EXERCITATIO V.

Signa Scorbuti.

TAmetsi apud nos prius cognoscitur ens, quam eius opus: tamen ex eorum, quæ a sensu remota sunt, effectionibus euehimur ab inscitia, in ipsorum cognitionem. Itaque, cum, teste Gentili super Auicen. li. 1. fen. 1. doct. 1. cap. 1. sanitas & morbus plerunque sint occulta, nec possint sciri per caussas: necessario requiruntur signa ad morbos cognoscendos. Hæc præstant ea maxime: quæ παθογνωμονικὰ nominantur a Gal. 1. aphor. 12. quæ συνεισβάλλει τῷ νοσήματι, eiusque essentiam constituunt & conseruant: imbecillius vero συνεδρεύοντα & συνεζευγμένα vocata: quæ πότε συνεισβάλλει, πότε δ' ἐπιγίνεται, πότε δ' οὐδ' ὅλως γίνεται: & cum Aristot. 5. Metaphys. cap. 2. casu potius, fortuitoque accidere videntur. Gal. lib. 3. Epidem. com. 3. tex. 34. Nos vtraq; adferemus Scorbuti signa: quæ oculis & auribus captos in abdita naturæ cœnacula ducant.

In ἐπισημασίᾳ hi verhedarii a Scorbuto cum tractoriis amandantur, vt diuersorium instruant: spõtanea corporis lassitudo & delumbatio, maxime vero crurum & artuum, cum leui rigore obtusoque dolore, ab exercitio præsertim consueto: præcordiorum angustia, quandoque etiam ad scapulam sinistram & sumen repens, vnde spiritus difficultas: ἀνορεξία, aut, quamuis cibos nõnulli appetant, inde tamen læduntur: gingiuarum, aggeris dentium, prurigo & rubor intensus: sanguinis profluuium e naribus: saliuatio: & facies pallorem indies maiorem induit.

Hippocrat. part. 2. aphorism. 5. inquit: κόποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους. Quem Cels. lib. 2. cap. 2. sic interpretatur:

pretatur: aduersa valetudo timeri debet, si genua quasi fatigata sunt, totumve corpus lassitudinem sentit. Lassitudinis autem tres constituuntur species a Galeno 2. de symptom. causs. cap. 5. 3. de sanitate tuend. cap. 5. & lib. 4. cap. 2. & 2. aphorism. 5. Κόπος ἑλκώδης: cum tristi, molestoque & vlceroso sensu, ob cacochymiam, id est, crudorum, tenuium & acrium humorum copiam, pungitur non secus ac a multis spinis infixis, & quasi vulneratur, tum cutis, tum ipsa caro: (circa has enim caussam consistentem habet:) sic, vt etiam horror interim oboriatur, immo etiam quadamtenus concussio, commotioque totius corporis inæqualis: quod Græci ῥῖγος vocant: si modo admodum tum copiosus humor is, tum acer sit. Κόπος τονώδης: vbi tendi solum membra videntur, vlceris vero sensus non est: a plethora ad vasa oritur: cum succus abundat: residet autem in musculis & neruis ex vehementi tensione, in qua omnes quidem musculorum fibræ tenduntur, illæ vero maxime lassantur, quæ per longitudinem tensionis porriguntur, cum obliquiores minus in directum agantur. Quæ vero eo vsq; intentæ sunt, vt parum a rumpendo absint, non facile iniuriæ illatæ obliuiscuntur, sed, licet nulla tensione amplius vrgeantur, nihilo minus tamen tendi adhuc videntur. In partibus autem, in quibus sunt humores, quos continere nequeunt, maior sentitur grauitas. Κόπος φλεγμονώδης, ex prioribus miscetur, nempe ex multo & prauo succo: qua nimirum ceu cõtusas aut phlegmone obsessas partes sentimus cum tensione & vstione, tum maxime, cũ musculi nimium excalfacti attraxere quippiã ex circumfusis sibi excrementis. Fit vitioso humore in totã animalis partem transfuso. Quin aliquando, non tamen

necessario aut perpetuo, lassitudo hæc cõtusiua, tendones & neruos adeo adfligit: vt homines ossibus vniuersis se dolere putent: si præsertim adsit spiritus crassior, frigidiorque: qui, dum ad cutem erumpere pro lubitu non potest, ossium membranis incubans, non ponderis duntaxat & contusionis, sed ὀστοκόπου quoque & fractorum ossium, vt Arabes nominant, sensum præbet dolorificum. In nonnullis etiam tumor musculorum deprehenditur. Hæ lassitudines quandoque coniunguntur, & compositas lassitudinis species constituunt: quæ, vt simplices proportione certa & mediocritate sensus distinguuntur, ita ratione accedentis symptomatis, prout huius sensus eminet sensui alterius, dignoscuntur. Si hæc ex Galeno depromta Scorbuto accommodauerimus, lassitudinem tensiuam deprehendemus corpori grauitatem impertiri. Quotiescunque autem sensus grauitatis aut distensionis adest, plenitudo dicitur: nam hæc eius signa esse propria, ex superioribus, & Gal. lib. de plenit. cap. 1. & 2. liquet. Plethoram vero non restringimus ad solius sanguinis redundantiam, cum legitimos naturæ limites transsilit, quæ πολυαιμία nuncupatur: sed eam cum Gal. 2. de compos. medic. sec. locos cap. 1. sic describimus: γίνεται δ' αὕτη τῶν τεττάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων, quatuor humoribus ex æquo auctis, ἢ τοῦ αἵματος μόνου: ὡς ὅταν γέ τις τῶν ἄλλων αὐξηθείη χυμῶν, οἵπερ εἰσὶ φλέγμα, καὶ ξανθὴ χολὴ καὶ μέλαινα: τὴν τοιαύτην αὔξησιν οὔτε πλῆθος, οὔτε πληθώραν οὔτε ἁπλῶς πλῆθος ἀλλὰ μετὰ προσθήκης ὀνομάζουσι πλῆθος φλέγματος, ἢ χολῆς ξανθῆς, ἢ μελαίνης, ὑπάρχειν ἐν τῷ σώματι, φάσκοντες. Nec ἀντιπαρηγοροῦντες loci sunt 13. method. med. cap. 3. & lib. de plenitud. cap. 11. Sic in Scorbuto ichorosa materia vberius in venas rapta, quia alimo-

niæ συμπεραγίαν respuit, sanguini commiscetur, vniuersaque corporis incilia complens musculorum etiam fibras adoritur: vnde, cum nauci sit, eam partes susq; deque faciunt, quibus pondus tensionemque inuehit: hinc πληθώρα πρὸς τὴν αὐρυχωρείαν ἀγγείων.

Delumbatio corporis oritur cum ex copia, tum enormi sanguinis serosi frigiditate cruditateq;. Hippocr. lib. de veteri medic. inquit: τὸ πεφθῆναι γίνεται ἐκ τοῦ μιχθῆναι, κρηθῆναι καὶ ἀλλήλοισι συνεψηθῆναι. Hinc, cum omnis coctio incrassando procedat, τελείωσις introduci prius nequit, quam crassiores partes a tenuioribus separentur, & hæ quidem incrassentur, illæ vero attenuentur. Quia autem in Scorbuto a calore enerui non possunt discriminari in cōcoctione & incrassari partes nutritioni dicatæ: tenuius crudiusque relinquitur alimentum: vnde, cum πέψις, ἀνάδοσις & ἐξαιμάτωσις vitiatæ sint, nulla etiam sequitur πρόσθεσις, nulla πρόσφυσις, nulla denique ἐξομοίωσις. Dum igitur non nutriuntur partes, languent. ἡ θρέψις enim, teste Gal. 1. aphoris. 15. ἐστὶ ἀναπλήρωσις τοῦ κενωθέντος: quæ etiam definitur ab eodem 1. de facult. natur. cap. 8. ipsa alimenti conformatione: quæ voce Græca προσαπλάττεσθαι enucleatius declaratur. Nam in nutritione requiritur necessario vnio & naturalis, quæ est formæ, & mathematica, quæ est materiæ, continui & contigui. At, vt Gal. lib. 1. de humor. com. 12. scribit, virium robur adesse nequit, vbi crudorum humorum copia coaceruatum est.

Imbecillitas maxime crura & articulos vexat, cùm quod natura humores corporis deorsum truant: tum quod articuli neruacei & exsanguis cū sint, frequenter διάλυσιν patiantur.

Rigor, siue leuis & inæqualis crurum vibratio cum,

ſenſione moleſti frigoris oritur ob dolorificam in neruos ſubito confertimq; a frigore ſeri impreſſam διάθεσιν. τὸ γὰρ ἄπεπτον, ψυχρόν· τὸ δὲ πεπεμμένον, θερμόν. Nihil æque, ac frigus neruis infeſtum eſt, quia ſunt ἄναιμα: iuxta Auicen. lib. 1. fen 1. doct. 3. cap. 2. Celſ. libro primo, cap. 9. & Galen. 2. de facult. natur. cap. 3. Dolor autem aduenit, cum exuberans ſeroſi humoris ſupellex adeo crura tendit, vt ſolutionem continui inuehat: quam ſolam eſſe immediatam doloris cauſſam, certo ſcimus. Sic etiam intemperies, aut id, quod intemperiem ἀμέσως parit, dolorem ciet, ſoluendo continuum. Dolor a calore coniunctus ſemper eſt cum quadam ζέσει & exundantia humorum, ex qua tenſio & ſolutio continui: alias in omnibus morbis calidis omnes corporis partes ſenſu præditas dolor lancinaret. Idem de frigore Scorbutici humoris ἀκώλυτοι ἀναγωνίστοις inculcamus: quod non ſua ratione, ceu alterans, ſed ea, qua continuitatem partium corrumpit, dolorem inuehit: non ſecus ac iſtis accidit: quibus manus, cum digiti, non autem vngues, ex horrido brumæ gelu dolent, tumidiores & tenſæ apparent. Spagirici ſynouiam hic accuſant, mucum nempe, qui in articulis maxime obſeruatur, ac omnium oſſium membranis vtili neceſſitate adhæret. His Hippocr. lib. de locis in homine conformis eſt: μύξα πᾶσιν ἐστὶ φύσει· καὶ ὅταν αὐτὴ καθαρὴ ᾖ, ὑγιαίνουσι τὰ ἄρθρα, καὶ διὰ τοῦτο εὐκίνητά ἐστιν, ὥστε ὀλισθάνοντα πρὸς ἑωυτά: qua lubricitate mutua iuuantur. πόνος δὲ καὶ ὀδύνη γίνεται, ὅταν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ὑγρασίη ῥυῇ πονησάσῃ, vbi a carne humiditas doloroſa affluxerit. Quod eo atrocius fit, ſi gluten per ſedulce purumq; coaguletur a ſale minerali: vel tartarum viſci & cruoris coagulatum, vagantes in membris cruciatus concitet.

Ab exercitio porro hæc symptomata grauius fe-rociunt: quod iuxta Galen. 13. method. medend. cap. 6. non liceat in ægris exercitatione vacuare exsuperantiam, quorum corpus vitiosos succos congessit. Exercitatio enim excrementa, quæ prius quieuerãt, calefaciendo, attenuando ac in spiritum vertendo, ad motum excitat: eodem adserente 2. de symptom. cau. capit. 5. dum calore, exercitatione comparato, succi pituitosi, quo plurimo crassi abundant, liquescunt: quin etiam omnium apertio vasorũ, & angustorum meatuũ raritas hac maxime ratione paratur: vt sentit idem comm. 17. in Hippoc. lib. de salub. diæta. Et 2. de sanit. tuend. cap. 2. inter alia exercitationis commoda, & hoc recenset: quod efficiat, tum deducendorum in corpus validum attractum, tum immutationem expeditam, tum nutritionem magis felicem: tum vt singulæ corporis partes sint perfusæ: cuius fusionis beneficio & solida, mollescere, & humida tenuari, & arctos corporeæ molis meatus εὐρεῖς, i. laxiores fieri accidit: nam quoniã digestionem in corpus adiuuat, non debet, cũ administratur, crudi incoctiq; cibi aut succi multitudo vel in ventriculo, vel in vasis contineri: vnde periculum sit, ne prius, quam per maturam concoctionẽ vtilis sit, in omnes animalis partes rapiatur. Commodissimum igitur tempus ad exercitationẽ tum est, cũ hesternus cibus duplici cõcoctione iã prorsus sit confectus, & ea, quę in ventriculo, & ea, quę in vasis sanguinis agitur: ac iã denuo cibãdi tẽpus instet: qđ si aut prius, aut posterius exercitatione vtere, crudis humorib. hominẽ impleueris. Et statim addit: Exercitatio adeũda est, expulsis prius excremẽtis, quę vel in vesica, vel inferioribus intestinis continentur: verẽdum n. ne quid ex his in habitũ corporis,

rapiatur, correptum videlicet caloris vi, qui per exercitationem accenditur. Timendum præterea eſt, ne excrementa ſpiritus impetu impulſa exiguos meatus obturent. Laſſitudo itaque poſt exercitium in Scorbuto intenſior fit: cum quia iam elumbe eſt corpus: tum quod Camarina mota magis fœtet: tum quod excrementa e centro in ſuperficiem corporis exorbitãt ob exercitationem: quod facilime fieri poteſt, cum ſint impenſe tenues & ſeroſi humores Scorbutici: quando præſertim neque ἀποθεραπεία a Gal. 3. de ſanit. tuend. cap. 2. deſcripta, adhibeatur: cuius beneficio excrementa, quæcunque excalfacta & extenuata per exercitationẽ in corpore adhuc manent, prorſus eiiciũtur, & corpus a laſſitudine tutum redditur. Nauci etiam fit frictio completoria & reductoria dicta Gentili ſuper Auic. lib. 1. fen 3. doct. 2. cap. 3. quęſt. 6. quæ ſuperfluitates, quas exercitium ad cutem adduxerat, & non euacuantur, complete euacuat: & membra iam laxitudinem patientia, ad ſuam naturalem diſpoſitionem reducit. Quod autem hæc ab exercitio potiſſimum conſueto accidunt: non exigua hic partium ἀδυναμία καὶ ἀδυνατία notatur: quæ amplius ne quidem conſueta munia obire poſſunt. Gal. lib. de cauſ. morb. cap. 2. ſcribit: animantium corpora plurimum alterum ab altero differunt in hoc, vt aut facile aut ægre a naturali recedant habitu: ac quidem omnibus etiam vulgaribus ac rudibus in propatulo eſt, athletarum corpora diuturniores ac vehementiores motiones citra laſſitudinem perferre, niſi dignam effatu, tum magnitudinem, tum moram adtumſerint: quod conſuetudini adſcribitur: quæ ſcite ab eodem 2. de temperam. cap. 4. acquiſititia natura nuncupatur. Et Hippoc. 2. aphor. 49. inquit: οἱ εἰθισμένοι

νοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι. Imo, (vt Gal. in com. addit:) omnibus laboribus hoc commune exsistit: quod partes exercitatæ fiunt robustiores, atque idcirco labores consuetos facilius ferunt. Cum itaq; secus in Scorbuto eueniat: merito corpus αἰνοπαθὲς a sanitatis εὐτολμίᾳ desciscere dicemus: dū ne quidem vsitatis, & ipsi quodā modo secundum naturam redditis, tolerando est.

Præcordiorum angustia, scapulam etiam & sumen sinistri lateris quatitans, cum ab infarctu lienis, tum compressione diaphragmatis, deniq; a musculorum abdominis distensione scaturit. Splen penes spuriarum costarum sinistri lateris cartilagines, sinistræ diaphragmatis parti innititur: nonnunquam etiam parte sui exteriore fibris quibusdam septo connectitur. Septi autem trāsuersi capedo, quemadmodum ima, versus nutritionis organa, peritonæo, ita summa, cor & pulmonem versus, membrana costas subcingente vallatur. Tunica siue ὑμὴν ὑπεζωκὼς a pectoris ossis cliuo, cui septum innascitur, antica parte iugulum adit: & thoraci, inuolucri loco, adnata, cum thorace distenditur, & cum eodem arctatur: immo diaphragmati præsens robur suggerit, & in ipso membranæ musculorum ventrem cingentis vice fungitur. Scapula infestatur ob adfinitatem: quam costis iungit primus illam, & secundus thoracem mouentium musculis: vt & ligamenta clauiculæ: quo instar scuti partes, thoracis clientes, ab iniuria vindicet. Membranæ etiam intersepientes, quæque clauicularum articulationi magis cohærent, a gutture ad vniuersam septi expansionem prosiliunt, & a tota ossis pectoris, quod στέρνον vocant, longitudine ad corpora vs-

que vertebrarum thoracis exporriguntur, tergo, pe-
ctori ac septo cõnascuntur pertinacissime, thoracem
sic discriminantes, vt gemina construant atria, ac sub
osse pectoris κἰμηλιάρχιον pro pericardio ædificent.
Vnde non mirum, in Scorbuto spiritus difficulta-
tem clauiculis quoque & gibero communicari. Su-
minis vero musculi obliqui, si tendantur, cliuosum
thoracis κύρτωμα comprimunt, sicque thoracem ar-
ctant: recti, cum oblique adscendentibus costas de-
orsum trahendo, thoracem constringunt: transuer-
sorum denique costas intro adducentium audax ad
thoracis angustiam est συμπνευσμός. Hoc sensu Rha-
sis libr. 4. continent. dyspnœæ caussam ponit pectus
strictum. Si iam horum musculorum ἐνηβητήεια cru-
dus vberque succus occupauerit, non solum hypo-
chondria distendentur, duraq; renixu fient: sed mu-
sculi quoq; ipsi iugum thoracis detrectabunt. Com-
municat enim diaphragma inferius peritonæo, &
quibusdam fibris connexum hypochondriis. Facile
itaque coarctato diaphragmate respiratio fit diffici-
lior: cum naturalis inspirationis exspirationisq; pri-
mum & principalissimum sit organum septum trãs-
uersum: teste Gal. 2. de diffic. respir. c. 10. 5. de vsu par.
cap. 15. & lib. de causs. respirat. Et Aret. lib. 2. de cau. &
sign. acut. cap. 7. inquit: diaphragma morem pulmo-
ni respiranti gerit in dilatatione, contractioneque:
ergo illo læso, nec morem gerente, vitiosa fit respira-
tio. In Scorbuto comprimitur septum transuersum
a ventriculo, crudis crassisque cibis infarcto. Stoma-
chus enim circa tertiũ foramen diaphragmatis con-
tinuum cum vẽtriculo corpus efficiens, & sinistram
neruosæ septi transuersi partis sedem penetrans, in
sinistro latere capacem septi thalamum adit: (in dex-

tro latere ventriculus nuſquam ſeptum attingit:ideo etiam in πλήρωσι & cruditate ventriculi grauior ſemper percipitur circa ſiniſtrum latus anguſtia præcordiorum:) &, cum œcum inter iecur & ſplenem occupet, pondere ſuo facilime diaphragmati oneri eſſe poteſt.

Eſt & lienis humoribus turgentis, qui ſepto accubat, ὁμοιαιχμία. Sic Galen. 1. de difficult. reſpirat. cap. 11. inquit: tumores præter naturam circa ventrem & hepar, ſplenem item & colum, & his coniunctas partes conſiſtentes, ob ſepti tranſuerſi coarctationem, paruum & velocem & denſum faciunt ſpiritum: iuxta eundem modum & aqua inter cutem laborantibus, & vterum geſtantibus, & iis, qui ſe ſupra modum cibo expleuerunt, & qui prominentem ventrem habent, huiuſmodi fit reſpirationis ſpecies. Ab iiſdem præterea partibus ſarcina humorum ad diaphragma amandatur: a quo per euidentia potius incilia, quam ſympathia quadam, reliquis muſculis & tunicis thoraci ſeruientibus ſentina communicatur. Idem in hepate grauiori videre eſt: ob pondus enim deorſum vergens, ſeptum tranſuerſum vna detrahit, cum ſpiritu difficili: quod malum etiam, adfecta præſertim gibba parte hepatis, iugulum & coſtas nothas dextræ partis adoritur, propter συμπλοκὴν nimirum membranæ ſuccingentis, & earum, quibus iecur plerunque nothis coſtis adligatur: item propter oppreſſionem diſtentionemq; diaphragmatis a tumore, cum quo ſuperiores membranæ infra conuelli videntur: tunica etiam παρέγχυμα hepatis inuoluens propago eſt peritonæi illius, quod imæ diaphragmatis ſuperficiei ſubducitur.

Ἀνορεξία a Paulo libro 3. cap. 37. finitur σιτίων ἀπο-

στροφή. Gal. 3. de facul. natur. cap. 6. & com. 2. lib. 1. Prorrhet. sent. 37. ἀποσίτους vocat eos, qui cibum fastidiunt. Horum autem aliquot classes ordinat: nempe, qui comesse coacti, nec deglutire, quod comederunt, valent: nec, si id per vim faciāt, quod deglutitum est, retinent, sed protinus euomunt: etiam qui alias quoque cibum quemlibet auersantur, si vrgeantur aliquando, vt eum sumāt, celeriter euomunt: vel, si violenter contineant, & nausea infestantur, & resupinari sibi ventriculum sentiunt, &, quod offendit, amoliri properare. Scorbuticos igitur, qui aliquo eiusmodi symptomate infestantur, ἀνορεξίᾳ vexari cum Galen. dicemus. ὄρεξις illius facultatis opus est, quam Gal. de sympt. differ. cap. 4. φυσικὴν, veteres ἐπιθυμητικὴν, θρεπτικὴν & ὀρεκτικὴν indigitant. Nascitur, cum partes alimento destitutæ, penuriæque sensu proritatæ, naturali inclinatione impleri desiderant. Modum neruose enucleat Galen. 1. de sympt. cau. cap. 7. his verbis. Quoniam cute tenus vnumquodque animal in ambientem aerem digeritur, accidit, vt membra, quæ sub ea sunt, prima vacuentur: quorum ingenita vis ex proximis sibi alimentum trahit, id scilicet, quod vacuatur, reficiens: deinde rursus illa ex iis, quę sibi sunt proxima: sicut quæ tertio loco sunt posita, ab iis, quæ sibi: atque ita semper per continuum, veluti in choro quopiam translatione celerrime facta, ad venas, quæ ad ventriculū pertinent, vacuatio peruenit. Hæ vero & solent, pariter & natæ sunt, ex ventriculo nutrimentum trahere: perinde vt stirpium radices, quæ in terram sunt dimissæ, ab ea. Cum enim hoc opus vniuersum naturale sit, non animale, similiter in stirpibus & animalibus perficitur. Ac in stirpibus quidem terra perpetuo paratum largumque alimen-

alimentum rigantis ritu subministrat, quamdiu cœlitus temporum status pro natura se habet. Quando, si ex terra squaloris excessu siccatus est humor, stirpes nutrimenti penuria marcescũt. Animalibus autem, vtpote terræ non adfixis, præter vtique pauca quædam, natura ventrem pro nutrimenti veluti penu fabricauit, quemadmodum stirpibus terram. Dedit autem animalibus & penuriæ sensum, quo scilicet ad cibum potionemq; proritata, in tempore expleantur: vocaturq; eiusmodi implendi desiderium appetentia. Fit autem ex penuriæ sensu, cum scilicet venæ ex ipso ventriculo, veluti emulgentes sugentesq; aliquid trahunt. Non ferẽs autem eum suctum vẽtriculus, sed veluti diuulsus, offensæ eius medelam cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad obiectos cibos conuertuntur, atque ex iis nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque post cibi sumtionem, vt & venæ simul ad cibos se conuertant, & ventriculus ex iis, quantum prius per venas est exhaustum, in seipsum trahat: ac suctus quidem ipsius sensus fames est. Huius autem actionis amissio, iuxta eundem eodem eiusdem libri loco, aut eo accidit, quod sensus suctus sit amissus: aut eo, quod suctus nõ fiat: aut eo, quod corpus non vacuetur. Suctus amittitur: vel ob nimiam crudi, frigidi, lenti, crassiue humoris in ventriculo infarcti copiam, vnde se inaniri non percipit: vel per vehementes morbos & δυσχερσίας prostrato ventriculi, maxime vero stomachi sensu: hic enim, quemadmodũ αἰσθητικώτατος est, ita appetitionis cibi potusque æstimatur instrumentum, adnuente Gal. 2. aph. 20. lib. de odorat. instrum. cap. 2. & 1. de sympt. causs. cap. 7. Exemplum adfert idem 2. aph. 26. Senum corpus, inquit, cum frigidum efficia-

tur, tantum augeri, contingit in ore ventriculi frigiditatem, vt ad inappetentiam fiat transmutatio. Et li. de plenitud. cap. 11. scribit, ex crudo humore, (quem ex pituitæ generibus statuit,) minime appetẽtes fieri. At idem Gal. videtur ἀντιπαραστατοπεδεύειν: dum 2. de temperam. cap. 2. ait: quod si pueri appetunt plura, nihil id facere ad caloris robur: id enim non accidere caloris copia, vt animal appetat plurimo contra refrigeratis scilicet his partibus, quibus appetentia debetur: vitiosus etiam succus, qui frigidus est, similem suctui morsum inferat, appetẽtiam vero proritet, naturalis adfectus similitudine, alimẽti autem, non potus, desiderium excitet propter frigus: nõ etiam parum ad esuriem frigiditas eorum, quæ in ventre habentur, conferat, cum & corpora eorum, tunicasq; vacuet, & cogendo, constringendoq; ad appetentiam irritet: vt idem lib. 1. de sympt. cau. c. 7. docet: & 2. etiam apho. 20. scribit, plura appetimus, cum os ventriculi, (in hoc enim vis appetẽdi præcipue consistit) frigidiorem habuerit temperaturam: & 5. de loc. adfect. c. 6. refert, eos, quibus ex intempestiua aquæ frigidæ potatione iecur affatim refrigeratũ est, vnde statim aquam inter cutem inducit, vehementi ciborum desiderio teneri, ob refrigeratum os ventriculi. Eiusmodi autem appetitui in naturę meditullio aqua & igni interdictum est, cum non ex pabuli penuria nascatur: vnde Auicen. lib. 1. fen 1. doct. 3. c. 3. eum deprauatum, & Galen. lib. artis par. cap. 63. malam temperaturam ventriculi, Leouell. item Fauentin. de meden. morb. cap. 34. pœnalem potius, quam naturalem comedendi appetitum, & Surius comm. rerum in orbe gestarũ, incredibilem ingluuiem appellant. Gal. rationem subdit: frigidus natura ventriculus

culus ad appetendumquidem plurimũ viget: ad concoquendum autẽ minime, tales præsertim cibos, qui frigidi sunt, & non facile alterationẽ suscipiunt. Cito itaq; in ipso acescunt: atq; ideo acidis eructationibus talis ventriculus abundat: & gaudet quidem frigidis, sed ab eorũ vsu immodico facile offenditur. Suctus porro cessat aut non fit: vel ob nimiam vasorum plenitudinem: vel ob exiguam partium dissolutionem: vel ob earundem imbecillitatem. In hãc classem locamus: quod Gal. 8. method. medend. c. 5. scribit: incidit non paucis eorum, quos diarrhœa ex cruditate male habet, vt appetentia careant, sic, vt cibos auersentur. Et Hipp. 2. aph. 32. inquit: ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ᾽ ἀρχὰς μὲν εὐσιτεύοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτεύουσιν. Galen. in com. addit: processu temporis ob cibi multitudinem aucto in toto corpore vitio, ipsum etiam appetendi instrumentum male se habebit. Et lib. 1. de facult. aliment. cap. 7. refert, ex cibo præassumto non cocto, cibi fastidium oriri, vt nihil edere possint. Huc etiam pertinet eiusdem locus 3. de facult. natur. cap. 13. est nonnunquam, ait, quo minus animal esuriat, caussa, nutrimenti in iecinore abundantia: quippe venter, si melius paratiusque nutrimentum habet, externum non postulat: sin aliquando postulat, nec eius copia est, excrementis impletur: ea sunt sanies, quædam biliosæ, pituitosæq; atq; serosæ: quas solas trahenti illi, cum scilicet nutrimẽto indiget, iecur remittit. Idem de corporis πλησμονῇ dicendum: cui nequaquã competit series a Gal. 1. de sym. cau. cap. 7. descripta: vt primum vacuatio sit: secundum vacuatorum appetẽtia naturalis: tertium vẽtris suctus: quartum eius sensus: quintum appetentia eius animalis, quæ omnium est

vltima. Ex hac Galenicę doctrinę medulla cuiuis patet: quantopere Scorbutici cibi fastidio prehendantur. Nam vis ventriculi sensifica obtunditur a frigidi, crassi inconcoctique succi sarcina, ob quam ne quidem suum penuarium exhauriri percipit ventriculus. Deinde etiam partes, cum ob molestam exorbitantis humoris ἀποσκευὴν, in ἐυωχητήεια quæque clandestine citra ἀντιπεριίσπασμα propter tenuitatem irrepentis, tum ob eneruationem, non possunt sugere a vicinis, multoque minus sibi adsimilare quid, cum pabulum illud odio plus quam Vatiniano execrentur. Vnde Gal. 2. aphor. 33. inquit: sana esse omnia significantur, quæ ad ventrem attinēt & hepar & cor, vbi adest promtitudo ad cibos, qui obferuntur. Licet autem in nonnullis supersit appetitus: deprauatus tamen est, vt modo diximus. Atrocius enim inde læduntur: dum cruditates cruditatibus cumulant. Hippoc. aphor. 10. lib. 2. ait: τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις. Corrumpitur enim, (vt Gal. in com. addit:) aduenie̅ns alimentum vna cum iis vitiosis humoribus, qui iam in corpore præexsistunt: ita vt ipsorum quidem quantitas augeatur, qualitas vero seruetur. Hoc præcipue fit, quando ventriculus quibusdā humoribus vitiosis plenus fuerit. Sic iuxta Senarium: κακοῖς ὁμιλῶν, κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Gingiuarum pruriginem ὀδαξισμὸν nominamus: qui Galeno 3. aphor. 25. κνησμὸς τίς ἐστι μετὰ βραχείας πόνος ἀνίας. Eiusmodi prurigo ὀδοντίασιν & ὀδοντοφυΐαν in dentitione anteit: cum nempe dentes intra φάτνια, (vt Gal. lib. de ossib. cap. 5. appellat:) siue βόθεια, id est, alueolos & fossulas maxillarū concipiuntur, &, dum erumpere tentant, pruritum cum dolore quodam inuehunt. Similis ὀδαξισμὸς in Scorbuti initio sentitur:

tur:qui non a fœculento melancholiæ ſucco, motui ſuperiora verſus ineptiſſimo, ſed ἰχωροειδεῖ ſanguine proſapiam trahit. Sãguis vero hic deportatur ad gingiuas per aliquot venæ exterioris iugularis ramos. Hæc enim a clauiculis adſcendens gulę adſiſtit:& penes auris radicem, iuxta inferioris mãdibulæ cliuum, ad fauces excurrit: ac lucanar oris ſubiens, poſtquam ſurculi nonnulli ab ea in laryngem, eiq; penitus coniunctas glandulas, muſculos item oſſis, quod ὑψιλοειδὴς & ὑοειδὴς vocatur, nec non in linguam, tranſplantati ſunt, propagines aliquot in vniuerſam faucium arcam diſſeminat: quarum rami quidam, præter inſignem illum, iuxta linguæ longitudinem πολύπρεμνον, præter etiam πολυσωματώτερον alium, in caluam per foramen, quod ſecundo cerebri neruorum pari inſculpitur, ad craſſam menyngem prorepentem, atq; ad poſteriorem mamillaris proceſſus ſedẽ cœlatum, in palatum circumductaſqué ori partes digeruntur tortuoſe. Gingiuę porro auidius ſanguinem hunc ſeroſum ſorbent: quia, etſi iuxta Hipp. lib. de Carnib. in foraminibus carnis humidũ eſt, velut in venis magnis: id tamen maxime gingiuarũ carni quadrat: quæ natura & laxior, & mollior, & rarior, & humida ſecundum exſuperantiam eſt: vt Gal. 1. de element. cap. 6. ait. Sarcina iſta ſanguinis tendit carnem: tenſionem titillatio pruriginoſa potius, quã dolor excipit, cum quod citra ἀντιτυπίαν cedat gingiuarum caro, quia mollis: tum quod ſanguis omni acrimonia ſit exutus, quia frigidus, ideoq; eroſionis expers. Linguæ quoque collimitium non parum labis gingiuis impertitur: quod, licet ipſa delectetur, nonnunquam etiam dulce, quod habet in ſeipſa ſentiens, qui dulcis ſuccus pituitæ ſpecies eſt: vt Gal. 1. de ſympt. cauſſ. cap. 6.

opinatur: facile tamen extraneo humore impleatur, iuxta eundem ibidem c. 4. Primi duo linguæ musculi recti & impense crassi, qui ex media & superiori ossis hyoidis sede principiũ ducunt, & protensi secundum linguæ longitudinem, ipsius centro inseruntur, non solum carnei, sed etiam spongiosi sunt: vnde humores πλεονεκτικῶς imbibũt. Membrana etiam linguam vestiens eius tunicæ soboles æstimatur, quæ vniuersum oris fornicem amicit: hæc continua est cum interna asperæ arteriæ & stomachi tunica: quod etiam Galen. 1. de sympt. causs. cap. 6. obseruauit. Qua ratione crudorum quoq; humorum ex ventriculo ad linguam κληροδωσία fit: vnde gingiuæ & laxiores, & humidiores, & Scorbutico sanguini affatim hauriendo aptiores redduntur.

Ruboris gingiuarum ἐπίκτησις ob adfluxum sanguinis fit. Partium corporis vel humorum nihil aliud est rubrum, præter carnem & sanguinem: vt Gal. lib. de tumo. præt. nat. c. 2. inquit: Sanguis colorem hunc mutuatur a parenchymate hepatis: caro vero ruborem induit, quia laxiori flaccidiorique constat substantia, & ex sanguine non magno negotio fit: si enim eatenus naturæ opera crassescat, vt constantem substantiam habeat, nec etiam sit fluidus, prima & recens concreta caro iam exsistet: quod non accidit in ossibus & membranis, quæ sanguine etiam rubro nutriuntur: vt enim sanguis os fiat, longo huic tempore, multo etiam opere ac mutatione est opus: vt videre est apud Galen. libro 1. de facult. natur. cap. 10. Quanquam non semper in Scorbuto cernatur ruber color gingiuarum: multo minus rufus, aut rutilus: sed plerumque xelampelinus, cuiusmodi in autumnalibus vitis frondibus: aut giluus, κιῤῥὸς Græcis, qua-

lis

lis lateri semicocto: sæpissime autẽ incarnatus. Valde dilutus enim est sanguis in Scorbuto: qui ad gingiuas peruenit, & in toto corpore redundat. Si autem melancholicus humor eo deportaretur, omnino nigrũ tumorem, si præsertim solus impermistusq; sit, faceret: quod aperte fatetur Gal. lib. de atra bile, cap. 4. ne κατακόρως priora θεωρήματα reuoluamus.

Supplendum a nobis sanguinis e naribus profluuium, ab aliis in Scorbuto expunctum, licet frequentissime accidat. Hoc de lienibus magnis adnotarunt Hip. li. 2. Prorrh. & Cels. li. 2. c. 6. Historiam proponit Hip. 2. Epi. sect. 2. in Aristæi vxoris fratre: ἔπ δὲ ὁ πυρετὸς εἶχεν, ἦν δὲ ὑπόσπληνος: αἱμοῤῥάγει ἐξ ἀριστεροῦ πυκνὰ, καὶ κατ' ὀλίγον, ἐκείθη. Et paulo post: Βίων ἅμα τε οὖρησ ὑπέρπολυ ἀνυπόστατον, καὶ αἷμα ἐξ ἀριστεροῦ. ἦν γὰρ ὁ σπλὴν κυρτὸς καὶ σκληρός: erat splẽ sursum in gibbum eleuatus, ac durus. Et sect. 3. κατ' ἴξιν, καὶ πλευρῶν ἔντασις ὀδυνώδης, καὶ ἐντάσιες ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, ἐκ ῥινῶν ῥήξιες. Et: τὸ γοῦν πρῶτον σπληνῶν ἐπάρσιες, ἢν μὴ ἐς ἄρθρα τελευτήσῃ, αἱμοῤῥαγίη γί. Et in hist. Scopi: καὶ σπλὴν ἐπηρμένος, καὶ κατάῤῥοπος ἐγένετο· δεκάτῃ αἷμα ἐξ ἀριστεροῦ ὑδαρὲς ὀλίγον ἦλθεν· & splen eleuatus, & deorsum vergens factus est: decima sanguis ex sinistra nare aquosus paucus venit. Ex hisce patet, inconsulto αἱματεκχυσίαν per nasum e tribu signorum Scorbuti explosam. Naturæ cõsueta est ista superfluorum euacuatio per profluentem e naribus sanguinem in certis periodis: teste Gal. 7. Meth. med. c. 11. Nec hic στενοπόρος aduersatur. Nam a quo ramo venæ exterioris iugularis soboles in cœlum & partes oris prosiliunt: ab eodem propagines non negligendæ in narium cauitatem, hancque obtensam tunicam inseruntur. Sanguinis itaque pars ad gingiuas remeantis ἀσκαρδαμυκτὶ biforibus narium tramitibus

inſtillare poteſt:quemadmodum nonnunquam cernimus tam fruſtilla eſculentorum, quam potum ἀϑρόως elidi hac ſolere in iis, qui vomunt, aut intempeſtiue inter mandendum bibendumque rident, loquuntur, ſternuunt: nō impediente oſſe ſquammeo & arcus in modum fornicato, quo tramites narium obduxit natura: in quos, qui prope naſum vtrinq; adiacent, canales intra capacitatem eius hiſcentes, in hominibus pene ad perpendiculum, in animātibus, quibus vtraque genarum productior eſt, πρὸς ὀξυγώνιον incidunt: fidem faciente nobis αὐτοψία. Hoc autem ſanguinis ſtillicidium non a craſſo melancholico ſanguine, ſed ſeroſo, qualem nuperrime ex Hippocrate in ſcopo adduximus, fieri, ſuperiori exercitatione contra Galenum, argumento 10. demonſtrauimus. Non iccirco iterum runcabimus ſpinas. Amplius in Scorbuto non dūtaxat ſiniſtra, ſed etiam dextra naris ſanguinem eiaculatur. Hippocraticum illud κατ' ἴξιν, ſiue κατ' εὐθυωρίαν in Scorbuto exſulat. Licet enim quidam fibrarum ſeu villorum rectitudinem inculcent: ἀμυσολογία tamen eſt: cum fibræ rectæ attrahant, tranſuerſę autem expellant. In ſplenis et am adfectibus nulla bilance a vena caua ita partitus eſt πολύχυλος humor, vt illum fibræ rectæ ſiniſtri modo lateris heluentur, non autem dextri. Quamuis etiam ſocialem amicitiam corporis, & partium continuationem atque συμπάθειαν nonnulli in ὀχλαγώγιον producant: pedum tamen ſtrepitu e ſcena explodentur: cum a liene nulla vena in ſiniſtrū potius, quam dextrum latus traſplantetur: imo ſentina Scorbutici ἀμελγεβαθὺς in vena caua delitеſcat, quæ tum dextræ, quam ſiniſtræ parti communis eſt. Quin illud κατ' ἴξιν naturæ ſæpius ἀξιώπιστον & adeo obfuſcatum eſt:

vt

vt nihil ἀξιομνημόνευτον de situs partium διακόσμῳ enuntiare possimus. Id fatetur Galen. libr. 6. Epidem. com. 2. sentent. 14. ἐπὶ τινων μὲν οὐδὲ δυνατὸν γνῶναι τὸ κατ' ἴξιν, οἷον ὅτι κιρσοὶ μανίαν ἰάσαντο, κατ' ἴξιν γινομένης τῆς ἀποστάσεως. οὐ γὰρ ἔστι διακρῖναι πότερον ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τοῦ ἐγκεφάλου τῆς διαθέσεως γινομένης ἐμάνησαν, ἢ ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. ὥσπερ οὐδ' ἂν βηττόντων χρονίως ἄνευ πλευρᾶς ἀλγήματος ἀπόστασις εἰς ὄρχιν γένηται, καίτοι τάχα κἀπὶ τούτων διαφυλάττεται τὸ κατ' ἴξιν. εἰ καὶ μὴ γινώσκομεν ἡμεῖς βεβαίως ὁπότερον μέρος τοῦ πνεύμονος, ἢ τοῦ ἐγκεφάλου πέπονθε. ἀλλὰ καὶ μελαγχολίαν αἱμοῤῥοῒς ἰάσατο πολλάκις, οὐδ' ἐνταῦθα γινωσκόντων ἡμῶν τὸ κατ' ἴξιν. ὅτι δὲ καὶ διὰ μήτρας αἵματος κένωσις δαψιλὴς πολλὰ τῶν νοσημάτων ἰᾶται, πρόδηλον, ἀλλ' οὐδ' ἐνταῦθα δυνατὸν γνῶναι πότερον διὰ τῶν τῆς δεξιᾶς μήτρας φλεβῶν ἡ ἔκκρισις, ἢ διὰ τῶν τῆς ἀριστερᾶς, ἢ δὲ ἀμφοτέρων ἐγένετο. ταύτῃ μὲν οὖν δυσδιάγνωστον ἢ ἄγνωστον ἔχει τὸ κατ' ἴξιν. Quæ verba scitu dignissima sic Latio donantur. In nonnullis plane neque an e regione facta sint, dignosci potest: vt quod varices e regione facto abscessu furorem curauerint. Neq; enim perspicere licet, vtrum in dextris cerebri partibus, an in sinistris adfectu oborto in furorem acti fuerint: quemadmodum neq; si diutius tussientibus sine costarum dolore abscessus in testiculum fiat. Atqui forsan & in his loci rectitudo seruatur, etsi vtra pulmonis aut cerebri pars adfecta sit haud certo sciamus. Quin & atram bilem sanguiflua, quę dicitur, adfectio plerunque sanare potest, neq; tunc nobis loci passi rectitudinem cognoscentibus. Sanguinis quoque ex vtero copiosum profluuium multos curare morbos omnibus in aperto est: sed neque hic, an dextri vteri venis, an ex sinistri, an ex vtroq; excretio facta sit, agnoscere possumus. In his itaque adfectibus cognitu difficilis est,

aut omnino ignota languẽtis membri rectitudo. De quo philosophemate, vt arduo sane, ita in medicando vtili, si quis vberiorem desideret συζήτησιν, legat caput 38. partic. 4. in nostris Scholis Philosophicis de Vrinar. probationibus. Quam doctrinam si nonnulli suggillauerint, qui omne virus acerbitatis suæ in bonos euomunt, inque βασανιστήριον βαρυταρβέες detrudere conantur: nihil moramur. ἀνὴρ δὲ χρηστὸς, χρηστὸν οὐ μισεῖ πότε. Audiant Theognidem:

Τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὴ μὲν ἀπόκρισις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα:
τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη.

Illud præterea asterisco dignum occurrit, eiusmodi narium hæmorrhagiam in Scorbuti ἐπισημασίᾳ prauis excretionibus accenseri, neque cum decuria τῶν κρισίμων καὶ κρινόντων καταλοχίζεται. Nam isthæc neque subleuant, neque auerruncant morbos: cum non a natura coquente, sed excrementorum vbertate, maliciaque stimulata protrudantur: cum etiam infra modum subsistant, nec tantum, quantum e re erat, euacuant. Id Hippocrat. 2. Epidem. section. 1 indicat: αἱμοῤῥαγίαι λαῦροι, largæ, ἐκ ῥινῶν, ῥύονται πολλά. Exemplum Galen. in libro primo Hippocr. Epidem. comment. 3. sentent. 24. in historia Metonis adfert: οὗτος ὁ ἄῤῥωστος μαρτυρεῖ τῷ καθόλου λόγῳ τῷδε, αἱμοῤῥαγίαι λαῦροι ἐκ ῥινῶν ῥύονται τὰ πολλά. φαίνεται γοῦν ὑπὸ μόνης αἱμοῤῥαγίας κριθεὶς τε καὶ σωθεὶς, καίτοι γ᾽ οὐκ ἀκίνδυνα ἔχων σημεῖα. Contrariarum autem excretionum caussas παγκάλως describit Galen. in lib. 1. Hippocr. Prorrhetic. comment. 1. sentent. 1 his verbis: τῆς οὖν ἀπὸ τῶν ῥινῶν στάξεως οὔσης ἀεὶ κακοῦ σημείου, τελεωτάτη κακία δηλοῦται τοῦ νοσήματος, ἐὰν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν γίνηται. φαίνεται γὰρ ἐγκεχειρηκέναι μὲν ἡ φύσις ἀποῤῥίψασθαι τὸ κατὰ τὴν κεφαλὴν ἠθροισμένον πλῆθος, οὐδὲ δύνασθαι δέ. πρόδηλον δ᾽ ὅτι κάκιστόν

ἐστι τὸ γένος τῶν τοιούτων σημείων. καὶ γὰρ ὅσα φύματα, καὶ ἐξανθήματα πρὸς τὸ δέρμα ἐκ βάθους ἐξανθήσαντα παλινδρομῇ χαλεπώτατα πάντων ἐστί. καὶ οἱ ἀρξάμενοι μὲν ἱδρῶτες, εὐθέως δὲ παυσάμενοι, καὶ οὗτοι μοχθηροὶ, καὶ τὰ διαχωρήματα δ' ὁμοίως, ὅσα τε δι' αἱμορραγιῶν, ἢ μήτρας ἐπὶ γυναικῶν κενοῦται. πάντα γὰρ ταῦτα χείρω τῶν μηδ' ὅλως ἐπιφανέντων, ὅταν ἀρξάμενα παύσηται. ἐνίοτε γὰρ συμβαίνει πέττουσαν ἔτι τὰ λυποῦντα τὴν φύσιν, οὐδέπω τῆς ἀποκρίσεως αὐτῶν ἔχεσθαι. τῶν δ' ἀρξαμένων μὲν, εὐθέως δὲ παυσαμένων, ὥσπερ ὁρμή τις ἐμφαίνεται, τῆς φύσεως ἐκκρῖναι τὰ λυποῦντα σπευδούσης, καὶ οὕτως δι' ἀσθένειαν, μὴ δυναμένης δὲ προὔθετο κατεργάσασθαι.

Quod est. Cum itaque stillatio e naribus semper malum signum sit, absoluta morbi malitia significatur, si quarto fiat die. Videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam conata esse, vt expelleret, sed nequiuisse. Talium autem signorum genus deterrimum esse constat: nempe quæ vel tubercula, vel pustulæ, ex imo ad cutem enata recurrerunt, grauissima omnium exsistunt. Sudores quoque, qui cœperunt quidem, sed protinus cessauerũt, praui sunt: deiectiones item, & quæ per sanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterũ vacuantur. Omnia siquidem hæc deteriora his sunt, quæ nullo apparent pacto, si, vbi cœperint, cessent. Contingit enim interdum coquentem adhuc contristantia naturam, nondum ad horum expulsionem excitari. In illis vero, quæ cœperunt quidem, sed protinus desierunt, apparet veluti excitatio quædam, natura excernere, quæ molesta sunt, conante, atq; ita ob imbecillitatẽ, quod proposuerat, perficere nequeunt. Et rursus com. 2. sent. 47.

ἐπὶ τῶν νοσούντων, ἔνι καὶ τοῦτο τῶν καθόλου μοχθηρῶν ἐστὶ σημείων, ἀποκρίνεσθαι σμικρὰ, εἴθ' αἷμα διὰ μυκτήρων, εἴτε κάτω διὰ τῆς γαστρὸς, εἴτε δι' ἐμέτων ὁπουοῦν περίττωμα. ταυτὶ δὲ τοῦτο κἀπὶ τῶν

ἱδρώτων ἐστὶν, καὶ τῶν διὰ μήτρας ἐκκρινομένων. οὐδὲν γὰρ τῶν κρισίμων σμικρὸν ἐκκρίνεσθαι προσήκεν, ἀλλὰ πάντα τὰ οὕτω κενούμενα, δυοῖν θάτερον, ἢ μὴ στεγόμενα διὰ τὸ πλῆθος ἀποχεῖται τῶν πεπονθότων μορίων, ἢ τῆς φύσεως ἀσθένειαν ἐνδείκνυται, προαιρουμένης μὲν ἐκκρίναι τὰ περιττὰ, μὴ δυνηθείσης δέ: Excerni pauca in ægris vnum quoddam ex signis, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue per vomitus tale quippiam, quod superfluum sit, excernatur. Idē & in sudoribus est, & his, quæ per vterum excernuntur. Nihil etenim eorum, quæ decretoria exsistunt, exigue secerni conuenit. Sed, quæ ita vacuantur, omnia duorum alterū subeunt. Nam vel, quod non queāt tolerari ob copiam, ab adfectis effunduntur partibus: vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit.

Sanguinis itaq; stillicidium e naribus in Scorbuti principio ideo parum conducit: quia non κατακόρως exhaurit sarcinam morbificam: cum ἡ ἐπὶ τῆς κενώσεσιν ἴασις τῶν λυπούντων χυμῶν: vt Gal. 2. aphor. 17. loquitur: neque hic id adest, quod idem lib. 1. aphor. 2. flagitat, κενὰ τὰ ἄγγεια συμβαίνει γίνεσθαι κατὰ πάσας τὰς κενώσεις. Deinde etiam ideo nauci est: quia non est criticum. ἡ κρίσις, inquit Gal. 2. aphor. 13. γίγνεται τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ, καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν. Non autem ita ἀσκαρδαμυκτὶ ὡς πέπανσις humorum delinquentium fieri potest. ἐστὶ γὰρ, ait Aristot. 4. Meteor. cap. 3. ἡ φυμάτων, καὶ φλέγματος, καὶ τῶν τοιούτων πέπανσις, ἡ ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ θερμοῦ τοῦ ἐνόντος ὑγροῦ πέψις. Coctio itaque humorum desideratur. συμβαίνει γὰρ τοῦτο πάσχειν ἅπασιν, ὅταν κρατηθῇ ἡ ὕλη καὶ ἡ ὑγρότης. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ὁριζομένη ὑπὸ τῆς ἐν τῇ φύσει θερμότητος. Cum vero iam

materia

materia humorum coquendo & maturando absoluta est:(nam, ὅταν πεφθῇ, τετελείωταί τε καὶ γέγονε, perfectum & genitum est: quæ γένεσις a sapientiæ Professore nominatur κατὰ μέρος:) διὸ καὶ ὑγιείας σημεῖα τὰ τοιαῦτα, καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήσεις, καὶ ὅλως τὰ περιττώματα: καὶ λέγεται πεπέφθαι, ὅτι δηλοῖ κρατεῖν τὴν θερμότητα τὴν οἰκείαν τοῦ ὑγροῦ. Cruditas ergo & πολυτέλεια sanguinis tenuioris frigidiorisque ἀνυπομονήτου in Scorbuto naturam ad sui extrusionem citius vellicat: quam a calore natiuo eiusdē maturatio perfectioq; induci potest. Et, licet nonnunquam ob aquariolum exantlatum μεταποίησις aliqua appareat: nulli tamen iudicationi fidēdum, cum morbus absque signis concoctionis euanescit: vt Hippoc. lib. 2. Epid. sect. 3. inquit in historia Zoili: ὁπόσα ἀσήμως ἀφανίζεται, δύσκριτα. Et Gal. lib. 1. de diebus decretor. cap. 1. ait: τῶν νοσημάτων αἱ λύσεις, ὅσαι μὴ κατὰ βραχὺ μειωθέντων, ἀλλ' ἐξαίφνης παυσαμένων γίνονται, δέονται πάντως ἵνα ὦσι πισταί, δαψιλοῦς τινὸς ἐκκρίσεως, ἢ ἀποστάσεως οὐκ ἀφανοῦς, ὡς ὅσα γε χωρὶς τούτων ἐρραστώνησεν ὑποτροπιάζειν φιλεῖ: qui morbi citra hæc quiescunt ac finiuntur, in iis recidiua timenda est. Et paulo post: χρὴ τοίνυν εἰ μέλλοι βεβαίως παύεσθαι, μέγα τι καὶ ἰσχυρὸν νόσημα, προηγεῖσθαι τῆς λύσεως αὐτοῦ, τὰ πρὸς Ἱπποκράτους ὀνομαζόμενα λυτήρια σημεῖα. τοῦτο μὲν ἱδρῶτας χρηστοὺς δι' ὅλου τοῦ σώματος γινομένους, ἢ οὔρων πλῆθος, ἢ διαχωρημάτων, ἢ ἐμέτων. τοῦτο δ' αἱμορραγίαν ἐκ ῥινῶν, ἢ τινὰ ἄλλην αἵματος κένωσιν, οἷον ἐξ αἱμορροΐδων ἢ ὑστερῶν. τοῦτο δὲ εἰς τοὺς ὑπὸ τῆς ὠσὶν ἀδένας, ἢ εἰς ἄλλό τι τῶν ἀκύρων μορίων, ἢ ἄρθρων ἀπόσκημμα. ὅσοις δὲ μηδενὸς τῶν τοιούτων σημείων ἐπιφανέντος ἔδοξε πεπαῦσθαι τὸ νόσημα περὶ τούτων ὁ πάντα θαυμαστὸς Ἱπποκράτης, ἐνὶ μὲν καθόλου λόγῳ, τὸν δὲ τοῦ τρόπον ἀπεφήνατο: τὰ ἀσήμως ῥαστωνήσαντα φιλυπόστροφα. Itaque morbi cuiusdam magni & vehemētis solutionem firmam, signa,

quæ ſolutoria vocat Hippocrates, præcedere oportet: partim ſudores bonos ex toto corpore manātes, vel vrinarum, vel alui recrementorum copiam, vel vomituū: partim ſanguinis ex naribus profuſionem, vel aliam quandam eius euacuationem, veluti ex ani venis fluorem, quas hæmorrhoidas appellant, vel ex vtero: partim in glandulis, quæ auribus ſubiacent, abſceſſus, aut in alia quadam ignobili particula, aut in articulis. Ceterum, quibus nullo huiuſmodi ſigno apparente morbus finiiſſe videtur, de his Hippocrates vndequaque admirabilis, communi quidem ſermone in aphoriſmis hunc in modum pronuntiat: quæ ſine ſignis finita ſunt fere reuertuntur. Idem etiam Hippocrat. 2. aphoriſm. 27. ſentit: τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. His, quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιουτέων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τοι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

Id Galen. lib. 3. Epidem. comment. 1. ſenten. 8. hoc exemplo declarat: τὸ γὰρ ἅμα πυρετῷ διακαεῖ, καὶ χυμὸν ἔχοντι δηλονότι δακνώδη καὶ δριμὺν, ἐξαίφνης, σύμπτωμα ἔχειν ὑγρᾶς καὶ ψυχρᾶς καὶ ἀδήκτοις ἑπόμενον χυμοῖς, ἐνδεικτικόν ἐστι οὐ τοῦ πεπαῦσθαι τὴν ἔμπροσθεν διάθεσιν, οὐδενός γε κρισίμου γεγονότος, ἀλλὰ τοῦ νεκροῦσθαί τε καὶ σβέννυσθαι τὴν ἔμφυλον θερμασίαν. Siquidem vna cum ardente febre, & ſuccum habente mordacem, acremque adiunctum, ſi quis ſymptomate teneatur humidos & frigidos humores atque non mordaces comitante, non eſſe profligatum incommodum oſtendit, cum nihil acciderit decretorii, ſed ſuffocari & exſtingui natiuum calo-

calorem. εἴρηται μὲν οὖν ἐπὶ πλέον περὶ τούτων ἐν ἑτέροις. ἀλλὰ καὶ νῦν ἐν κεφαλαίοις ἅπαξ ἀρκείτω λελέχθαι περὶ τῶν ἀλόγως ἐπὶ χαλεποῖς νοσήμασιν ἀπυρέτων γινομένων. ὅσῳ γὰρ ἂν ὀλεθριωτέρων προηγησαμένων σημείων ἄμεινον ἔχειν δόξωσι, τοσούτῳ τὴν νόσον ὀλεθριωτέραν ἔχουσιν. Nam quo habere, cum signa præcesserunt exitiosa, commodius videantur, hoc morbum habent perniciosiorem. Totius autem huius arduæ disquisitionis ἔνστασιν Galen. lib. 3. de diebus decretor. cap. 8. sic neruose decidit: κρίνουσι δ', inquit, ἧττον τῆς δ' ἡμέρας ἡ γ' τε καὶ ε', καίτοι παρεμπίπτουσι δι' οὐδὲν ἄλλο, ἢ ὅτι μετὰ τῶν παροξυσμῶν αἱ κρίσεις γίνονται. τοῦτο γὰρ δὴ καὶ αὐτὸ πρός τε τῆς ἐμπειρίας μαρτυρεῖται, καὶ τῷ λόγῳ σκοπουμένης, οὐκ ἄδηλος ἡ αἰτία. τὸ γὰρ τῆς ταραχῆς βίαιον ἀναγκάζει τὴν φύσιν ἀπολείβεσθαι τὰ λυποῦντα καὶ πρὸ τοῦ καιροῦ. δύναμις μὲν γὰρ ἐστὶ αὐτῇ τῶν ἀλλοτρίων ἐκκριτική, καθότι δέδεικται πρότερον ἐν τοῖς τῶν φυσικῶν δυνάμεων ὑπομνήμασιν. ὁ καιρὸς δὲ τῆς ἐνεργείας ἐπὶ τῷ τέλει τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεώς ἐστι. τότε γὰρ ἐνεργεῖν ἐδείκνυτο κατὰ φύσιν ἁπάντων ἐπιτελουμένων, ὅταν ἐκείνη παύηται, ἀλλ' ἀναγκάζεται ποτὲ πρὸ τῆς τελείας πέψεως ἀπολείβεσθαι τὰ λυποῦντα, ὥσπερ ἐνίοτε συμπεπληρωμένης ἤδη τῆς πέψεως, ἔτι μέλλει καὶ βραδύνει δι' ἀρρωστίαν. ἄμφω δ' ἐστὶν αὐτὰ θεάσασθαι σαφῶς ἐπὶ τῆς γαστρός. ἐρεθισθεῖσα τε γὰρ, οὐχ ὑπομένει τὸν τῆς πέψεως χρόνον· ἀλλ' εὐθὺς ἐκκρίνει σὺν τῷ λυποῦντι καὶ τὸ χρηστὸν, ἤδη τε πεπεμμένον αὐτάρκως, ἐνίοτε βραδύνει τε καὶ μέλλει τὸ περιττὸν ἐκκρῖναι δι' ἀρρωστίαν. ἐν δὲ γε τῷ κατὰ φύσιν ἔχειν, ὁ τῆς παντελοῦς πέψεως καιρὸς, ὅρος ἐστὶν αὐτῇ τῆς τῶν περιττωμάτων ἀποκρίσεως, ὃν οὔτε προελάμβανεν, οὔτ' ἔμελλεν ἔτι παρόντος. ἀλλ' ὡς ἐπὶ τῆς γαστρὸς, οὕτω καθ' ὅλον ἐδείκνυτο τὸ σῶμα δύναμις ὑπάρχειν, ἐν ἑκάστῳ τῶν μορίων ἀποκριτικὴ τῶν ἀλλοτρίων, ἥ τις οἶμαι καὶ τὰς κρίσεις ἐν ταῖς νούσοις ἀπεργάζεται. καὶ διὰ τοῦτο ἄρισται γίνονται κρίσεις, ὅταν ἤδη πεπεμμένα τὰ κατὰ τὸ ζῶον

ὑπάρχει πάντα. τὸ δὲ προεκρήγνυσθαι, καὶ γὰρ οὕτως ὀνομάζειν εἴωθεν Ἱπποκράτης, αὐτὸ μοχθηρὸν ἐστίν. ὁμοῦ γὰρ τοῖς λυποῦσιν ἐκκρίνεται τὰ χρηστά, καὶ γίνεται τοῦτο τῆς φύσεως ἐρεθισθείσης, ἤτοι πρὸς τινὸς τῶν ἔξωθεν, ἢ καὶ τῶν ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐμπεριεχομένων. Tertius vero & quintus, licet alia nulla ratione, quam quod iudicia cum accessionibus fiunt, coincidant, non minus quarto die decernunt: quoniam hoc ipsum & ab experientia testimonium habet: & ratione contemplantibus non obscura eius caussa est. Nam perturbationis violentia naturam ea, quæ molestant, etiam ante tempus propulsare compellit: quippe virtus ipsa est alienorum expultrix: quemadmodum in opere de facultatibus naturalibus antea demonstratum est. Tempus autem actionis post finē alteratariæ facultatis est: tunc enim functionem obire, omnibus secundum naturam absolutis, ostēdebatur, cum illa ab actione destiterit. Verum ante perfectam coctionem interim, quæ offendunt, amoliri cogitur, vt interdum concoctione iam absoluta moratur adhuc, & lente propter imbecillitatem munus subit. Vtrumque autem in ventriculo clare licet contemplari. Instigatus enim concoctionis tempus non exspectat, sed protinus etiam idoneum cum eo, quod molestat, excernit: &, vbi iam satis concoxerit, interdū lente ac cunctanter superfluum imbecillitatis vitio expellit. At cum naturali habitu fruitur, perfectæ concoctionis tempus, ipsius recremētorum expulsionis terminus est: quem neq; præuertit, neque præsentem adhuc moretur. Ceterum, vt in ventriculo, sic in singulis totius corporis partibus alienorum expultrix facultas esse ostendebatur: quæ meo sane iudicio & crises in morbis efficit. Atque propterea optimæ fiunt, cum iam omnia in ani-

mantis corpore concocta fuerint. Præuenire autem crisim, quod Hippocrates προεκρήγνυσθαι, quasi dicas, prærumpere, appellare consueuit, malum est. Nam idonea simul cum iis, quæ lædunt, excernuntur: fitq; hoc natura incitata vel ab exteriore quodam, vel ab iis, quę in ipso corpore detinentur. Et tantum de hoc capite ab aliis obliterato: in quo potius ex Hippocratis & Galeni æstimatione, quam nostro cerebro æqua statera pependimus atque examinauimus veterum dignitatem.

Eadem est saliuationis παρεμβολὴ, quæ vt indigena Scorbuto aduentanti est, ita, cum eam alii illuni inuoluerint nocti, a nobis e tenebris Cimmeriis in solem meridianum reuocanda. Eam quartano typo, aliisque atrabilariis morbis superuenire, testatur Gal. lib. de typis, cap. 4. & libr. de plenitud. cap. 11. Veteres σίελον, σίαλον & πτύελον indifferenter vsurparũt, adserente Gal. lib. 10. de simpl. medicam. facult. cap. de saliua: sicut etiam σιελισμὸν, σιαλισμὸν & πτυελισμὸν, auctore Æginet. lib. 3. cap. 37. Id etiam ex lib. 1. Prorrhetic. Hipp. comm. 1. sent. 12. apparet: vbi scribit: πτυελισμὸς & propter os ventris ex humiditate imbecillum, & propter cerebrum humiditatibus refertũ oritur. Quod σιαλισμῷ proprie conuenit. πτύελος enim & πτύσμα recte de eo dicuntur, quod cum tussi eiicitur: siue iam neque sanguini, neque bili pallidæ, vel nigræ commistum sit, quod πτύελον, sputũ vocamus: siue iam sanguineum, ac biliosum, atq; spumosum, quod πτύσμα, sputamen dicimus: vt Gal. lib. 1. de crisib. cap. 5. docet. σιαλισμὸς itaque citra omnem hæsitationem est saliuatio. σίαλον Galeno 3. de loc. adfect. cap. 7. est pituitę species: quæ quotidie screando educitur: &, cum sani degimus, nulla qualitate infecta, sed perinde quasi a-

quosa gustui obfertur. Simili repectu etiam 3. de facul. nat. c.7. eam appellat pituitam oris. Saliua autem generatur in carnibus glandulosis circa radicem linguæ, adstipulante Gentili super Auic. lib.1. fen 1. doct. 4. c.2. quę glandulę & rariores sunt & magis spongiosæ substantiæ: in quas tum arteriæ tum venæ sensibiles perueniũt: vt Gal.14. meth. med. c.11. notat. Saliuæ porro vsus est: vt os, palatum, faucesq; irriget, ne ab interno æstu exsiccentur: sicq; munus respirationis, vocis & deglutitionis vacillet. Imo Galen. 5. aph. 39. scribit: saliuam in lingua similem naturæ partis humorem exsistere. Atq; hic vsus est verus: cum naturæ legibus consona administrantur omnia. Aduersę autem valetudinis nota est, si saliua plenum est os. Cels. lib.2.c.2. Et Xenoph. lib.1. Pædiæ Cyri refert: maximũ ignominiæ argumẽtum fuisse apud Persas, quod homines frequenter exspuerent: quasi indicaretur eos aut plus cibi, quã par esset, sumere: aut nullis corporis exercitationibus vti. Copiosior saliua, teste Galen. 2. de tempera. c.6. & lib.1. Prorrhet. Hipp. com.1. sentent. 12. fit, a cerebro frigidiore & humidiore: aut propter os ventris ex humiditate imbecillũ. In Scorbuto σιαλισμὸς oritur ab ore ventriculi languidiore: dum serosi humoris sarcina, quæ cum crassis cibis nõ misceri potuit, hac illac peruagatur in ventriculo, & facilime ori communicatur. Nam interna ventriculi & stomachi tunica ei continua est, quæ totam oris circumferentiam interiorem, linguamque complectens, & fauces, & primam asperæ arteriæ partem, quam Larynga Græci vocant, & totam asperam arteriam & gulam ambit: vt Galen. lib. de odorat. instru. cap.2. & com.3. in Prognost. sentent. 30. & 4. de vsu part. cap.8. scribit. Exemplum proponit idem 3. de

loc.

loc. adfect. cap. 7. ex Diocle, in melancholia & flatuosa, hypochondriacaq; adfectione: qui morbus a ventriculo oritur: quem sumto cibo, maxime coctu difficili & caustico, sputum humidum, idemq; multum comitatur. Tenuis autem & liquida est Scorbuticorum saliua, quia cruda: quod Gal. 6. Epidem. com. 2. sent. 17. de sputis innuit: & ex cruda tenuique materia, nempe potulenta, non autem lutulenta melancholiæ fæce generatur. Et Hippocr. lib. 2. Epidem. section. 1. vocat πτύελα ὀδυνώδη, tenuia & cruda: quæ οὐ ταχέως καὶ εὐπετέως cum dolore aliquo educũtur. Nullum porro aptius vocabulum apud auctores huic saliuæ in Scorbuto inuenire est, quam λάπη: quo Hippocrates passim in adfinibus adfectibus vtitur: vt 2. Epid. sect. 3. in historia Scopi: καὶ πρὶν μὲν οἰνοποτέειν ἤρξατο, μικροῦ λάπῃ ὁμοίη. Et lib. 2. περὶ νούσων: ἢν ὕδωρ ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ γένηται, ὀδύνη ὀξείη ἴσχει διὰ τοῦ βρέγματος καὶ τῶν κροτάφων ἄλλοτε ἄλλῃ· καὶ ἐμέει σίαλα καὶ λάπην, ἐνίοτε δὲ καὶ σιτία. Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per sinciput ac tempora emergit, alias alio loco: & vomit saliuam ac pituitam, quandoque etiam cibos. Et ibid. ἢν ἐρυσίπελας ἐν τῷ πνεύμονι γένηται, βὴξ ἔχει καὶ τὸ σίαλον ἀποπτύει πολὺ καὶ ὑγρὸν οἷον ἀπὸ βρόγχου· ὅτι ἢ οὐχ αἱματῶδες· καὶ ἐμέει λάπην, καὶ οἷον ὄξος: & vomit pituitam, ac velut acetum. Et rursus ἐν τῇ νόσῳ λεγομένῃ ἀνάντῃ· ἀνέχεται ἄσιτος, οὐδὲ βεβρωκώς, ἀλλ' ὅταν μὲν ἄσιτος ᾖ, τὰ σπλάγχνα μύζει, καὶ καρδιώσσει· καὶ ἐμέει ἄλλοτε ἀλλοῖα καὶ χολὴν, καὶ σίαλα, καὶ λάπην, καὶ δριμύ.

Et deinceps ἐν τῇ μελαίνῃ νούσῳ· μέλαιναν ἐμέει οἷον τρύγα, ὅτε μὲν αἱματῶδες, ὅτε δὲ οἶνον δεύτερον, ὅτε δὲ οἷον πολύπου θολόν, ὅτε δὲ δριμὺ οἷον ὄξος, ὅτε δὲ σίαλον καὶ λάπην, ὅτε δὲ χολὴν χλωρήν. Et ἐν τῷ περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, in peripneumonia vocat λάπην ὀξεῖαν, pituitam acidam.

Et paulo post ἐν φθίσει τρίτῃ: ἐνίοτε δὲ ὑπὸ τοῦ πνίγματος καὶ τῆς προθυμίης τοῦ βήσσειν, ἀθρόον ἤμεσε χολήν, ποτὲ δὲ λάπην. Amplius ἐν τοῖς παχέσι καλουμένοις νουσήμασι: ἐνίοτε δὲ ἐμέει λάπην ὀξεῖαν, ἐνίοτε δὲ ἁλμυρήν. Talis reuera pituitæ species tenuis, aquosa, alba & fatua, saliuationis scaturigo, λάπη Hippocrati dicta, in Scorbuti accessu eiicitur, ventriculo suppeditante ori tenuis serosique humoris commeatum, qui cibis crassioribus impermistus, eos adluit.

Faciei pallor cruditatis soboles est, & aquæ similis, neque obscurior illo, quem ὑποφακώδεες habent. Oritur autem color talis inde: quia iam serum municipatim membra adoritur, vt nec cutis exlex sit: cuius color æmulatur humores in cæco corporis stabulantes, maxime autem in hepatis & splenis adfectilantes, maxime autem in hepatis & splenis adfectibus. Qua de re supra demonstratione 14. Asiatice, citra tamen στενολεσχίας næuum, disseruimus.

Transsiliamus iam ad ἀνάβασιν siue ἐπίδοσιν Scorbuti: in qua insolentius hæc ἐπιγεννήματα sese produnt: tumor laxus & corruptio gingiuarum, quę fœdo manant tabo, cum colore faucium liuido: ἄτοπόν τι καὶ δυσῶδες & sputatur & respiratur: vnde carnes ad radices dentium consumtę, dentes non duntaxat nudi liuentesque conspiciuntur, sed quoque vacillant, fluuntque, & quandoque excidunt, laxatis, quibus hærebant, mortariolis & alueolis. In nonnullis interstit o dentium fex quædam adnascitur lenta, instar tartari. Ob horum combennonum satellitium Scorbutus concinne στομακάκη vocatur. Efflorescunt insuper crurum lituræ & maculæ, sanguinis leuiter diluti faciem repræsentantes, similes lentiginibus, & a morsu pulicum superstitibus, maiores tamen: quæ licet creberrime in crurum propylæo hospitentur, interdum

dum tamen etiam nō solum femorum gurgustium, sed vniuersi quoq; corporis exedram occupant: progressuque temporis pulsum & obscuriorem purpuræ vel violarum Martiarum colorem nanciscuntur. Quin & caro sub cute liuida, ac vt cera mollis tabescere videtur, atque digitorum impressioni velut œdema cedit. Hisce histrionibus in theatro lenocinantibus tragica Scorbuti catastrophe indubitanter exspectanda: licet cophinus aliorum symptomatum non adeo in propatulo sit.

Tumor in gingiuis ex eodem aquoso sanguine, ex quo ὀδαξισμὸς, scaturit: qui iam liberalius per venæ exterioris iugularis ramos ad gingiuas defertur: quæ ab humore nimium saturatæ, in tumorem attolluntur indies maiorem: qui laxus est, tum ob carnē gingiuarum humidiorem laxioremque natura, quæ ceræ instar extendi potest, atque ab exuberante madore redditur flaccescens, rara illarum aereaq; substantia in humidiorem degenerante: tum ob commeatus Scorbutici indolem: qui nequaquam est de melancholiæ prosapia: quæ tumorem potius durum enititur, qui secundum superficiem in se non cedit, sed ἀντίτυπος est: qualem scirrhum exquisitū deprehendimus, iuxta proretam Galen. lib. de tum. præt. natur. cap. 9. sed verius ad naturam pituitæ accedit tenuis: quam ob caussam & Aristotelem φλέγμα, τὸ ὑδατῶδες αἵματος ad ἰχῶρα retulisse, nuper ostendimus. Eiusmodi pituitæ tenui constitutione Gal. modo citato loco, œdematis originem acceptam fert. Hoc de illegitimo intelligunt medici: quod, licet ab aqua quandoq; tenui excitetur, ideo tamen œdematis appellationem sortitur: quia mollis, rarus sit & laxus talis tumor atque indolens: quibus cancellis tota œde-

matum prouincia includitur a Gal. 14. method. me-dend. cap. 4. 3. de sympto. causs. cap. 2. & lib. de differ. morb. cap. 9. Eiusdem opinionis est Paracels. lib. de apostematib. cap. 48. qui inquit: a sale resoluto producitur vndimia, siue carnis sal hoc sit, aut alterius, & in eo loco centrum ponit, in quo situm est. Quoduis sal resolutum, acuitate carens, apostema generat absque lepra. Vndimia est apostema, quod ex compressione fossulam remanentem concipit, vt in hydropisi fieri solet: estque morbus absque dolore prius, tandem ad putrefactionem peruenit, incipitque dolor. Nec alio respectu tumor externus palpebræ oculi, laxus indolensque, superciliorum motum inhibens, ac colorem genuinum mutans, œdema oculi indigitatur a Chirurgis: quamuis ab aquosa fluxione vt plurimum, rarius a flatulento humore generetur. Quæ autem Aetius tetrab. 2. sermon. 3. ca. 80. de calculo palpebrarum, albis ac asperis varis, tofis similibus: Scaliger item Exercitat. 108. section. 3. Subtilitat. de lapillo oræ palpebræ, vbi hordeolorum collectiones sunt, tritico figura, colore, magnitudine pari, duritia superiore: Philipp. insuper Ingrassias tract. 1. cap. 1. de tumor. præt. natur. de cuiusdam Neapolitani magno & nucis iuglandis instar moro in superiori palpebra, scribunt: alius indolis sunt a crassiore succo, qui longo temporis spatio in tofum coiuit, sæpeque aquæ commistus est: velut Pareus lib. 24. de monstris & prodigiis, cap. 19. in abscessu aquoso genu calculum reperit album, durum & leuem, amygdalæ crassitie. Eiusdem farinæ est ὄγκος οἰδηματώδης: qui ex crudiore sanguine, aut iecoris, aut assumtorum labe gignitur, & ad nutriendas partes elapsus, cum in earum substantiam conuerti nequeat, cumulatus

latus ipsas distendit. Quo & referuntur ὄγκοι ὑδατώδεις: quibus vel aqua citrina, vel sanguinis serum inest.

Similiter & in Scorbuto laxus est gingiuarum tumor: quia ab aquoso crudoque sanguine, qui pituitæ tenuis olet indolem, oritur. Quia autem hic sanguis coctionis vim aliquam est expertus: nonnihil rubicundior visitur tumoris color, quā œdematis: in quo nec calor, nec rubor, sed vel naturalis, vel albus duntaxat color deprehenditur.

In gingiuarum corruptione ὁμοκλῶ putredinem auctores obtrudunt, monstrum vel Proteo chamæleonteve ad quæuis momenta mutabilius. Hic plurimi funiculos ex arena nectunt: qui putredinem naturalem minus mente adsequuntur, quam Sphingis Thebanos protelantis ænigmata. Sapientum Dictator Aristotel. 4. Meteorol. cap. 1. cuiusque mixti, & animati & inanimati τὰ πάθη enotat: quatenus mixtum est. Horum duo inaugurat vniuersalia genera: prius ἁπλῶ γένεσιν, cum mixtum totum simpliciter fit: posterius σῆψιν, cum mixtum totum simpliciter corrumpitur. Hæc illi opponitur tanquam μάλιστα κοινὸν ἐναντίον. Quemadmodum enim generatio simplex est ὁρισμὸς καὶ σύμφυσις παθητικῶν δυνάμεων, humidi scilicet cum sicco, ὑπὸ τοῦ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ· ἐκ τούτων γὰρ ἐγίνετο καὶ ὡρίσθη τῷ ὑγρῷ τὸ ξηρὸν, ἐργαζομένων τῶν ποιητικῶν, ὅταν κρατῇ, καὶ ὅταν ἔχωσι λόγον ἐκ τῆς ὑποκειμένης ὕλης ἑκάστῃ φύσει: ita putredo simplex contraria ex diametro ingreditur via: ὅταν κρατῇ τοῦ ὁρίζοντος τὸ ὁριζόμενον, διὰ τὸ περιέχον: vnde disiūctio humidi a sicco fit: dum ἐξιόντος τοῦ οἰκείου θερμοῦ (quomodo σῆψις est κοινὸν τὸ πάθος, ψυχρότητός τε οἰκείας, καὶ θερμότητος ἀλλοτρίας: αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος:) συνεξατμίζει κατὰ φύσιν ὑγρὸν:

exſulat enim nunc ὁ ὁρίζων, qui τὸ ὁριζόμενον capiſtrare fiſcellis poſſit: διὰ τοῦτο ὑγρὰ πρῶτον, εἶτα ξηρότερα γίνεται τὰ σηπόμενα πάντα: καὶ τέλος γῆ, καὶ κόπρος. Quo ſenſu Geneſ. cap. 3. Ioua Adamum alloquitur: cum vultus tui ſudore victum tolerabis, donec redeas in humum, ex qua ortus es: nam puluis es, & in puluerem redibis. Mixtum itaque, vt mixtum, ſi κατὰ φύσιν, ſecundum natiuam mixti aptitudinem, licet natura euertatur, (ſic enim Pompanatius & Buccaferrea, νουνεχίᾳ præditi ſolertiori, quam Vgo, Albertus & Vicomercatus Ariſtotelem interpretantur:) non autem τῇ βίᾳ corrumpatur, per putrefactionem deſinit eſſe mixtum: nam ad hanc omne mixtum δύναμιν inſitam ſecum gerit. Animatum autem corpus, antequam vt miſtum cotrumpatur, ineuitabiliter prius vt animal corrumpitur. Ideoq; πᾶσα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν φθορὰ εἰς σῆψιν ὁδὸς ἐστὶν: οἷον γῆρας, καὶ αὔανσις: quæ corruptiones ſunt animatorum, quatenus animata ſunt. Hæc eſt vniuerſalis mixtorum corruptio: quæ mixtis, vt mixtis, naturaliter accidit: καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῶν φύσει συνεστώτων τέλος σαπρότης εἴη, ἂν μή τι βίᾳ φθορῇ. At adfectio, propter quam gingiuę in Scorbuto a natura deſciſcunt, illis neque vt mixtis, neque ſecundum naturam contingit. Nam caro gingiuarum, ſi intra naturæ ſuæ cancellos degat, nequaquam eſt apta, vt iſto modo tandem corrumpatur. Violenta igitur cum ſit & præter indolem gingiuarum natiuam iſta corruptio, minime gentium erit putredo. Quin adeo ſontica eſt σῆψις naturalis: vt in animato corpore locum habere nequeat. σῆψις enim ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας θερμότητος. Hic autem calor, qui humido inhæret, ἔξαρχος eſt generationis: quo ſarto tecto, ſiccum humidumque intra præfixos limites coguntur: quo

exha-

exhalante, diſſolutio materiæ mixti, & generationis abolitio, imo internecio naturalis totius ſubiecti ſequitur. Sic non citius putreſcit vel totum, vel pars, vt in ſphacelo, quam vita aufugerit. Quin & aliȩ putredinis conditiones intento quaſi digito monſtrant, gingiuas non poſſe naturaliter in Scorbuto per σῆψιν corrumpi. Niſi intelligant iſti σῆψιν: quam ἰδίως, hoc eſt, peculiari & ſui cuiuſdam generis, diſcrepante a genuina σήψεως ſignificatione, adſerit Ariſtoteles. Sed tunc κατάχλυσιν & κατάχρησιν, ſpreta κατασρώσι, cōmittunt. Hȩc enim putredo qualicunque mixti a natura ſua diſceſſu definitur. οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως: iuxta quam ipſa etiam elementa teſtatur Philoſophus putreſcere: dum videlicet vel in æſtu, vel gelu excedunt, vel alio modo, inſultu inſolentis ſubſtantiæ, ſuam naturam exuunt: igne excepto, cuius temperamentum, vt materia, ἀδιαφθαρσίαν habet ἀδιαχώρισον: a quibus putrefactio vniuerſalis, diſſolutione humidi a ſicco, prorſus exſulat: cum per hāc elementa verius naturam ſuam recuperent. In hac putredine ἰδίως nuncupata res quidem temperamētum mutat: non tamen confeſtim aliam ſpeciem induit: ſicut in Scorbuto, etiamſi caro gingiuarū a genuina temperie deſciuerit, ſuperſtes tamen eſt ſpecies eadem carnis, vt & venarum humoris incilium, dentiumque. Putredo itaque ἰδίως accidit defectu quocunq; a propria natura: & eſt corruptio non ſecundum totum, ſed ſecundum partem qualitatis, illæſa ſubſtantia: & oritur, non diſſolutione mixti in ſua principia, ſed commiſtione peregrinæ qualitatis ac materiæ. Hæc corruptio κατὰ μέρος, quia res potius adoritur, quatenus iam ſua natura conſtant, nec per eam res,

ſimpliciter tota definit, Generationi κατὰ μέρος opponitur: in qua id, quod coquitur, non quidem priorem perdit formam, vt nobiliorem naturam lucretur: ſed tantum dicitur cauſſa quantitatis vel qualitatis concoqui, ſalua ſubiecti ſubſtantia. τοῖς δὲ εἰς ὑποκείμενόν τινὰ μορφὴν τὸ τέλος ἐστὶ τῆς πέψεως· ὅταν τοιονδὶ γένηται, καὶ τοσονδὶ τὸ ὑγρὸν, ἢ ὀπτώμενον, ἢ ἑψόμενον, ἢ πεπόμενον, ἢ ἄλλως πως θερμαινόμενον. τότε γὰρ χρήσιμόν ἐστι καὶ πεπέφθαι φάμεν. Quemadmodum igitur incõſiderate nomen generationis imputatur generationi ſecundum partem, cum ſolum alteratio ſit accidentium: ita putredo ſecundum partem impropriè putredo vocatur. Præterquam quod Galeno, cui patrocinantur, gladiatorie recalcitrant: qui 11. method. meden. cap. 8. inquit: σῆψις ἐστὶ μεταβολὴ τῆς ὅλης, totius, τοῦ σώματος, σηπομένης οὐσίας, ἐπὶ φθορὰν, ὑπὸ τῆς ἔξωθεν θερμασίας. Et licet ex his Labyrinthis ſe elabi poſſe opinentur: dum ſimplicem putredinem, naturalem, alteram vero ſecundum partem, morbidam nominant: incaſſum tamen hoc linum carminant: cum de hac differentia Philoſophus ne verbulum quidem effutiuerit: neque vlla ſubſit ratio: nam vtraque putredo generationi naturali contraponitur. Cum itaque inconcinne, equiſonum & veterinariorum more dicant, gingiuas in Scorbuto putreſcere: alias ἐργασίας ſiue ἔργα τῶν ποιητικῶν δυνάμεων, quæ pro naturis rerum ſubiectarum diſcrepantibus variant, & ſuum etiam locum in viuentium corporibus merentur, prout calor partium ardentior ac ſiccior, humidior ac mitior eſt, contemplemur: cui ex illis φθορὰ gingiuarum iuſte adſcribi poſſit. Tot vero ab Ariſtotele recenſentur opera: πέπανσις, ἕψησις, ὄπτησις, ἀπεψία, μόλυνσις, στάτευσις. Quia Scorbutus ſoboles eſt humoris frigidi, li-

quet,

quet, corruptionem istam ad tria posterius commemoratu reduci, quæ frigoris exsuperantia fiunt. At cũ πέψις in humano corpore ad ἕψησιν referatur, huius autẽ frustratio in Scorbuto sit: merito μόλυνσιν caussam coniunctam huius esse, supra probauimus ὅταν δὲ μὴ κρατῇ, κατὰ μέρος μὲν μόλυνσις καὶ ἀπεψία γίγνεται. Vbi ex sequentibus euidenter colligitur, Philosophiæ Mystem corruptioni κατὰ μέρος, quam modo μόλυνσιν & ἀπεψίαν nominauerat, statim, vsu mulionibus cognito, vocem σήψεως, at ἰδίως, accommodare. Nos itaq;, exploso verborum lenocinio, corruptionem gingiuarum proprie & vnice in Scorbuto a μολύνσει generari dicimus. Veluti enim in ἑψήσει a calore humido vincitur definiturq; humor indefinitus aqueus, reliqui succi contubernalis: vnde, si ad amussim elixetur res, humore proprio euadit siccior: ita in μολύνσει: quę ἑψήσει opponitur, tantum secundum partem coctio fit, dum calor humorẽ quidem aggreditur, sed eum totum definire nequit, i. in æqualem massam cõfundere, propter vbertatem cum humoris, tum frigoris: vnde aquę cõmeatus impermistus gingiuas adoritur, eisq; tamdiu negotium facessit, donec flaccescãt, coloremq; contrahant liuidum. Quia humor ille frigidior est, gingiuæ eum tanquam alimoniæ ineptum auersantur: qui turmatim influens gingiuas laxiores humidioresq; reddit: quæ propter exundantem madorẽ apparent visui & tactui flaccidæ atq; muscosæ: &, cũ enormis præsto est ὑγρότητος excessus, si quis eas cõtrectet manibus, ob mollitiem diffluunt cõtinuo: quemadmodũ mel non impense glutinosum dilabitur ex digitis, deinde instar aquæ etiã destillat, quod celerius etiamnum fit, cum nullo pacto digitis vel aliquãtisper adherescat aqua, sicuti mel, aliave glutinosa.

Diffluentes ita gingiuarum carnes, quia flaccescunt, atque a frigore humoris Scorbutici contrahuntur, amisso viuido flore coloris sui denigrantur quasi iam leto vicinæ: cum τὸ θερμὸν αἰτιώτατον τῆς ζωῆς, iuxta Galen. 1. aphor. 14. & contra teste eodem 2. de temperamen. cap. 2. mors sit naturalis caloris exstinctio: quo respectu idem etiam lib. de rigor. trem. palpit. cap. 6. dicit, calor innatus in morientibus, quia corrumpitur, ideo refrigerari dicitur, siue dissipetur, robore, quod continet ipsum, destituẽte: siue alimenti, a quo accendebatur, penuria. Et Aristot. lib. περὶ ζωῆς καὶ θανάτου, cap. 1. inquit: πᾶσι μὲν οὖν ἡ φθορὰ γίνεται διὰ θερμότητος ἔκλειψιν. Idem autem lib. de iuuent. & senectut. cap. 3. hæc scribit: ἀλλὰ μὴν πυρός γε δύο ὁρῶμεν φθοράς, μάρανσίν τε καὶ σβέσιν: καλοῦμεν δὲ τὴν μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ, μάρανσιν τὴν δ' ὑπὸ τῶν ἐναντίων, σβέσιν: τὴν μὲν γῆρας, τὴν δὲ βίαιον. Eodem modo animalis calor, qui eiusdem naturæ ac speciei exsistit, cuius externus hic nostras est ignis, (2. Meteor. cap. 2.) perire dicitur philosophis. Aristot. lib. de respir. cap. 4. & 6. Theophrast. lib. de igne. Marcescit paulatim ignis & calor: cum ipsemet suam depascitur materiam: qua absumta ipsum etiam imminui abolerique necesse est. Historias habemus in Ioan. de Vigo lib. 2. Chirurg. maior. cap. 6. qui vidit euenire mortificationem putrefactionemque membri in extremitatibus ægrotantium quorundam, qui diutius febre laborauerunt antiqua & satis acuta, tantum quod eorum corpora adeo arefacta & macrefacta remanserunt, quod extremitates tibiarum interdum, tempore præsertim hyemali, ad tantam infrigidationem, congelationem seu stupefactionem, defectu caloris naturalis redactæ sunt, vt membrum ipsum propria calliditate naturali priuatum esse videretur:

retur:& tamen licet membrum quo ad tactum videretur frigidissimum, patiens nihilominus multum conquerebatur de magno dolore, & loci incendio, ac si in ipso ignis naturalis adfuisset. Exstinguitur subito, quando a frigore, vel affatim adfuso humido, vel euentilatione prohibita, vel per vim & cófertim detracta materia ignis suffocatur: cum scilicet in suo principio nimium comprimitur, ne libere effluere possit: (hoc autem effluuium perpetuum est natura ignis, aliud semper atque aliud ex noua materia, iuxta Aristot. lib. de iuuent. & senect. cap. 3.) vel cum effluens nimium distrahitur, sicque a suo principio diuellitur. Cum itaque ab humore frigido, qui neq; qualitate neque copia calori respondet, (Aristot. lib. de longitud. & breuit. vitæ, cap 5. & sect. 3. proble. 5.) in Scorbuto calor gingiuarum restinguatur, corruptionem istam ad σβέσιν necessario referemus: cum iuxta eundem lib. de respirat. cap. 4 ἡ μάρανσις διὰ πλῆθος θερμότητος fiat. Non ideo mirum, liuorem, suffocationis caloris in Scorbuto satellité esse. Frigus enim, iuxta Cels. li. 1. cap. 9. facit summam cutem pallidam, aridam, duram, nigram. Et Gal. com. 1. in Prognost. Hippoc. sent. 10. scribit: venulæ nigrescunt & liuent, dum refrigerantur: refrigerantur vero, dum exstinguuntur. Historiam aptam adfert Pareus lib. 11. Chirurg. cap. 12. de tanta hyemis inclementia frigoris, vt plerisque in Nosocomio narium alas seu pinnas necrosis sine vlla putredine occuparit. Præcipue autem de Britone seruo, cui per fenestram noctu frigus subiens sic alterum crus occupauit, vt mox a somno excitatus, nec tibiis ingredi, nec pedibus se sustentare posset. Cum igitur crus stupefactum igni propius admouisset, plantam pedis sibi sine vllo doloris sensu

digiti craſſitudine inuſſit, iam enim plus, quam dimidiam cruris partem necroſis occupauerat. Quamuis autem cruris emortui amputatione Chirurgus reliquum corpus á morte imminente vindicare conatus ſit: gliſcente tamen in ſupernas partes necroſi, intra triduum mortuus eſt, cum laborioſis ructibus & ſingultibus, deliriis, frigido ſudore, & crebra ſyncope. Et Hieron. Mercurial. libr. 2. de morb. pueror. cap. 5. ſcribit, in Polonia regione gelidiſſima ſæpe fieri, vt aures, nares, manus, pedes præ ſummo frigore ita rigeant & torpeant, vt ſi vel tangantur manibus calidis, vel approximentur igni, ſtatim decidant veluti emortuæ. Hic liuor nonnunquam, cum in acie nouaculæ ægri nutant, totam faucium ſuperficiem occupat, ſerpente ferocia ad tunicam, quæ vniuerſum oris cœlum, linguam, fauces, larynga & gulam amicit: quod in ſpecie anginæ etiam videre eſt, quæ συνάγχη, internis τῆς φάρυγγος muſculis circa gutturis gulæque extrema, inflammatis nominatur: vt & in illa, quæ κυνάγχη, internis τῆς λάρυγγος muſculis patientibus. Quin etiam quandoque ſub lingua tota venulas quæque in inferiori labro conſpiciuntur, adeo liuor inquinat: vt ob diſtentionem a ſanguine frigido varices æmulentur.

Oris fœtor varias habet ſcaturigines. Nam quandoq; a pulmonibus oritur, vlcere inprimis & vomica laborantibus, Fernel. libr. 5. Patholog. cap. 11. Liebautius in ſchol. ad aphor. 44. lib. 7. Hippoc. & Foreſtus obſer. 51. lib. 15. & tunc aquæ poſt ac ante cibum fœtor adeſt, qui etiam compreſſo ore per nares deprehenditur: quandoque, (vt Schenckius lib. 3. obſ. 130. ex Platero adnotat:) ob nimiam pylori ſeu dextri orificii ventriculi, quod inteſtinorum eſt principium,

pium, laxitatem, crapula ciborumq; humidorum nimio vſu inductam, proficiſcitur: ſic enim excrementorum fœtor ab inteſtinis per ventriculũ ad superna vſq; exſpirans, ieiuno præſertim ventriculo, anhelitũ inficit, eſtq; malũ immedicabile: quãdoq; a corrupta gingiuarũ carne naſcitur. Qui duo poſteriores modi Scorbuto quadrant. Fœtorem putredinis cõbennonem nequaquam eſſe poſſe, hinc liquet: quod multa putreſcant abſq; putore: multa etiam puteant abſq; putredine. Quo in cẽſu habẽt Philoſophi omnia excrementa, quæ incocta ſunt, in quæ ſane calor naturalis operam ponere nequiuerit. Hinc quibus mortalibus impẽſius fit concoctio, eorum faſtidioſa ſunt excrementa. Nam indicio eſt, naturam ab vtilibus optime ſecernere cruda: quib. putor iſte eſt naturalis, perinde ac ambræ & moſcho gratiſſimus odor: vt & ſtercori illius Gazellæ, quæ Zibettũ facit: & auis Cinnami ab Herod. & Ariſtot. vocatæ. Eodem reſpectu Hippo. in Coac. prædict. πεειτλώσιας, quæ ἄνοδμοι ſunt, vituperat. Nam tanta hic delumbatio eſt caloris: vt partes inutiles ab vtilibus per πέψιν καὶ σύγκρισιν ſegregare nequeat: vnde recremẽta cum alimentis cõfuſa deiciuntur. Similiter & in morbis fœtor excrementorum a crudis nutrimenti reliquiis naſcitur, cum hę copioſiores ſunt, quã vt a calore natiuo ſuperari poſſint. Hinc Gal. par. 3. aphoriſ. 26. τὴν ἀπεψίαν ἡ δυσωδία τῶν διαχωρημάτων ἐνδείκνυται. Vnde etiam idem lib. de ſympt. differ. cap. 4. corruptelæ ciborum inſeparabile ſymptoma neceſſario eſſe in alui deiectionibus graueolentia ſcribit: quem imitatus Rhaſes dixit, fœtorem egeſtionum ſequi digeſtiuã debilem. Hic tamen νουνεχῶς excludimus fœtorem rei natiuum. Quis enim dicet, ſagapeni, aſſæ fœtidæ, aliorumque

ſuccum, nullis artibus a natura coqui potuiſſe? Sic & Caſtoreum, cùm ſit animalis pars, non ſine opificis iniuria, incoctum in animante admodum perfecta, indigitari poterit. Ita in Scorbuto fœtor anhelitus, tū a gingiuarum corruptione oritur: tum vero, quod, cum plerique aluo obturata laborent ob craſſorum alimentorum farraginem, magna vero ſit ventriculi inconcoctio, neque σύγκρισις nauci a frugi ad Augiæ ſtabulum, neque τελείωσις fieri poſſit: vnde crudi exorbitanteſque ſucci alimentis permiſti fœtorem ori propter vicinitatem communicant: qui tamen non tantum ſtomachum ſtomacho facit, vt foriolorum putor: cum hic nonnihil materiæ concoctæ & nondum prorſus corruptę coniunctum ſit. Hanc σύγκρισιν ceſpitantem etiam Gentil. ſuper Auicen. lib. 1. fen 1. doct. 4. cap. 2. agnouit, vbi inquit: fœtor oris malam diſtributionem indicat. Ariſtot. 8. hiſtor. animal. cap. 5. leonis tuburcinantis exemplo rem declarat. Scribit enim, leonem veſci quidē carne, ritu ceterorum ſilueſtrium ſerratorum, ſed cibo incontinenter admodum vti, multaque deuorare ſolida ſine vllo diſſectu, mox nihil triduo aut certe biduo edere: ferre enim inediam poteſt, vt qui iam ad multam ſatietatem repletus eſt. Idem cum parum bibat, raro excrementum emittit: tertio die, vel vtcunque accidit, egerit, idq; durum, aridum & ſimile, vt canis. Flatum etiam alui acerrimum emittit, & vrinam grauiter olentem: vnde fit, vt canes arbores odorentur: mingit enim crure eluto, vt canes, ad ſtipites. Fœdum quoq; odorē in cibo relinquit ex ſuo halitu: proſciſſo namque leone interiora grauiter olent. Vnde paret, confuſionem eſculentorum impeditam, cum ſolida ſine diſſectu deuoret, nec bibat, (ſic Solinus cap. 8. alter-

nis diebus potum, alternis cibum capiunt leones:ac frequenter, si concoctio non est insecuta, solitę cibationi superponunt diem:) non modo cruditates coagmentare, sed etiam discerniculum inutilium ab vtilibus excludere: cum pręsertim raro excernat, & quidem tantum arida: vnde tandem emergit competenter fœtor, laudabilibus etiam succis plerunq; excrementorum contignatione inquinatis. Sic Alexand. 1. proble. 29. hominum stercora pessime olere inquit, vtpote, qui, cum cibis variis & multis vtantur, male illos coquunt: sicut ex aduerso animalia siluestria fęces minus fœtentes edūt: tum quia simplici cibo vescuntur, tum quia multum exercentur. Quamobrem exsulet putor a putrefactione Galeni lib. 1. de crisib. cap. 11. & Auerrhois 21. Cantic. tex. *333*.

Oris cruentatio a sanguinis ichorosi in gingiuas inundatione absque tussi oritur, præsertim post frictionem. Non est αἱμοπτοὴ siue αἱμόπτωσις: licet sic videatur nominare Aret. libr. 2. de causs. & sign. acut. c. 2. Et vel hinc sole meridiano clarius est, sanguinem tenuem aqueumq; dominari in Scorbuto: nam huiuscemodi veluti dilutus exstillat, non autem fæculentus, niger atq; crassus. Nec similius corruptionis gingiuarum exemplum reperire est, quam si armum aut lumbulum vitulinum cella penuaria tepida, per vnum alterumve diem aquę frigidæ immergas. Nam non solum caro humidior & laxior euadet: vt leui digitorum cōpressioni citra diuulsionem cedat: sed etiam aqua colorem loturæ carnis cruentæ adfinem adipiscetur, cum putore: &, si comperendinet in madore caro, natiuum exuens florem, liuidior apparebit, & flaccescens. Quod si vel φυλοσκόφος aut cistellatrix in Scorbuto veritatis molortho examinauerit,

tolutim in nostram ibit sententiam. Sed quid cum
εὐτραπέλοις ac εὐστρωφοτάτοις fiet?

Aggere dentium ad radices vsq; eorum deperdi-
to, dentes nudari non est mirum. Pulli coloris ortus
ἔμφυλιος est & πρεινωμέτης: cuius tamen sæpe auctores
sunt sordes crassiusculę, quę desidi fricationi reluctā-
tur. Humor etiam frigidus, inuehēs liuorem, in den-
tes influit. Neq; hoc ἀλόγως. Dentium enim lapidea
substantia notatu dignos cuniculos obtinet, ad quos
si per foramina alias humorum acrium farrago ruat,
ocyssime dentes ad radicum extrema vsq; erodūtur,
vt quādoq; frustula prosiliant: quibus radicibus ner-
uuli quidam molles adplantantur, a tertio neruorum
cerebri coniugio propagati. (Gal. lib. de ossib. cap. 5.)
quorū beneficio plus dentes adfligunt, quam stimuli
infixi carni: hi siquidē semel firmati in membro quie-
scunt, cui ab initio infixi sunt: vti Gal. par. 3. aphor. 25.
scribit. Nemo igitur, nisi ab Empusa exagitetur, idem
priuilegium tenui sanguini Scorbutico denegabit.

Vacillant porro dentes in Scorbuto: quia gingiua-
rum carne, tanquam repagulo & fulcimēto semoto,
humor exorbitans τῶν φατνίων ἕδρεια occupat: quibus
nimio madore laxatis, & quasi medullosis redditis,
dentium compages soluitur: sicut eādem ob caussam
φυτουργία plāctarum putrefactionem experitur. Ita Eu-
stach. in lib. de dentib. c. vlt. recitat, obseruasse se nō
semel præsepiola tantam copiam gypseę materiæ co-
aceruasse, vt concauitate repleta dentes omnes pror-
sus a vinculis soluti, sensim foras expellerētur, ac tan-
dem sponte caderent. Neque difficulter hoc accidit.
Nā dentes non adnascuntur alueolis: quippe eruun-
tur, & sua sponte decidunt: componunturq; cum aliis
ossibus, clauorum in modum infixi, per γόμφωσιν συν-
αρθρῶ.

ἀρθρώσεως speciem: vt Gal. in præf. lib. de ossib. ait. Etsi vero nónulli opinentur, γόμφωσιν proprie ad σύμφωσιν accedere: secus tamen αὐτοψία, & Galeni locus adductus docet. Non enim alia ratione dentes præsepiolis mandibularũ infigũtur: quam cum per γόμφωσιν dicimus esse iuncta quædam ossa in carpo, postbrachiali, tarso, pedio, &c. sy- arthroses, enarthrosi & arthrodię similes, sola motuũ magnitudine ab ea differẽtes. Auerruncatur præterea a scorbuti frigorę dẽtium alimentũ: spiritus fatiscunt: desciscit a natura neruus in eos implantatus. Si porro lues luxuriose serpat, dẽtes titubantes excidunt, nõ sine vocis iactura. Quod aulædis & tubicinibus aliquot cõtigit, qui, quantumuis buccones, Tarantara cantillare nequiuerunt. Id vel maxime de incisoriis dentibus, qui τομικοὶ καὶ διχαστῆρες dicuntur, verũ est: hi latiore cõstant acie, ciboſq; obsipatos forpicis cultique instar per transuersum incidunt. Vnde hos ad comestionẽ atq; vna sermonis explicationẽ facere scribit Gal. de diff morb. ca. 8. Officium, quod in corpore gerunt, primariũ est, vt masticationi, quæ veluti rudimẽtum quoddam alimentorum coctioni pręmittitur, subseruiant: sed & ad vocẽ concinnius formandam conducunt: nam, quibus anteriores inprimis, excidere, inarticulate loqui ac veluti atypi aut blesi sibilare, seu potius stridere percipiuntur: vnde & tritum est poetis Græcis hemistichium: ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Tria ad sonum efficiendum concurrunt: primum, quod celeriter acriterque ictum dat: alterum, quod percutitur, sustinetque ictum: postremum, quod sit medium, in quo conflictus duorũ horum corporum cõmittitur: vnde sonus nõ inepte aer laceratus dicitur. Vox autem est sonus animantis: quemadmodũ os, in quo sunt dẽtes,

ἐμφαντικῶς Apuleius apol.1. vocat animi vestibulum, orationis ianuam, cogitationũ comitium. Cum vero dentium cadentium lacunæ acrem aeris collisionem efficere nequeant, neque sonus animantis acutus fieri potest. Hoc in silicerniis edentulis cernimus. Sic in celeberrima Elysiorum metropoli quidam edentulus a secundinis, vt fari posset, quod natura denegarat, arte id suppleuit: nam dentes affabre factos ori inserebat: quem Princeps, apud quem caussam orãs, dentes suos cum ita adornaret, hisce alloquutus est: Magister abstine: es enim absque dentibus mordax. Sic Alex. Benedict. in Procem. lib. 6. de curan. morb. & lib. 3. Anatom. cap. 22. refert, quosdam adalligasse filo aureo aut pectine eburneo, simulata dentium structura, ita vt cernentes fallant, & ita apte collocare, vt, cum comedendi hora fuerit, exemtiles habeant. Idem Montuus lib. 2. cap. 10. Anasc. morb. & Pareus lib. 22. cap. 3. affirmat: qui etiam dentes lineo filo alligat & deuincit, quemadmodum ab Hippocrate proditur. Et hoc ideo, vt non tantum oris deformitas in iis præsertim, qui cum Batalo Ephesio tibicine βαταλίζεσθαι, aut διασαλακωνίζειν solent, emendetur, sed etiam articulatę vocis formandæ, ciborumq; commanducationis defectus resarciatur.

Quibusdam αἱμωδίαν in Scorbuto euenire, animaduertit solertissimus Langius lib. 2. epistol. 13. Hoc symptoma dentibus gingiuisque frequenter accidit ab acidis acerbisque cibis. Caussam Gal. 2. de loc. adfect. cap. 2. proponit, adserens, stuporem a frigida dispositione oriri, non in neruis duntaxat, sed & in venis, arteriis, carnibus, membranis, tunicis & cute. Etenim stupor refrigeratio insignis est: idcirco corporibus ita dispositis & sensus & motus difficultatem indu-

inducit: quemadmodum completa refrigeratio & sensum & motũ omnino tollit. Item: Stupor ob refrigerationẽ fit, vt plane videre est in his, qui in hyeme per frigora proficiscuntur: atque in refrigerantibus quoque medicamentis: nam si extrinsecus immodice adhibeantur, particula ipsa stupida euadit: quæ deinde sensum quoque omnino amittit, si vehementissime refrigeretur, idque non solum a medicamento, sed etiam a circumfuso nobis aere. Dispositio autem hæc in omnibus quidem corporibus fieri potest: sed non in omnibus sensibiliter apparet: quippe quæ in his duntaxat apparet, quæ suos adfectus sentire, & pro voluntatis imperio moueri nata sunt. A quo contubernio cum dentes non excludantur, videmus, scorbuto αἱμωδίαν superuenire propter frigidum aqueumque humorem, qui per foramina in cauitates dentium ad radices vsq; eorundem conglobatim influit.

Nec titiuilitium hoc esse in Scorbuto, inde scimus: quod in dentibus augurium vitæ statuatur. Hoc Aristot. lib. 2. histor. animal. cap. de dentibus adfirmat: ὅσοι πλείους ἔχουσι μακροβιώτεροι, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ εἰσιν· οἱ δὲ ἐλάττους καὶ ἀνόδοντες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βραχιώτεροι. Et in problem. 10. quæst. 41. διὰ τί τῶν ἀνθρώπων οἱ ἀραιοὺς ἔχοντες τοὺς ὀδόντας, βραχύβιοι ὡς ἐπὶ τὸ πολύ· ἢ ὅτι σημεῖον τοῦ τὸ ὀστοῦν πυκνὸν εἶναι· ὡς ὁ ἐγκέφαλος ἀσθενὴς οὐκ εὐπνοῶν, ὥστε ὑγρὸς ὢν τὴν φύσιν, ταχὺ σήπεται· καὶ γὰρ τὰ ἄλλα μὴ κινούμενα καὶ ἀπαλμίζοντα, διὰ καὶ ἄνθρωπος τὴν κεφαλὴν δασύτατον, καὶ τὸ ἄρρεν τοῦ θήλεος μακροβιώτερον διὰ τὰς ῥαφάς. δεῖ δὲ ἰδεῖν καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Item sect. 34 quæst. 1 διὰ τί οἱ μανοὺς ἔχοντες τοὺς ὀδόντας οὐ μακρόβιοι, ἢ ὅτι τὰ μακρόβια πλείους ἔχουσιν, οἷον τὰ ἄρσενα τῶν θηλέων, ἄνδρες γυναικῶν, πρόβατα προβάτων, οἱ οὖν ἀραιοὶ ὀδόντες, ὥσπερ ἂν ἐλάττωνας ἔχωσιν

ὀδόντας ἐοίκασι. Cui etiam Plinius suffragatur: qui lib. 7. cap. 16. quibus, inquit, plures fuere dentes, longiora promitti spatia putant. Quemadmodum autem ex Hippoc. lib. de Carnib. primos dentes nasci a victu in vtero scribit: Columbus etiam libr. 1. Anat. cap. 10. ex demortuorum infantium in matris aluo gingiuis ex suis alueolis perexiguos dentes eruit. idem etiam in nuper natis & extractis ex vtero, atque etiam in abortibus septem & octo mensium explorauit: ita insigne robur naturæ illi nacti sunt, qui cum dentibus nascuntur, vt de Arsamene Persa Antigonus de mirab. narrat, & de M. Curio & C Papyrio, item de Valeria Suessam Pumetiam deportata, Plin. lib. 7. ca. 16. & Solinus cap. 4. necnon Lycosthen. Chron. prodigior. & ostentor. anno 1791. de puella Oxinensi: atque Polydor. Virgil. lib. 3. prodig de Picenensi infante, scribunt. Eadem virtute pollent, qui duplici triplicive dentium ordine instructi sunt: qualis fuit Mithridatis regis filia Dripetina Laodice regina nata, iuxta Valer. Maximum lib. 1. cap. 6. Timarchus item Cyprius, & Hercules Thebanus, secundum Plin. lib. 11. cap. 38. item Cælium Lect. Antiq. l. b. 4. cap. 3. qui βουφάγος, ὀδόντων τείστοιχον θέσιν habuit: sicut Tzetzes Chiliad. 3. loquitur, Mantichoræ feræ instar, de qua Plin. lib. 8. cap. 21. & Aristot. 2. histor. animal. ex Ctesia. Econtra rari scabrique dentes, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, (vt prudenter Aristot. addit:) aut materiæ paucitatem, aut imbecillitatem significant: vt & cum adeo dura subsunt ossa mandibularum, vt & aperiri facile, & subeunti cedere materiæ nolint: quo calor debilis denotatur: quod Columb. libr. 15. Anatom. in capite Gygantis, Eustath. item cap. vigesimooctauo, de dentibus Romæ, & Coiter lib. obseruat. Anatom. & Chi-

rurg.

turg. Monſpeſſuli a Rondeletio viſum, adfirmant: in quibus maxilla inferior adeo capiti coniuncta & connata erat, vt omni penitus articulo & motu careret, in eamq; superni infernique dentes ſe tangerent. Quanquam huc non referimus: quod de Pruſia Bythyniorum regis filio recenſent Plin. lib. 7. cap. 16. Solin. cap. 9. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 8. & Tzetzes Chiliad. 3. qui pro ſuperiori dentium ordine vnum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, neç ad vſum vlla ex parte incõmodum: quod de Pyrrho quoque Epirotarum Rege teſtatur Plutarchus, qui dentes non habuit diſcretos, ſed erat ſuperiore gingiua perpetuum os, diſtinctum quaſi lineis, quibus deſignabatur dentium interpunctio: ſiue, vt Pollux lib. 7. ait, πύῤῥον φασὶ συμφυεῖς τὺς ὀδόντας ἔχειν ἓν ὀςῦν γραμμαῖς τετυπωμένον εἰς ὀδόντων σχῆμα. Idem de Euryphæo Cyrenæo, Rauiſius & Euſtach. lib. de dentib. item de Eryptolemo Cypriorum rege Fallop. comm. ad lib. de oſſib. Gal. ex Iulio Polluce, & de aliis Herodot. lib. 9. Holler. obſeruat. 31. & Columb. lib. 15. Anatom. adſerunt.

Vlterius in Lyceo progrediamur ad ſordes, quæ interſtitio dentium adnaſcuntur. Hæc ob conſiſtentiam & colorem nomen tartari apud Latinos pariter & Germanos ſortiuntur. Has ſordes, ab aliis exauctoratas vidimus aliquoties, antequam dentes caderent: quæ nihil aliud ſunt, quam redundans ſemicoctuſque humor, frigidioris & tenuioris ſanguinis ad gingiuas ἀκωλύτως delati ſatelles: quem hæ neque coquere, neque ad amuſſim ſibi adſimilare poſſunt: qui partim ob comperendinationem, partim ob frigus concreſcit. Partes carnoſæ & ſolidiores immodico madore diffluentes apparent non-

nunquam βρυώδεις, quasi limo & musco obsitæ: siue ipsamet earum substantia in muscum transierit: siue extrinsecus illi quid simile accreuerit: sicuti muscum arbores amicire, & circa labia purulenti sordidique vlceris vndiquaq; quasi limum ex pure & ichore coire obseruamus. Sic & in Scorbuto sordes dentium ob actionem caloris propter moram nascuntur. Id Hippoc. declarat 4. aphor. 53. ὁκόσοισι ἢ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περιγλισχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί. Vbi Gal. in com. addit, non posse nasci huiusmodi lentores sine caloris multitudine, pituitosiorem humiditatem exsiccante. Eandem opinionem mordicus tuetur Paracels. lib. 3. Paramicor. de causs. morbo. tract. 2. quicquid, ait, comedimus & bibimus, hoc ore accipimus: os autem non retinet ea aliter, quam infundibulum, per quod aliquid in vas subiectum transfunditur: os autem ex illo transitu nonnihil tartari concipit: in ore enim est calor digestionis, neque elementi, neque humorum, sed solummodo digestionis, qui quidem calor longe alterius est virtutis, quam alius calor, estq; diuersæ functionis: quicquid enim in ore habemus, tam est in digestione positum, ac si in ventriculo esset. Possibile enim est, os edere, & in se retinere cibum, neque deglutire: vt vsque ad ventriculum descendat, sed in ore digerere: in ventriculo enim digerere est nutritio rusticorum, in ore vero nobilium est, qui in ore edunt non stercora eiiciunt, sed solummodo ii, qui in ventriculo edunt: vnde multi sanctorum hac ratione se sustentarunt, qui adhuc creduntur nihil comedere, cum nulla stercora emittant, cum os solum totum corpus sufficiéter nutriat. Et tali igitur vi digerit os, & naturale excrementum separat, quod cum non reperiat, vbi adhæ-

reat

reat, dentibus agglutinatur: aliæ enim partes oris, palatum, fauces, lingua, vuula, gingiua, sunt nimis vdæ & lubricæ, ita vt eis adhærescere nequeat: itaq; dentibus accrescit, vnde tartarus generatur, non solum ex cibo, sed ex potu, idq; pro proprietate eorundem. Quod si vero in ore concauitas esset firma & asperior, plura genera ibi tartari nascerentur, & non solum tartarus dentium, sed sicut alibi reperiuntur: eiusmodi vero coagulationes ob lubricitatē locorum fieri nequeunt. In ore nihil aliud fit, nisi prima separatio naturalis excrementi, idq; incrustat dentes: vnde consequitur putrefactio gingiuarum, excauatio dentium, dolor, & similia, idque ratione acredinis, quæ cuilibet tartaro propria est: quare paroxysmum dentium ex tartaro cum paroxysmo calculi in vasis comparabis. Hactenus Paracelsus. Nonnūquam etiam barbitonsorū inscitia huius mali ἀπιφοίτησις concitatur: qui initio in oris cruentatione dentiumq; vacillatione incautius frigidissima, incrassantia & impense adstringentia adhibent: vnde gargarismis & dentifriciis eiusmodi, humor quasi in cauea coactus condensatur: imo quandoque progressu temporis eam sortitur duritiem, vt vix volsella & lima a Chirurgis abradi possit. Sic Alex. Benedict. libr. 6. de curand. morb. c. 2. obseruauit tophos, quos πώρους Græci vocant, densata colluuie circa dentes adnasci, vt in conchis marinis. Et Eustach. cap. 29. de dentibus, intuitus est, in quodam in senectute iunctos dētes dura & pene lapidea materia vndique obductos, nullo distinctionis vestigio retento, vnius tātum ossis speciem præ se ferente. Similiter animaduertimus quotidie, (quod Schenckius lib. 1. obseru. 391. de se scribit:) vb. liberalius caseo, aliisque cibis, qui lentorem

talem peroportune præstare possunt, vescimur, lapi-
des dentibus adnasci, lenta nimirum materia denti-
bus adhærente, & interna oris caliditate in lapideam
duritiem coacta. Qui tophi cultro dentibus auulsi,
lentis crassitie, magnitudine vero dentis, cui innascū-
tur, sunt: qui, vbi recens auellūtur, molliores sunt in-
star calculorū, qui ex renibus iamiam prodeunt, aeri
autem vel tantillum expositi, statim, vt corallia mari
exemta, lapidescunt. Porro sordiū generatio in Scor-
buto omni ex parte cū illis cōuenit, quæ canthis ocu-
lorū impactæ foris obhærescunt, ac ciliis sese lentore
suo implicāt. Nihil n. hę aliud sunt, quā ἡμιπέπτου τροφῆς
περίττωμα: siue iam in κοιλοφθαλμίᾳ congestæ fuerint,
siue in medullaceo cerebri corpore, sinuosis passim
inuoluto mæandris, siue in venis, tam iis quæ extra
caluam sunt, & a Philistione pro Doriensium more,
κιτοὶ appellantur, quam quæ intra eandem recon-
duntur, ad oculos & horum musculos tunicasq; per-
tinentes, vt alimentum iis impertiant: siue in tertia
cerebri cauitate earum scatebra sit, quæ est deiectus
quidam inter duos priores ventriculos relictus, su-
perstante fornice siue testudine: in cuius anteriorem
& humiliorem ductum, humida cerebri excrementa
tanquam in sentinam exonerata confluunt, indeque
in peluim & glandem in sella ossis cunei ei subditam
instillantur. Eandem λήμην in ceruis deprehēdimus:
cui natura proxime subter oculo oblongum follicu-
lum, osse maxillæ illic dehiscente, affabre machinata
est, in quo viscedine coagulata sua colligi queat: vnde
etiam eruitur, spirans initio βρωμῶδές τι, propemo-
dum vt suum iugulatorum tergora, dum setæ diripi-
untur, superfusa feruente aqua. Processu temporis
εὐωδίαν acquirit adeo pertinacem, vt totum septen-
nium

nium illibata possit adseruari. Non autem nobis sermo est de lapide Bezaar: quem fingunt venatores in Orientalibus terrarū tractibus, maxime vero in Persia, ceruis circa annum ætatis centesimum, (scribit enim Oppianus Poeta Græcus, ceruum viuere χρόνον τελεσχόρωνον: & Plin. lib. 8. cap. 32. idem adfirmat: vt & Iuuenal. Satyra 14.) ad canthum oculi accrescere ipsis ossibus, atque in os protuberans coire ea duritie, qua cornu superet, insigni nitore fului coloris, & tanta læuitate, vt tactum eludat. De his ita Galen. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων, comment. 3. sentent. 65. ait: Hippocrates muscosum humorem eum appellare consueuit, qui lentore quodam & albedine præditus est: qui ad exsangues partes, hoc est, ossa & cartilagines cogi consueuit: cum imbecilla ita natura est, vt bene conficere alimentum in ipsis nequeat, sed quasi semicoctum quid relinquat. Non secus atq; in oculis membranæ relinquunt, cum lippitudine ea laborant, quam λήμην vocant. Imbecillior autem natura euadit, aut ex propria intemperatura, aut ex multitudine humoris, qui illuc confluxit. Et in prognost. Hippoc. commen. 1. sent. 10. Ceterum pituita oculorum fit, vt constat, tum ob adfectum opificiorum, quemadmodum & per lippitudines & aliter, quæ nullo cum periculo est: tum propter imbecillitatem regentis oculum facultatis naturalis, quæ impos sit oculorū concoquere alimentum: pituita enim excrementum semicocti alimenti est. Ergo per lippitudines præ copia humoris præter naturam, & item propter adfectionem opificiorum, verisimile est, nequaquam concoqui recte alimentum eorum. At vbi inopia perspicua est, quam cauum indicat oculorum, caussa de nimietate prorsus recedit, sed restat virium

debilitas sola, non quælibet, sed admodũ vehemens, quæ nec minimum quid alimenti oculorum abunde concoquere potest. Et 1. Epidem. com. 2. sent. 6. maturationem fluxiones, cum ab insito calore superantur, consequuntur. Atqui minore superantur negotio, vbi paucus sit humor, & minus frigidus: cum autem multum etiam est frigidus, difficulter concoquuntur. Iam vero naturalis animantium calor si sit validus, humores earum superfluos celerius concoquit: sin imbecillis, vix longiore interuallo superior euadit, & vincere humores valet. Quo magis, si qui fuerint curati, de integro inciderũt in illas. Nam debilitatos quidem lippitudinibus oculos frigidus aer, Aquilonius & pluuius, nubilosusq; iam lędebat. Huiuscemodi lippitudinibus lemia fere obuenit parua, ægre ob dẽsitatem tunicarum, quam ex frigore contraxerunt aeris, erumpens. Quare toto fere necessario oculi deteriores euadebant: æstate vero, quam comparauerant, scirrhosa adfectio ad cõcoctionem pedetentim deducebatur. Qui itaque hanc λήμην oculorum minus limis oculis intuebitur, eamque ad sordes dentium in Scorbuto ex Galeno accommodabit: vel limbolarii & χρυσοχάστερες, vnã esse vtrarumque caussam & generationem, animaduertent.

Nunc, relicto ore, crurum lituras Lesbia regula inuestigemus: quas ad ἐκχύμωσιν referimus. Est enim ἐκχύμωσις τῶν χυμῶν ἔκχυσις, vt Gal. in Exegesi definit. Et lib. 6. Epid. comm. 2. sent. 9. scribit de Hippocrate: ἐκχυμώσεις εἴωθε τὰς ἐκ τῶν ἀγγείων ἐκχύσεις καὶ κενώσεις ὀνομάζειν. Modum vero ἐκχυμώσεως dilucidissime describit idem in Hippoc. lib. de fractur. com. 2. senten. 16 his verbis: ἐκχυμοῦσθαι τὰ φλέβια, inquit Hippocrates, σημαίνει βουλόμενος ἐκχεῖσθαι τὸ ἐν ἑαυτοῖς περιεχόμενον

ἔξω

ἔξω χυμὸν, ὅπέρ ἐστι τὸ αἷμα. γίγνεται δὲ τοῦτο θλασθέντος αὐτοῦ τοῦ χιτῶνος. ὅσα γὰρ θλάττεται σώματα τὴν φυσικὴν ἕνωσιν ἀπόλλυται κατὰ πολλὰ μέρη καὶ μικρὰ διασπώμενα, καθ' ἃ καὶ περιεχεῖται τὸ αἷμα. τοῦτο οὖν τὸ ἐκχυθὲν αἷμα, δέχονται μὲν αἱ περιεχόμεναι χῶραι τὴν φλέβα, δεξάμεναι δὲ οὐ φυλάσσουσιν, οἷον ἐδέξαντο. μελαίνεται μὲν γὰρ ἐν τῷ χρόνῳ, καθάπερ εἰ καὶ ἔξω ἐκχυθὲν ἐχρόνισε, καὶ γίγνεται πάθος, ὃ καλεῖται θρόμβωσις, ἐξ οὗ παθήματος ἐγγινομένου τῷ αἵματι, θρόμβος μὲν ἤδη τὸ αἷμα καλεῖται καὶ ἐστι. μέλαν δὲ γίγνεται τῇ χρόᾳ, καὶ σήπεται ἐντεῦθεν μοχθηρῶς. Exſuccari venas inquit, dum vult ſignificare, effundi extra ſuccum, qui in eis continetur, id eſt, ſanguinem, ac ſugillari: id quod fit, cum tunica ipſa contuſa eſt. Quæ enim contunduntur corpora, vnionem naturalem amittunt multis ac paruis partibus ipſorum diſcerptis, e quibus etiam ſanguis vndequaque effunditur. At effluentem hunc ſanguinem loca circum venam excipiunt, atque vbi exceperunt, talem, qualis a principio erat, minime cõſeruant: nam mora quadam ibi nigreſcit: perinde ac ſi foras effuſus inueteraſſet: contingitque adfectio ea, quæ θρόμβωσις, id eſt, concretio ſanguinis nuncupatur: ex qua quidem adfectione ſanguis ipſe θρόμβος, id eſt, concretus ſanguis & eſt & dicitur: tum niger etiam colore fit, atque inde etiam praue putreſcit. Hippocrates eaſdem etiam ἐκχυμώσιας conuenientiſſimo vocabulo τῶν φλεβῶν ναυσιώσιας indigitat, lib. περὶ αἱμῶν, com. 2. ſent. 24. ναυσιώσιες autem, iuxta Gal. in Exegeſi, ſunt αἱ παρεγχύσεις τοῦ αἵματος, ἃς δὴ καὶ ἐκχυμώσεις ὀνομάζει: tranſlatum autem eſt nomen ab iis, qui in nauſea ſanguinem vomunt. Quod etiam in lib. de fractu. comm. citato ruminat: vbi modum inſuper enodat: ὅταν αἱ φλέβες ἀποπτύουσί τε καὶ οἷον ἐμοῦσιν ἐξ αὐτῶν αἷμα, βαρυνόμεναι διά τε τὴν σφῶν αὐτῶν ἀσθένειαν, τὴν ἐκ τοῦ φλεγμένου

ἴσχουσι καὶ διὰ τὸ πλῆθός τε καὶ τὴν κακίαν αὐτοῦ τοῦ αἵματος.
Cum venæ, more eorum, qui nauſeam patiuntur,& propterea euomunt, ſanguinem exſpuunt ac quaſi euomunt; tum ex propria imbecillitate, quam ex inflammatione contraxerunt: tum ex ipſius ſanguinis copia & prauitate. Ex his liturarum in Scorbuto proſapiam facile adſequi poſſumus. Licet vero plerunque ἐκχύμωσις a contuſione fiat:(vt quoque Gal. libr. 1. de humor. commen. 15. cenſet:) cum ex exiguis venis per διαπήδησιν ſanguis ſub cutem profunditur: eadem tamen etiam, citra externas cauſſas, a farragine prauitateq; ſanguinis cõtingit. At in his maculis exiles tantum venulas reſerari, indicio eſt, quod lituræ non admodum latæ cernantur. Si enim hîc grandiorum venarũ oſcula ſanguinem in carnem eiacularẽtur per ἀναστόμωσιν, præter inſignem θρόμβωσιν, totius membri cutis liueſceret, & pars inflammationis haud eſſet expers. Porro ſi venæ exiguæ reſerantur, omni procul dubio ſanguis tenuis vel quantitate vel qualitate delinquens hoc faciet. Fœculentus enim & craſſus ſanguis venas exiles, citra rupturam, nõ inundat. Idem papularũ euincit ortus, quæ maculis ſcorbuticis cognatæ ſunt. Gal. 3. de ſympt. cau. c. 2. inquit; ſeroſa excrementa cũ redundant, tum aſcites vocatus hydrops excipit, tum papularum in iis animalis partibus, in quas perducta ſuperflua ſunt, prouẽtus. Medici quoq;, qui iſta ῥινηλατεῖν ſolent ἐπιβόλως cenſent, non aliter ac muſtum lixiuum in doliis feruens a fæce eliquari videmus, cuius ſpumoſæ ſordes in ſuperioribus locis expurgãtur, craſſiores quæq; latera vel fundum petunt, eodem plane modo variolas & morbillos accidere, cũ ſanguis ebulliens ſuam velut ſpumam & halitus craſſiores ad cutem amãdet: tenaciora vero

sedimina per alui fluxũ, qui hos morbos fere terminat, deturbat. Idem in febribus pestilẽtibus de maculis, quas petechias & pestichias appellant, dicimus. Quantumuis enim Gal. 5. meth. med. c. 12. opinetur, pupulas, quas exanthemata vocant, nigras, iis, qui ex pestilentia euasuri sunt, vlcerosas & siccas, toto corpore confertim apparentes, reliquias eas esse sanguinis, qui in febri putruerat, quas veluti cinerẽ quempiam natura ad cutim trudit: ἐπιγνώμονες tamen, cum propriȩ etiam salutis discrimine, σεσοφισμένως in infectis obseruarunt petechias in illis præcipue pestilentibus febribus efflorescere, quæ in ichorib. venenatis, & realgare salis siue spiritus arsenicalis ab elemẽtali in tartaro desilientis sedem habent: quæque diapleoreticis medicamentis plerunq; per sudores finiuntur. Nam spiritus atq; ichores morborum contagiosorũ, quorum μιάσματα & seminaria attractu aeris hauriuntur, vehiculum esse, atq; hic enixe elaborandum, vt sudoriferis & hydroticis lues exigatur foras, & principes corporis partes, inprimis cor, muniãtur, experientia didicere. Contra, si humores alii in peste contagium fouerent, potius bubones emergunt, quã petechiȩ: imo si crassior sit materia, in qua hospitatur fomes pestilens, carbũculi generãtur: qui ab humore crasso feruenteq; oriuntur: vt Gal. 14. met. med. c. 10. testatur. Quid ergo obstat, quin & maculæ in Scorbuto a tenui humore prosilire dicantur? Quin, si fœculentus melancholicus succus in Scorbuto ad crura detruditur, cur non extuberant varices potius, quam lituræ? Gal. 6. aph. 21. scribit. κιρσὸς δὲ ἀνδρεῖοις τῶν φλεϐῶν τῶν ἐν τοῖς μηροῖς καὶ σκέλεσιν, ἀπὸ παχέος καὶ μελαγχολικοῦ γινόμενος αἵματος. Idẽ lib. de tum. præter nat. c. 16. 2. de elẽ. c. 2. & li. de atra bil. c 4. sentit. Modũ explicat com.

3. in lib. Hippocr. περὶ ἄρθρων, ſent. 4. his verbis: ἡ κατ' ὀσφὺν φλὲψ εὐρυτάτη τ' ἐστὶ καὶ πάσαις ταῖς κάτω φλεψὶν αὕτη χορηγεῖ τὸ αἷμα· τοὺς οὖν παχεῖς τούτους καὶ γλίσχρους χυμοὺς, ὅταν ποτὲ μεταλάβῃ τῆς ἐν τοῖς πεπονθόσι μορίοις δυνάμεως ῥωσθήσης, ὡς ἀπώσασθαι τὸ περιττὸν, ἐναποτίθεται ταῖς ἐνταῦθα καθηκούσαις φλεψὶν, ὑφ' ὧν ἀνευρύνονται μὲν καὶ κιρσοῦνται. παχέων μὲν ἱκανῶς ὄντων, εὐθέως ἐν τῇ κατὰ βουβῶνα. μετριωτέρων δ' ὑπαρχόντων, ἐν τῇ κατὰ τὴν ἰγνύαν. ἔνθα γὰρ ἂν πρῶτον ὑπαπάχους τε καὶ γλισχρότητος ἐμφραχθέντες ἱστῶσιν, ἐνταῦθα διϊστᾶσί τε καὶ διευρύνουσι τὴν φλέβα, καὶ γὰρ τοῖς ἄνευ τοιαύτης αἰτίας ἔχουσιν ἐν τοῖς σκέλεσιν κιρσοὺς, ἀνάλογον τῷ πάχει τῶν χυμῶν τὰς ἀνευρυνομένας φλέβας ἰδεῖν ἐστίν. ἐπὶ μὲν τοῖς παχυτάτοις τὰς εὐρυτάτας οἷαίπερ εἰσὶν αἱ κατὰ βουβῶνα, ἐπὶ δὲ τοῖς ἧττον ἐκείνων παχέσι, τὰς ἧττον εὐρείας ὁποῖαι κατ' ἰγνύας εἰσὶ, πότε μὲν γὰρ ἐν ταῖς μείζοσι φλεψὶν ἐμφραττόμενοι τὸ πάθος ἐργάζονται, πότε δὲ εἰς τὰς κατωτέρας χωροῦσιν ὅσαι στενότεραι· παχὺ πάντως ἐν τοῖς κιρσοῖς ἐστὶ τὸ αἷμα, μελαγχολικῶν δ' ἐστὶ πλειστάκις τὸ πάθος· ἔστι δ' ὅτε ἑτέρων ὠμῶν καὶ παχέων χυμῶν. Id eſt: At quæ ad lumbum eſt vena, cum latiſſima ſit, omnibuſq; inferioribus ſanguinem ſuppeditet, craſſos hos ac lentos humores vbi excepit, ſi valida in adfectis membris ad expellēda excrementa vis ſupereſt, in alias huc pertinentes venas eas deponit. Ex quibus, ſi craſſi admodū ſint, ſtatim quæ in inguine eſt: ſi mediocres, quæ in poplite, dilatatur ac varicatur. Vbi primū enim ex craſſitudine & lentore obſtructi ſiſtunt, ibi venam dilatant ac diſtendunt. Nam qui abſque huiuſmodi cauſſa in cruribus varices habēt, iis videre licet venas pro ratione craſſitudinis humoris dilatari: in craſſiſſimis, latiſſimas, cuiuſmodi ſunt venæ inguinis: in minus craſſis, minus latas, ſicut venæ poplitis ſunt. Aliquando enim maioribus atque amplioribus alimentis refertæ atq; obſtructæ

obſtructæ

obſtructæ, in malum id incidunt: aliquando in inferiores, quæ anguſtiores ſunt, delabuntur. In Varicibus craſſus prorſus ſanguis eſt: cũ ex melãcholicis ſæpè, ex aliis interdum crudis & craſſis humoribus aduectio hæc exſiſtat. Cùm ergò humor in Scorbuto πρωλογούνισης nũquàm adeò craſſus ſit, niſi alius morbus ſuperueniat, Varices in eo non depræhenduntur. Amplius non parùm fauet noſtræ ſententiæ locus eiuſdem in lib. 3. Epidem. com. 3. ſent. 51. Πρόδηλον μὲν, ὅτι παρὰ τὸ ἐκθύειν, ὅπερ ἐστὶν ἐξορμᾶν, ἡ προσηγορία τοῖς ἐκθύμασι γέγονεν, ἐπὶ τῶν αὐτομάτως ἐξανθούντων κατὰ τὸ δέρμα. Γένεσις δ' αὐτοῖς ἐκ τῶν περιττῶν δηλονότι χυμῶν ἀλλὰ καὶ τῇ ποιότητι προσηκόντως ἕπεται; τῶν μὲν χυμῶν λεπτῶν ἑλκώσεις ἐργαζομένων, μᾶλλον ἢ ὄγκους, τῶν δὲ παχέων εἰς ὄγκον ἐξαιρόντων τὸ δέρμα. Apertũ eſt ab ἐκθύειν, quod eſt ἐξορμᾶν, id eſt, erumpere, deriuatũ eſſe ἐκθύμασι, id eſt, papulis, nouum in iis, quæ ſpontè extuberant in cute: hęc conſtant ſuperfluis ſcilicet humoribus. Atq; qualitatem etiam non iniuria ſubſequuntur, cum tenues humores exulcerationem potius, quàm tumores creent, at craſſi in tumorem pellem attollant. Ex his in orcheſtram productis, cuiuis manifeſtum eſt, papulas à tenui gigni humore: neque aliàs eſſe indolis maculas in Scorbuto. Has enim generari dicimus ex tenui aquoſoque ſanguine: cuius etiam colorem initio repræſentant: nam pallidiores ſunt, & velut ſanguis dilutus, ac progreſſu demum temporis in pullum & obſcuriorem colorem degenerant, qualis eſt Cymatilis ab vndis, ad cinereum vergens, ſiue leucophæus, (λευκόφια autem apud Athenæum ficus ſpecies) & tandem πέλιτνὸς, iſque, quem oliuaſtrum Ligures vocant. Sanguis hic cum copia,

tum vero frigiditate sua molestiam infert venulis exiguis: vnde per διαπήδησιν gracilium vasorum osculis reseratis, veluti transcolatur, perque carnem sub cute diffunditur in modum τῶν ἐκχυμωμάτων. Immo, vt Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. inquit, serum, non sanguis, per talem διαπήδησιν excernitur: quia maxime ratione ex iecinoris, rerumque debilitate meiitur, ac sæpe deorsum deiicitur sanguinolentum serum. Liuescit autem & ater euadit, paruis grumulis ex disperso in multas cutis partes sanguine coactis. Hoc ideo fit: cum, quod in βλοστρισμῷ sanguis extra natiua incilia corrumpatur, & si ἐνυπόληπτος in εὐτροφίᾳ parti non adglutinetur, concrescat, cordis rutabulo destitutus: tum, quod frigidior sit sanguis Scorbuticus. Gelu porro calorē non solum exstinguere per σβέσιν, sed etiam liuorem inducere, nuperrime de gingiuarum corruptione demonstrauimus. Quod eo facilius pedibus cōtingit, quia sunt longius remoti à caloris perenni foco. Gal. lib. 2. de loc. adfect. cap. 2. Hinc Cels. lib. 2. cap. 6. scribit: solent etiam in graui morbo pedes cū digitis vnguibusq; nigrescere: quod si nō est mors consecuta. At reliquum corpus ori valuit, pedes tamen decidunt. Ab eadem causa Hipp. lib. de vict. ration. in acut. com. 4. sent. 39. ἐπισημασίαν siue εἰσβολὴν febrilem in frigore pedū describit: frigiditas, inquit, pedum magna ex parte febris accessuræ signū existit: calore enim toto ad superas partes concurrente, atque ad caput exhalante, non absq; causa pedes frigescunt, vtpote qui natura & carne vacent, & neruis abundent: præterea & à calidissimis distantes locis refrigerantur, sese ad thoracem colligente calore. In cruribus porro & suris frequētius istiuscemodi

eemodi maculæ visuntur: quia natura solet humores noxios ad partes ignobiliores pellere, teste Gal. 6. aphor. 21. & lib. 2. de natur. human. com. 5. inquit: cum particulæ animantis mutuo coalescant, succi, qui morbos pariunt, ex iis, quæ ad seponendum sunt validiores, in alias transfluunt: ac rursum ex illis in alias, quo ad sederint ad aliquam infirmiorem, qua nulla pars infirmior sit, in quam contristantem succum immittat. Et 2. de differ. febr. cap. 11. quod per maiora & laxiora spacia superfluũ excernitur extra, idem in aliis partibus animalis per tenuiora foramina non extra, sed ex aliis defluit in alias, cum fortiores à se quidem pellant, imbecilliores autem suscipiant: atq; hæ rursus ad alias, donec tandem in eas, quæ imbecillimæ sunt inter omnes, inciderit: hinc vero ad fortiores relabi est impossibile. Quanquam aliquando humoris Scorbutici tanta est πολυχυμία, vt non duntaxat crurum venas, ceu decliuiori loco colluuiarij & pollubri instar positas, quo natura vergit, sed aliarum etiam partium exilia vasa conglobatim distendat, vt præ pondere & malignitate sanguinem in cutem iaculentur. Vnde sparsim lituræ corpus vniuersum adoriuntur, maxime autem dorsum: paratiores enim non modo ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem sunt dorsi partes: recurrit aũt hinc rigor incipiens, ad principium neruorum, scil. caput, celerrime facta per spinalẽ medullam cõpassione, quoniã & ipsa natura frigida est, sicut & cerebrũ, & propter substantiæ mollitiẽ, vt cerebrũ, alterationẽ facile suscipit: auctore Gal. 5. aphor. 69. & lib. 6. Epidẽ. sect. 3. sent. 19. tũ, ꝙ posteriora non æque ac interiora calefieri possint à corde, ꝙ licet in medio

thorace ἀκρόπολιν & mesaulum habeat, eius tamen mucro propyleum amet potius quam posticum: calorque ob interiectorum musculorum & ossium crassitiem ἀκυντὸς sit. Quin non rarò tanta est sæuientis mali ἐπήλυσις: quod Langius lib. 2. epist. 13. obseruauit: vt non cutem duntaxat, sed etiam carnem subiectam & colore liuido dcfœdet, & humiditate nimia instar ceræ mollis flaccidam reddat, vt & digitorum impressioni cedat. Hæc autem res non ἀκίνδυνος, sed ἐπιστημένος θανάτος est: cum iam inualetudo in cochexiam & hydropem degeneret. Et, quo ad rauim obgannimus, adeo trux est serosi sanguinis indoles: vt partium calorem frigiditate sua exstinguat per 6. θέσιν, vnde ineuitabiliter liuor: madore autem tenui, qui, cum ἐψήσεως vim aspernatus sit, in μολύνσει dominatur, omnes carnis cuniculos perrepat: quos grauiter humectat, musculos laxat atq; compagem soluit, vt si quis membrum tangat, id humore immodico penè diffluere depræhendat. Immò nonnunquam ὄγκος οἰδηματώδης, frequentius autem ὑδατώδης conspicitur: de quibus suprà in tumore gingiuarum. Econ rà aliorum crura sic attenuantur, vt nuda cutis decurpata ossibus adfixa videatur. Atque ita tabescit caro ob ἀτροφίαν siue κακοτροφίαν, in siccioribus præsertim, qui non tam copioso scatent humore. Nam vis concoctrix τῇ ἀπεψίᾳ nimirum cespitat: & sequitur necessariò defectum & priuationem nutritiuæ virtutis, quæ alteratricis est species: vt Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. siue ad fluentis humoris inopiam, vt 1. de facul. natur. cap. 11. adnotat. Vnde κακοχυμία alimento vitiato, versoq; in extorrem qualitatem. Vnde ea siccitas inducitur, cuius Galen. 7.

Method. medend. cap. 6. meminit: cum propria humiditas, vnde partes nutriuntur, omnino est absumpta: continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus: hanc igitur inserere particulis sine nutrimento non est. Deinde, cum secundarius humor, qui iam è capillaribus venis & arteriis in exiguos poros, meatusque partium excidit, & instar roris influxit, diminuitur, neque parti adponitur: cum amplius periit humor, qui licet nondum è finibus capillarium venarum exciderit, calore tamen partium vicinarum mutatus, paululum à sanguinis natura desciuit. In Scorbuto igitur nonnunquam tam vehemens excitatur partium similarium corrugatio, vt hæ κενο-δημίῳ spoliatio alimoniæ, admodum resiccatæ appareant, non aliter ac si vel sale, vel fumo ita corrugatæ fuissent. Carnes enim quandoque & alia opsonia adseruamus muria, vel aceto, vel fumo, vindicaturi illa à putredine, quæ in cadis salsamentariis imperse exsiccata visuntur, priuata quippe omni humiditate, qua ante cōdituram diffluebant. Quanquam σπανιώτερον, hoc est, πάθος: cum prius fere mortem animal oppetat, quam ita exsuccas partes & ἔφαλμα βρώματι nobis exhibeat. Ob penuriam itaque ἀτροφίας, ἀτροφία in Scorbuto nascitur. Id belle explicat Gal. lib. de sympt. differ. cap. 4. his verbis: Atrophiā, cum vnum symptoma sit, siue ea in toto fiat animali, siue in vna ei9 particula, multa præcedūt symptomata. Cū enim, quod probe nutriendum est, & trahere ad se conueniens nutrimentum debeat, & id, quoad tum alterauerit, tum adsimilauerit, retinere, præterea, quod superuacuum est, pellere, (est autem id duplex genere,

aut enim quãtitate ſuperuacaneũ eſt, aut qualitate:) neceſſe eſt omnino particulam, quæ atrophia laborat, vel vnius prædictorum alicuius occaſione id pati, vel plurium. Nam ſiue diminute trahat, quod nutriat, ſiue non trahat, ſiue perperã trahat, atrophia particulam conſumet: ſiue id quidem, quod nutriet, & quãtum & quale eſſe oportet, ſuppeditatur, cæterum ſymptoma aliquod in retentrice facultate incidet, ſimile his, quæ in vẽtre ſunt dicta, atrophia tentabitur ſic quoq;. Quod ſi hæ facultates legitima fungantur actione, excretrix autem vis erret, plus ſcilicet quam opus eſt, vacuans, ſic quoq; gracilis, nutrimentoque parum fruens particula reddetur. Cuius συςρέματος ψαμμοκόσια in Scorbuto vigere, dies loquitur.

Et hæ ſigna ſunt Scorbuti παθογνωμονικά: quæ ſiue rei, in qua ſita ſunt, interitu abeſſe nequeunt: vt Porphyr. in inſtitut. cap. 5. loquitur. Nunc alia ἐπιγεννήματα συνεδρεύοντα ventilabimus: quæ Scorbuto ingraueſcenti ſubrepunt. Inter hæc vires exſerit truculenter σκελετύρβη ſiue σκελετύρβη: quod vocabulum varie βαρβαρόφωνοι interpretati ſunt, etiam non citra Scorbuti ignominiam: cuius ſatellitum nomina mendoſe in Romanorum tablinum relata ſunt. Nam nonnulli vocant neruorum in cruribus rigorem & contractionem, cum ambulandi impotentia. Verum in Scelotyrbe nihil his ſimile reperiri, teſtantur vel ἰατραλεῖπται, qui per tranſennam curationem Scorbuticorum intuiti ſunt. Neruorum rigor Celſo lib. 2. cap. 1. eſt τέτανος: quemadmodum eorundem diſtentio, σπασμός. Hic à Philotheo definitur, κίνησις ἀπροαίρετος ἐν προαιρετικοῖς ὀργάνοις γινομένη. Huius ſpecies

eſt

eſt τέτανος: in quo, cum ſit virtutis voluntariæ ſymptoma, muſculi, quibus omnes arbitrarij motus obeuntur, violenter ad ſua ipſorum capita retracti, vnamquamque particulam, cui inſeruntur, ſimul attrahunt, & adfectus intenſionem ipſos ducens accidit, quem motus ſequitur, ſimilis quidem naturali, ſed citra voluntatem, iuxta Galen. de vig. trem. palp. cap. 8. & 2. de ſympt. cauſ. cap. 2. Vnde rigida in tetano & velut congelata pars manet, inque neutram partem inclinari poteſt. Τέτανος namque eſt conuulſio, cum recto corpore inflexilis homo continetur: vt Aretæ. 1. de cauſ. & ſign. cap. 6. deſcribit. Præterea Hippoc. lib. 5. aphor. 6. ait: ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται: ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. Vbi Gal. in com. addit. diſtentio, Græce τέτανος, morbus peracutus eſt, quæ compoſita ſit ex illa, quam Græci emproſthonor, id eſt, ad anteriora diſtentionem, & opiſthotomon, id eſt, ad poſteriora diſtentionem nominant: atque ita merito citius in ipſa fit iudicatio, non tolerante natura longiori tempore, quem fert diſtentio, laborem. At in Scelotyrbe neque motus turbulenti ſunt, neque concuſſiones, neque quaſſationes, neque iactationes, quales in ſpaſmo conſpiciuntur: neq; muſculi verſus capita contrahuntur: multo minus, vt in tetano, membrum adeo rigidum fit, vt vel in hanc vel in illam partem flecti nequeat: cum πανταχόσε verti, & manu attolli citra dolorem poſſit: neque Scelotyrbe eſt acutus, peracutuſue morbus, qui tanto tenſionis cruciatu hominem excarnificet, vt velociter inſtar tetani interimat. Immo in Scelotyrbe proprie genua labant, dum artuum

compages & neruacea musculorum corpora humoris liberaliore haustu inebriata apparent: vnde illa inambulandi ἀδομία. Tantum autem abest, vt in hoc casu conuulsiones sequantur, vt potius fugentur. Molle conuulsui resistit: nam conuulsiones ipse Hippocrates frequentiores esse dicit corporibus contentis, quam remissis & laxis: vt Gal. com. 23. ex Hippoc. lib. de salub. diæta scribit. Ideoque obstetrices infantes crebre chaldario immersos à spasmo immunes reddunt. Præterquam, quod tales neruorum contractioni γλίσχρως impotentiam ambulandi in Scelotyrbe adscribant. Nerui nequaquam contrahuntur. Quod Erastus, Præceptor noster ἔυστοχος καὶ ἔυστομος, editis adsertionibus, αὐτάκλος demonstrabit. Functio genuina partis, quæ propriam substantiæ speciem sequitur, non impeditur locorum diuersitate. Gal. 6. de placit. Hippoc. & Platon, cap. 8. Sed nerui intra cerebrum non contrahuntur in seipsos, vt partes motu arbitrario moueant. Ergo nec extra cerebrum, cum & hi priorem retineant substantiam. Deinde, cum mouendi virtus sit ἐπίρρυτος, necessario contractio in neruorum scatebra incipiet. Verum nerui in prima origine circa cerebrum nullis membranis vestiti, sed nudi, mollissimique depræhenduntur. Vnde hic, cum nec sua natura dilatantur, nec contrahuntur nerui propter mollitiem, quæ ei actioni, quæ per tensionem obitur, obsistit, nunquam breuiores musculos contrahent: quod Gal. aperte 15. de vsu part. cap. 1. fatetur. Si amplius insita esset neruis hæc operatio, vt partes contraherent, in omnibus partibus, quibus nerui communicati sunt, hoc fieret. Sed secus contingit in ore

ven-

ventriculi, inteſtinis, vtero, veſica, hepate & ſimilibus: quorum neruorum exortus idem, & ſubſtantia eadem; non tamen laxantur & tenduntur nobis volentibus: ergo nec illi, qui muſculis implantantur. Præterea non eſt veriſimile, tam mollia corpora, quæ in ſectionibus vix leuiter tacta rumpuntur, in violentis conuulſionibus non lacerari. Neque contracti contrahere muſculos maiores poſſunt: dum in totos non diſſeminantur nerui, ſed aliquando in capita muſculorum, aliquando ad ventres, aliquando ad caudã inſeruntur. In eadem ſententia eſt Gal. lib. de fœtuum formatione, ca. 6. qui negat, à neruis ad originẽ ſuam muſculos trahi, atque ita effici, vt ad eorum attractionem inferior oſſium, quæ articulos conſtituunt, pars etiam ſequatur, cui videlicet inſertum caput muſculi eſt: quod minutiſſimi nerui muſculis inditi ſunt: qui neque in viuentibus in voluntariis functionibus moueri, quemadmodum muſculi, neque in mortuis, ſi noſtris manibus conuellantur, muſculos, ſicut muſculi articulorum oſſa attrahere cernuntur. Ex hiſce patet, neruos nec contrahi, nec muſculos verſus originem ſuam trahere: licet nerui miſſum à ratione imperium ad muſculos perferant, motuſque principium præbeant: quod Gal. 12. de vſu part. cap. 3. adfirmat: & lib. de muſculorum motu cap. 1. ait: nerui riuorum in morem à cerebro, ceu ex quodam fonte deducunt muſculis vires. Ergo neruorum contractio in Scelotyrbe expungenda. Nos cum Gal. lib. definit. medicar. σκελοτύρβην εἶδος παραλύσεως dicimus: quod ſupra in nomenclatione Scorbuti probauimus. Paralyſis non rarò gignitur, cum tendones, vbique mu-

ſculis inſerti copioſo humero ἀπαύστως imbuuntur:
vnde μαλακιᾶν ſolent, & relaxantur, & nimium ex-
tenduntur. Quo fit, vt partim ob plenitudinem &
obſtructionem ſpiritus animalis non tranſeat, aut
humiditate vberiore obruatur: partim vero & fre-
quentius, cum ſecundum naturam tendones &
muſculi debeant modice tendi, quo leui contra-
ctione facta, partem, cui tendo inſeritur, trahere
queant, propter mollitiem nimiam muſculorum
& tendonum, membrum cõcidat, ſicque quodam-
modo immobile permaneat. Id indicat Gal. 15. de
vſu part. cap. 1. de neruis: καὶ τὸ τῆς μαλακότητος ἀντι-
πεάτλον ἔχει τῇ κατὰ τὴν ἔντασιν ἐνεργείᾳ. Idem in Scelo-
tyrbe fit. Nam hic frigidi & tenuioris humoris pe-
nu, ſpiritus animales non ſolum exſtinguuntur,
ſed etiam tendones, nerui & muſculi adeo ἔφυθοι
redduntur: vt neque ἐρηρεῖσθαι, neque diduci, neque
in ſe aliqua contractione rurſus concidere poſſint.
Hinc Gal. 3. de ſympt. cauſ. cap. 3. Quæ vel tractura
quid ſunt, vel tentura, vel repulſura, eorum actio-
nem cum loci mutatione neceſſe eſt fieri. Qua ra-
tione, quod ita eſt molle, vt tum humidum ſit, tum
fluxile, tum nulli innitens, id nec trahendi ſimili-
ter, nec tenendi, nec repellendi vim habet. In omni
namque eiuſmodi opere innixum tenſionemque
eſſe in operante oportet. Melancholico autem hu-
mori tale quid non poteſt imputari, quia neruos
ſiccat potius & cogit, quam emollit: vt in elephan-
ticis videre eſt, quorum membra aridiora facta
non reſoluuntur. Et hoc ἀκειβασμῷ immobilitas
pedum & crurum, vnde impotentia inambulan-
di, non læſo tamen ſenſu, paralyſis ſpecies nomi-
natur: cum, vt in Scelotyrbe fit, ægri pedes non
attol-

attollere poſſint, non ſecus ac ſi compagines crurum diſſoluerentur: ſicut Langius loquitur.

Anhelitus inſuper difficultas adeo inualeſcit, maxime quando eriguntur, ſedereue conantur ægri, vt nonnunquam animo delinquant, decũbenteſq; ſpirent liberius, reficianturq;. Symptomata hæc augentur ob auctam humoris crudi ἁδροσύνην, ab eaque compreſſa ſpiritus organa, inprimis vero diaphragma: cui etiam negotium faceſſit ventriculi infarctus ob ἀφορφίαν: vt nuper diximus. Nouum & δυσεξικολλήθητον in Scorbuto, hoc eſt. Repleto thoracis meditullio vel à ſucco exorbitante, vel pure, vt in empyemate, extorris liquor erecto aut ſedenti, ſpinam verſus locum decliuiorem pro ratione ſitus ſepti tranſuerſi deſcendit, vt hinc pulmonis dilatatio non multum impediatur: ſupino autem vel ſe inclinanti ſurſum refluens, alas pulmonum nimio λειβήθρῳ grauat: vnde ſufficiens expanſio, ob intercapedinis anguſtiam, exulat. Ὀρθόπνοια in cæteris fit, cum aſpera arteria principium à gutture habens in pulmonem diuidatur, quoties quidem thoracem cum collo recte extendimus, arteriam ipſam dilatari contingit, atque etiam, quæ ex ea in pulmones diſtribuuntur, propagines omnes, atque interim regionem augeri eis internam: vt Galen. 1. Prorchetic. comm. 2. ſentent. 54. ſcribit. Iam ſi thorax cum collo curuetur, tubos, per quos tranat ſpiritus, comprimi neceſſe eſt, ac ſpiritum magis intercipi: vnde capite thoraceque ſubleuatis ſtare coguntur. Amplius ſupino decubitu anticæ pectoris partes conſidentes pulmonem arctant, multique aeris attractionem arcent. Idem Gal. in

prognoſt.

Prognoſt. Hippoc. com. 1. ſent. 20. teſtatur: qui pulmonia infeſtantur, ij dicunt ſentire magnam in thorace anguſtiam, dum ſupini cubant: reſidentes verò fieri ſpirantiores. Decumbit enim ad ſpinam per ſupinum iacendi habitum pars in pectore thoracis, à qua pulmo arctatur, nec idoneum accipit aerẽ inſpirãdo. Per alios vero morbos, quoties vigent, grauiſſimũ eſt, velle ægrum reſidere in ipſo conſiſtendi vigore: amant enim tunc maxime fatigati, immoti cubare: &, ſi quis eos excitet, conflictantur. Scorbutici ἀντιπαρατατλόμενοι ſunt. Nam hi non fiunt ὀρθοπνοικοὶ: quia licet in his ſeptum tranſuerſum prematur, vnde δύσπνοια: aſpera tamen arteria, aliique pulmonis canales immunes ſunt, neque illorum dilatatio inhibetur. Iſta δύσπνοια cumulatur in eiectis ſedentibuſque ob μετεωρισμὸν viſceris lienis, à craſſis humoribus oppilati: Supra diximus, ſplenem diaphragmati inniti: cuius ſumma pars membrana coſtas ſubcingente amicitur: quæ cum thorace diſtenditur, cum thorace arctatur. Si itaque ſtent aut ſedeant ægri, lien pondere ſuo naturaliter deorſum vergit, & ad ſe violenter diaphragma rapit; ad cuius deturbationem tunicæ coſtarum pręter naturæ normam tenſæ ad ima trahuntur: vnde neceſſario magis coarctatur thorax. Si vero decumbant, lien grauis relabitur, & iam ſupinus, non vlterius pendet: vnde & diaphragma paulatim naturalem recuperat locum, neque tunica ὑπεζωκὼς adeo valide diſtenditur. Non ſecus ac in pleuritide vera decubitus in βαρύλυπον latus facilior eſt, quam in ſanum: quia tumor è ſuperna parte pendens, tanquam pondus magis grauat & diſtendit membranam.

nam.

nam. Nunquã autem ἐπανάκλησις in Scorbuto accidit. Non enim tãta est ſiccitas, durities & cõuulſus muſculorũ ac ſepti tranſuerſi: neq; tanta incilium anguſtia: neq; tanta virtutis ceſpitantis elũbatio, vt ſpirationẽ vno tenore, citra ſpiritus reuocationem abſoluere nequeat. Quod autem ægri quandoq; in anhelitus difficultate animo delinquant, id partim σκληραγωγία & παράδυσις mali, quod φθορὰν per σβέσιν inducere vult, cauſſatur: partim vero, quod Camarina mota ſemper fœteat, & hinc amplietur doloris ſẽſus. Quod tamẽ ſymptoma corrigitur quiete decumbentium. Sic Gal. ſcribit 2. de ſympt. cauſ. cap. 5. qui cruditate laborant, cum quieſcunt, nullo affici dolore. Et 1. de differ. febr. cap. 3. quietem iniungit iis, quibus corruptus aliquis humor eſt circa ventriculum & iecur. Quanquam aliquando parum decubitus proficiat, cum vel κακκείοντες non abſque omni motu decumbant.

Nonnulli quoque diris oris ventriculi cruciatibus excarnificantur. Τὸ δὲ, inquit Gal. in Prognoſt. com. 3. ſent. 30. τῆς γαστρὸς στόμα καλεῖται δὲ τοῦτο, ὡς ἴσμεν, καὶ καρδία, διὰ μέγεθος ὧν ἔχει νεύρων αἰσθητικῶν, οὐδὲν λανθάνει τὴν καθ' αὐτό. Vnde ipſe aduectus καρδιαλγία & καρδιωγμὸς nominatur. Nam idem eſt apud Hippocratem καρδιώσσειν & καρδιαλγεῖν: vt videre eſt apud Gal. 4. aphor. 65. Hic dolor à ſuccis mordentibus prouenit, iuxta Gal. 1. de ſympt. cauſ. cap. 7. & com. 3. prognoſt. ſent. 30. δακνόμενον γὰρ ὑπὸ τοῦ πικροχόλου χυμοῦ, τὸν καλούμενον οὕτω καρδιωγμὸν ἐργάζεται, διὸ καὶ χολώδης αὐτοῖς ἔμετος γίνεται. Τοῖουτον γάρ καὶ ὁ Θουκυδίδης ἐδήλωσεν, ἔνθα φησὶ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν ἐστήριξε, ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς, ὁπόσαι παρὰ τῶν ἰατρῶν ὀνομασμέναι εἰσὶν, ὑπῄεσαν. Τὸ γὰρ

ἀνέστρε-

ἀνέστρεψεν ἀπὸ τῆς πρὸς ἔμετον ὁρμῆς εἶπεν, εὐθέως γὰρ καὶ καρδίαν ὀνομάζας τὸ στόμα τῆς γαστρός. διὸ δὴ καὶ τὰς δήξεις αὐτοῦ, καρδιωγμοὺς τε καὶ καρδιαλγίας ὀνομάζουσιν. Fit, vt mordens biliosus humor, cardiogmon, id est, cordis seu oris ventriculi morsum committat: & ob eam rem biliosa vomitio eis accidit. Tale enim, etiam Thucydides indicauit, dum ait: &, cum in cor inhęsit, subuertit id, ac purgationes bilis, quæ à medicis sunt appellatæ, subierunt. Verbum enim subuertit de impetu dixit in vomitionem, statim enim nominans cor, ventriculi ostiolum, & ob eam rem morsum eius cardiogmus & cardialgicis appellitant. Et 8. method. medend. cap. 2. καρδιαλγίαν, id est, cordis dolorem sentire, scribit eos præsertim, qui sunt πικρόχολοι, quasi amarę bilis homines, ab redundante scilicet succo nominati. Nihilominus autem dolor ab aliis lancinantibus & maligna qualitate imbutis succis contingere potest. Hinc Gal. lib. 1. de humor. com. 1. scribit, cardialgiam à sero sanguinis occupante os stomachi generari. Et 3. de facul. nat. cap. 12. à segregatione & expulsione alienorum cardiogmum oriri censet. Sed locus euidens est 1. de sympt. caus. cap. 7. sunt occasiones, ait, quæ animal ad cardialgiam & cardiacam syncopen ducunt, non paucæ: nam & valida refrigeratio, interim quidem ipsa per se, interim vero ex pituita, quæ admodum sit frigida, (est autem talis maxime, quæ fuso vitro colore ac consistentia sit similis, quem vitreum succum Praxagoras & Philotimus nominant:) non minimæ vero ex spiritu, qui flatuosus sit, idemque frigidus, aut ex potu, aut ex cibo, aut medicamento aliquo, quod valde sit frigidum, non solum ipsum os ven-

ventris perfrigerat, ſed etiam vna cum ipſo per neruos quidem cerebrum, per magnam vero arteriam cor ipſum frigidum reddit. Sic in Scorbuto enormi βαρυπενθεία adficit frigidus humor oris ventriculi neruos: qui à ſepti neruorum cerebri paris oriuntur portionibus variis ſurculis, quæ neruos recurrentes emittunt, ramuloſque cordis inuolucro & pulmoni largiuntur. Neruis autem frigus eſt inimicum: cum ipſi ſint frigidi & exſangues, iuxta Auic. lib. 1. ſen. 1. doct. 3. cap. 2. & Galen. 2. de facul. natur. cap. 3. Nec nauci eſt hoc malum: cum ex eo ſequatur præceps caloris & ſpiritus exſolutio. Hinc Aretæ. lib. 2. de ſign. & cauſ. cap. 3. τὶ δὲ καρδίης ἄλλο κυριώτερον ἐς ζωὴν ἢ ἐς θάνατον. Et: Τόδε τὸ πάθος, λύσις τῶν δεσμῶν τῆς εἰς ζωὴν δυνάμιος, ἀντίξουν τῇ συστάσει τοῦ ἀνθρώπου ἐόν. Nec eſt mirandum, (inquit Galen. 1. de ſympt. cauſ. cap. 7.) Si oris ventris dolores, tum animi deliquia, tum virium defectus, comitantur. Vbi enim ex digiti ad aliquid offenſione, videntur aliqui animo linqui, mirum profecto non eſt, ex ſtomacho id pati, & propter eximium eius ſenſum, & quod ſitus ſui vicinitate, duo principia promtius in ſocietatem doloris adſciſcere poſſit. Maximaque ſymptomata, maxime ſenſibiles ſtomachos ingerere depræhendas: vtpote, qui magis, quam alij, ex quolibet infeſtante contriſtentur: eoſdem etiam vtrique principio ſuam offenſam tranſmittere inuenias. Et ſtatim ſubdit, maxima fieri ſymptomata, cum adfectus, qui ſtomacho nocet, vehemens eſt: cum ſenſus ſtomachi maxime eſt acer: cum neruorum, arteriarũue genus eſt imbecillum:

adhuc etiam vel cerebrũ ipſum, vel cor infirmum: Quaſi cauſas omnes cum Scorbuti μοιρηγέτης plerunque ſatellites habeat, non eſt mirum, cur Scorbutici καρδιώσσοντες & καρδιαλγέοντες quandoque euadant βαρυσυμφορώτατοι creberrimæ.

Quibuſdam inſuper Scorbuticis toto morbi decurſu aluus adſtrictior exſiſtit. Supra 8. demonſtratione diximus, melancholicos raro lubricum habere aluum: cum maior pars materiæ potulentæ à liene attrahatur, minima vero ad inteſtinorum colluuiarium remeet: vnde hæc aridiora redduntur, tardioraque ad reiiciendum: &, quæ excernuntur, ſicca fiunt, veluti quæ σπυραθώδη appellantur, quaſi caprarum ſtercori ſimilia excrementa dixerit; & quaſi in nucleum formata, quæ Græci σκύβαλα vocant: vt Gal. com. 4. de rat. vict. acut. ſent. 17. ſcribit. Sic in Scorbuto, cum materia potulenta tenuis promptius in hepar, & inde in totum corpus diſtribuatur: fit, vt πολυοψία craſſa in ventriculo hæreat: in cuius coctione cum calor incuſſum ſudet, tãtum abeſt, vt ad inteſtina tranſmittatur, vt effrenatius malum reddatur: dum reliquiæ iſtæ neceſſario obdureſcunt; quod diutius cohibitæ, caloris vi continenter ſicceſcant: & non ſolum omnis humor in aluo contentus ad hepar fertur, vnde ipſa ſiccior, teſte Gal. lib. 2. apho. 20. Sed venæ etiam meſenterij in tenuia & craſſiora inteſtina diditæ, nonnihil ſucci ab his ſemper exſugunt. Vnde ſubſidunt & in ſeſe magis cõguntur excrementa, vt quandoque toforum duritiem in anfractibus inteſtinorum nanciſcuntur. Cuius rei exempla Fernel. lib. 6. de part. morb. cap. 9. recenſet: in quibus inteſtina, colum præſertim, adeo in-

fracta fuere pituita concreta, vt solida prorsus censerentur; nihilque omnino fæcis in aluum dilabi finerent. Et in quibus crassior pituita in cæci aut coli intestini cellulis diutius coercita nonnunquam concreuit, in calculos, instar nucis iuglandis, & magnitudine castaneæ. Similia viderunt exempla. Rasis lib. 10. cap. 2. litera X continent. Æginet. lib. 3. cap. 41. Gentil super Auic. lib. 4. sen. 1. tract. de febre Sextana. Sauanarol. tract. 6. cap. 16. Rubric. 19. Paracelf. lib. 3. Paramicor. tract. 2. Gemma lib. 2. Cyclognom. pag. 76. & lib. 2. cap. 6. Cosmocrit. Gordon. partic. 5. cap. 18. practic. Guayner cap. 1 tract. de calculosa passione. Francisc. Pedemontan. cap. 3. summa 1. partic. 4. addit. ad Mesuen. Brasauol. cõ. ad aphor. 79. lib. 4. Hipp. Capiuac. item lib. 3. practic. cap. 13. & Wierus lib. 4. de præstig. Dæmon. cap. 16. nec non Mercur. lib. 2. de excrement. cap. 4. qui in Frisimelica viderunt lapidem intestinorum magnitudine oui gallinacei. Quod tamen Gal. lib. 6. de loc. adfect. cap. 2. se nec vidisse, neque alium, qui viderit, vnquam audiuisse testatur. Sic Spagirici dicunt, tartarum in intestinis coagulari à sale in lapillum, grandinem aut vsneam, & dum non expellitur, adhærere plicis, & ad modum muccaginis tartareæ ponticis & acetosis spiritibus in colica permistæ, stiplicitatem inducere: contra si resoluatur, alui fluxum ciere, sine dolore quidem, si tartarum sit dulce, si vero acre, cum dolore: quo enim plus salis tartarum est sortitum, eo truculentiora excitat tormina.

Quandoque tamen aliqui Scorbutici fiunt forioli, & βορβορυγμοὶ ἔξεις cum πολυκτημοσύνη feri tanta in ventriculo est: vt neque à lienis, neque ab he-

patis tubis abſorberi poſſit: ideoque ad Augiæ ſtabulum ὑποδυσώδης amandatur, vel ſponte prolabitur: vnde celer exitus, cuius inſeparabile ſymptoma eſt deiectionis humiditas, dicente Galen. lib. de ſympt. differ. cap. 4. Quandoque humor Scorbuticus locuplete congerie in hepate coaceruatur, vt & ὑποκατάβασις eius ad cyſtim fellis fiat, quæ per tortuoſa incilia cũ bile ad inteſtinum duodenum non procul à ieiunij principio depellitur. Nonnunquam Scorbuticorum deiectiones ſunt λειεντερίαι, ταχεῖαι τὲ, καὶ κατὰ παντὰ ἀμετάβλητοι τῶν σιτίων διαχωρήσεις: vt Gal. part. 3. aphor. 22. definit: cum inæqualia & diſſimilia profluunt, in quibus cibi nec obtriti, nec confecti ſubſtantia aperte cognoſcitur, δι' ἀρρωστίαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως: vel a frigida pituita, vel à ſola intemperatura, quæ vim alui contentricem reddit imbecillem, obſeruatione Gal. 3. aphor. 30. vel cum ventriculus prorſus non complectitur cibos, de ſympt. differ. cap. 4. item, cum expulſio, quæ conſuetum præuenit tempus, vel degrauato ventre, veluti à multo aſſumpto, vel demorſo & compuncto, veluti à mordacibus, vel tanquam alienum ac minime familiare amoliente, incidit: vt Idem 3. de ſymptom. cauſ. cap. 2. cenſet. Quæ omnia in Scorbuto διέξοδον alui ταχεῖαν ciere poſſunt. Sed noctuas Athenas: cum ſupra in 8. argumento accuratius iſta ruminati ſimus.

Exagitat præterea multos motus aggrauans quarto, quintoque, pleroſque tertio die, paucos quotidie: adfinis iis febribus, quæ à complicatis ſymptomatis ἀσώδεις nuncupantur: in quibus æ-

gri

gri ἀσῶνται, id est, grauiter adficiuntur, atque implacite, molesteque habent: vt Gal. 4. de vict. rat. in acut. com. 47. scribit. ἀσᾶσθαι autem, (vt Idem ἐν ταῖς γλώσσαις interpretatur:) significat apud Hippocratē τὸ τε πυρέσσειν: ignescere siue ardere: (hæc enim lectio cōcinnior quam πλυρέσσειν:) vt in 1. de morbis mulierum: καὶ τὸ προσκόρως καὶ ἐπαχθῶς διατίθεσθαι, fastidiosa satietate ac grauiter adfectum esse, vt in 2. de morbis maiore. Et com. 3. in prognost. Hipp. sentent. 8. ἀσᾶσθαι exponit ἀλύειν, inquietum esse: cum nempe ægri quasi animum despondentes, (quod est ἀθυμεῖν:) irrequieti, corporis iactatione, nunc in dextram, nunc in sinistram partem se vibrantes, nullo loco diu recubare possunt. Idem etiam in 1. Prorrhet. com. 2. sentent. 44. scribit: bifariam ἀσώδεις fiunt: vno modo, cum virtus à corpore grauatur, nullamque figuram facile sustinet, altero modo, cum os ventris à prauis mordetur humoribus: priores perniciose adficiuntur: nauseabundi sunt posteriores. Legitur & 4. de rat. vict. in acut. com. 47. τὸ δυσφορεῖν, quod τὸ ἀσᾶσθαι explicat. Est autem id, difficilis tolerantia atque implaciditas, inquietatioque: quæ sequitur interdum febrem stabilem & æstuosam, sæpius & stomachi quoque malitiam. Iacentes autem sese non continere, grauiter languentium atque difficulter ferentium, implacidorumq; & inquietorum nota est. Licet autem Scorbutici ab euidente febre immunes sint: tamen ἀσῶνται, dum anguntur, & enormi inquietudine fatigantur ob virtutem detruncatam. Vnde truculentum horum βασανιστήριον prædicemus. Hippoc. 1. prognost. sent. 13. inquit: cubantem offendi ægrū à medico oportet in

latus dextrum aut ſiniſtrum, ac manus, ceruicem & crura paulum reducta habentem, & omne corpus molliter poſitum. Ita enim plerique bene valentium cubant: at ita cubare, vt ſani ſolent, ſaluberrimum eſt. Cubare autem in latus, teſte Gal. in comm. idcirco bonum eſt, quia robur indicat facultatis per muſculos firmantis corpus: quomodo rurſus debilitatem, vbi cubare in latus non queat. Et ſent. 16. Hippoc. inquit: Si vero nudos habeat pedes, nec admodum calidos, ac manus, collum & crura diſpergat inæqualiter, malum eſt: ſignificat enim inquietationem. Hic Gal. addit: Si febris non fuerit calidiſſima, vna cum cæteris partibus etiam pedibus ardeſcentibus: nudare pedes, malaciæ eſt ægri vel inquietationis indicium. Porro, ſi manus quoque pariter cum ceruice & cruribus non ex more componit, ſed inæqualiter tales diſpergit partes, malum indicium eſt. Dixit enim ſignificari inquietationem. Hoc vero nomen indicat illos conflictari quauis figura, nec non alium ex alio mutare. Quod ſi te præſente iacens æger, ſtatim commutet priorem figuram ad alteram, pariter & membra diſpergat inęqualiter, vel etiã ceruicis poſiturã ſcias talem aut propter vẽtriculi vitium aut propter viriũ debilitatem inquietari. Si quis autem hanc aggrauationem alteri cauſſæ, cum os ventriculi à prauis torquetur ſuccis, adſcribere velit, non tergiuerſamur. Nos vitandæ ἀκυρολογίας gratia, de hac ſeorſim egimus. Difficilior nodi Gordonij eſt ſolutio: vnde illi circuitus, ſiue per circulum motus aggratiui in Scorbuto ab vno ſtatu in eundem certis diebus reuerſiones. In febribus periodorum στάσιν & μεταβολὴν certis humoribus imputant

tant, prout hi ſtimulum naturæ inferunt, ſuaſque ſpecificas formas, vel Attinganis, ſqualidis præſtigiatoribus, incognitas obtinent: quæ corporum cœleſtium νομοθέτημα exoſculantur. Hinc Galen. 2 de different. febr. cap. 2. ſcribit: intermittentium febrium tres ſunt omnes numero differentiæ: quotidiana, tertiana, & quartana: quotidiana quidem ex pituitæ putredine, ex vtriuſque vero bilis, flauæ quidem tertiana, nigræ autem quartana. Aſt in Scorbuto, cum iuxta porculatorum βάσανον à melancholia oriatur, quarto tantum die circuitus fieret. Atqui hæc eſt ψευδοϕημία. Νυϛακῶς igitur alia νυθέτησις accerſenda. Nobis ἔξαρχος opus eſt Galenus: qui non ſolum nos in circuitus Labyrinthi ducit, ſed etiam filo Ariadnes reducit: dum genuinas circuituum in morbis enodat cauſas, 2. de differ. febr. cap. 11. Quæcunque (inquit) per circuitus aliquos ægritudinum acceſſiones fiunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent, quæ ſcilicet membra vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel generant, vel attrahunt ſuperfluitates. Modus horum ex eodem Galeni λαμπεσφόρυ capite, Galenicis tamen plus quam Cimmeriis tenebris inuolutus & καταπνιζόμενος, indagandus. Inter potentias naturales animalia gubernãtes, & extraneorum vel quantitate, vel qualitate peccantium, expulſoria recenſetur. Cum potentiæ in membris æque valentes ſunt, & meatus, per quos materia inutilis excernitur, ſecundum naturam ſe habent, tunc membra in ſanitate conſiſtunt. Vbi vero plus abſumptum fuerit, quam poſſit alterari, ſuperfluum illud à virtute expulſoria neceſſario excernitur. Si virtus imbecilla eſt, ſuperfluum in eodem reſidet loco: quod

ſi multum eſt, grauat & extendit: ſi acre: exedit ac mordet: ſi calidum: calefacit: Si frigidum, refrigerat. Hoc, quia per meatus deſtinatos non excernitur, à fortioribus partibus tanquam inimicum ad imbecilliores detruditur, & ab his ad alias, donec in debiliſſimas incidat: vbi manet: nec ad fortiores relabi poteſt. Vnde partes imbecilliores variis adfectibus obnoxiæ ſunt. Eadem ratio eſt, cum materia inutilis à partibus, quæ vel calidiores ſunt, vel dolent, attrahitur. Quod autem vel melius, vel deterius influit: ex partibus mittentibus pendet: quod plus, vel minus, ex mittentibus & recipientibus ſimul. Nam vehementiores calores & dolores vehementius attrahunt: parteſque materiæ inutilis copiam habentes, tanto ingerunt amplius, quando plus à naturali modo receſſerunt. Et hæ fluxiones ſine partium recipientium imbecillitate fiunt: aliæ vero & propter recipientium imbecillitatem, & propter mittentium robur generantur. Aliquando ſuperfluitas à parte tranſmiſſa, quantitate & qualitate recipientis partis potentiam lædit: nonnunquam vero neque qualitate neque quantitate ſuſcipienti corpori obeſt. Si ita lædit potentiam, vt hæc diſſoluatur, humores corrumpuntur neceſſario: Si vero non penitus diſſoluatur, diſſolutionis magnitudini corruptionis magnitudo reſpondet. Si iam potentia partium adeo valida eſt, vt humoribus corruptis à calore attenuatis, eorundem ſubſtantia in ambientem aerem diſſipetur, ſuperfluitas exigua remanet in craſſioribus humoribus, in ſeroſioribus nulla. Si pars ægra nullam imbecillitatem contraxerit, neque nouæ ſuperfluitates immittantur: morbus finitur. Quod
ſi cauſa

si causa fluxionum manente, nouæ superfluitates immittantur, aut si absque his sola remaneat potentiæ imbecillitas: circuitus alij fient. Si vero, robusta partis potentia, tempore intermedio in partibus transmittentibus nouæ superfluitates aceruantur, & qualitate & quantitate prioribus similes: cum scilicet eadem est partium mittentium dispositio, eadem eiusdem alimẽti quantitas, qualitas & alteratio, vnde eædẽ etiã superfluitates, & ex eodẽ nutrimento, qualitate & quantitate eadẽ excrementa eodem tẽporis termino cumulata: idem quoq; erit circuitus ad eas expellendas in debiliores partes: quamprimum nempe vis excretoria superfluitatum multitudine aggrauatur, aut qualitate stimulatur. Donec autẽ humor similis fuerit, atque eadem dispositio partiũ mittentium, tãdiu superfluitates & tempore ęquali, & similes atq; æquales aceruabuntur, similesq; fient ęgritudinũ circuitus. Si vero pars mittens ita fuerit adfecta, vt ex alimento talem ac tantam, statuto tempore cõtrahat superfluitatẽ, ac deinde à se repellat, quamprimum ab hac insigniter lædetur, tunc per circuitũ exacerbationem sentiet membrum illud, in quod superfluitas detruditur: quod mẽbrum nullo tunc præcipuo laborat adfectu, nisi, quia partibus illis, quæ superfluitates transmittunt, eo tẽpore sit imbecillius. Nec iisdem statutis temporibus omnes superfluitates aggregãtur: non enim sanguis, qui ad partes ꝑ alimẽto defertur, semper vsquequaq; similis exsisti: nec partiũ ex eodẽ alimẽto nutriẽdarũ eadẽ est dispositio: aliud alij sufficit tẽpus ad tantã super fluitatẽ aceruandã, qua primũ q̃dẽ lęsa mẽbri natura, cogitur id, ꝙ infestat, à se detrudere. Sic nec ęqua

eſt acceſſionum longitudo: non enim eadem eſt ſpecies, neque multitudo eadem ſuperfluitatum, neque eadem exacerbatio, aut diſſolutio. Si enim plura ſunt, frigidiora, tenaciora & craſſiora excrementa, longiores fiunt acceſſiones: Si pauciora, calidiora & ſubtiliora, breuiorès. Si etiam corpus rarius ſit, cumque quod per ipſum defertur, non retinet, breuiores ſui ratione reddit acceſſiones: Si ſpiſſius, lõgiores, cum propter meatuũ anguſtiam, quæcunque feruntur, retineantur. Potentiæ item robur, minus diuturnas, imbecillitas eaſdem longiores creat. Quo enim vegetior eſt potentia: eo promtius aliena à ſe repellit. In ſumma: longiſſima fit acceſſio ob materiæ inutilis multitudinem, craſſitudinem & lentorem, potentiæ imbecillitatem, & meatuum anguſtiam: breuiſſima propter materiæ inutilis ſubtilitatem, paucitatem, & potentiæ vigorem, ac meatuum laxitatem. Quando item prioris acceſſionis tempus adeo breue fuerit, vt, antequam ſecunda ſuperueniat, iam prima quieuerit: omne id temporis ſpacium, quod ſecundæ principium & primæ finem interiacet, ſiue paroxyſmo eſt. Si vero ſecunda inuadere anticipauerit, priuſquam omnino prima ſoluatur, nullum interuenit medium. Et hoc fit, cum partis recipientis potentia ſanguinem in membro contentum vincit. Quod ſi imbecillior eſt, ſanguis cum materia inutili corrumpitur: atque hinc aliud principium acceſſionum oritur, quæ per circuitum fiunt. Similiter & membrum recipiens, ſuperfluitates in ſeipſo generat: & quia corruptos continet humores, & quia potentia eſt imbecillis: ob quam debilitatem adiacens ſanguis aliquando parti potius eſt
onus,

onus, quam alimentum: vnde necessario corrumpitur, & morbos infert pio naturæ & velocioris alterationis ratione. Et quæuis pars, cum superfluitates in se genitas neque coquere, neque ad aliam partem a se detrudere potest, vel propter mittentis & recipientis partis potentiam, vel propter meatuum à lentis & crassis humoribus obstructionem: sibi ipsi principium ægrotandi constituit tale, quale ea, quæ transmittit, alteri adfert. Vnde non solum hæ superfluitates corrumpuntur, sed etiam parti, cuius euacuationem & difflationem prohibent, superfluitatum multitudinem coaceruandi ansam præbent. Hinc & alia, quæ colliguntur in ipsa, corrumpuntur. Circuitus porro fieri non desinunt: donec in prima particula superfluitates generante seruatur adfectus, imbecillitas scilicet partis generantis superfluitates, & ex his quotidie genitis, natus aduectus. Neque illa dispositio solui potest, cum vniuersum corpus multis & vitiosis humoribus oppletum est, & simul adest meatuum, per quos membri superfluitates excernuntur, adstrictio. Solers etiam βιομηχάνων Chymicorum est ἰσοψηφία. Prædestinationes ac scientiæ morborum, si in permanentibus tincturis fundantur, & matricē sortiuntur, in qua spiritus mechanici cum spiritibus impuritatum confluant, fructus protrudent seminibus domesticos, & per tincturarum impressionem, transplantationem. Fructibus his vigore balsami innati vnica vice exhausti, integritatem spiritus recuperant: Si vero radicum prædestinationes vnica fructuum profusione exhauriri nequeant, impuritatum tincturæ cum spiritibus mechanicis ventriculi confusæ, excusso Balsami

interni ζυγλοδέσμῳ fœcundę morbidos transplan-
tationis fructus assidue proferent, & διακόσμησιν at-
quelithurgiam facultatum humani corporis im-
pedient. Hinc impuritas opportunitatem nacta,
commeatum ἔνασπερμον spiritibus suggerentibus,
radices in anatomia partium & excrementorum
collocabit: & post continua nutricatione prædede-
stinationes incrementa sument, donec digestis
temporibus absolutis, paroxysmos generationum
satellites offendant. Nonnulla semina, in qui-
bus proprietates trium principiorum Martiales,
impetuosæ, celeres & momento vniuersas latebras
perrepentes, delitescunt præcipites producunt ef-
feruescentias, quamuis longa habeant digestio-
num silentia: quædam vero proprietates langui-
diores obtinent, quæ scilicet completa circulatio-
ne ad superiorum graduum fastigia, non reducta
sunt, & in superficie impuritatum modo stabulan-
tur: Vel quæ elumbes spirituum prædestinationes
sortita sunt: sicuti nec omnia astra potestate Mar-
tis insignita sunt, nec omnia mineralia arsenici vi-
rus imitantur. Tincturæ præterea perniciosæ, licet
in digestione semina fermententur, mixtione alio-
rum temperatæ, truculentiam remittunt, si præser-
tim nec satis exaltatæ, nec ad subtilitatem, potesta-
tis auctorem, reductæ sint. Durant autem sympto-
mata, donec exhausti sint fructus, quos certa reuo-
lutione & περιδρομῇ ad generationem destinarunt
radices, recidiuisq; generationibus præfinitis tem-
poribus, debitum naturæ absoluunt. Gradus porro
ἐπεξελύσεως vel ἐπιχειρήσεως tincturarum tum ex
spirituum potestate, tum ex vlteriore circulatione
exaltationeque resultant. Hanc ambrosiæ Galeni-
cæ &

cæ & Chymicæ medullam, si Galenici intellectus cynosura trutinarent, non duntaxat quotidianas, tertianas, quartanasque, sed etiam quintanas, septimanas & nonanas febres ciuitate medica donarēt, cum Hippoc. 1. Epidem. com. 3. sent. 2. 7. & 9. nec non viderent, qua fronte possit καταπαρδεῖν Galen. scribens lib. ad eos, qui de typ. cap. 2. Sed dicit forsan aliquis recentiorum horum Sophistarum, etiam per quintam periodos quasdam fieri, & per sextam, & per septimam, nonnullasque alias ad multos vsq; dies extendi: quos reuera beatos prædicare ob admirandam intelligentiam, licet, si non adsequuntur ex his, quæ dicunt, se totius de typis operis vtilitatem è medio prorsus tollere. Sic & in Scorbuto motus aggrauatiui variis diebus in variis ægris per certas periodos redeunt, non quod humor sit diuersus in his, diuersus in illis, sed pro vario statu partis humorem enitentis, amandantis & hospitantis, item pro varia commeatus Scorbutici πλησμονῇ & conditione, ac incilium aptitudine. Vnde tertiani, quotidiani, quartani, quintanique circuitus, quatenus ad humoris indolem minime gentium inter se differunt: licet φθισύνωρ hic modus ac ἀξύνετης tyronibus medicinæ vbique hactenus obtrusus sit. Quæ etiam vel curtas vel longas accessiones reddunt: quemadmodum facile intelliget is, qui hæc ad Galenica accommodabit, necessario labore, non solum ad Scorbuti aliarumque inualetudinum, sed ipsarum quoque febrium periodos eruendas: in quibus plurimi Encyclopædiæ hæredes hallucinati sunt. Quanquam quid mirum? οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδον φύεται.

Non-

Nonnullos etiam Scorbuticos videas febre lenta & erratica correptos: at rariſſimæ: quia ἰχῶρ πυρὶ πολεμιώτατος: cum τῷ πυρὶ οὐκ ἀγαθὴ τροφὴ ὁ ὕδρωψ: vt ſupra demonſtrat. 10. ex Hipp. lib. 4. de morbis probauimus. Vbi etiam diximus, non prius poſſe eiuſmodi febrem fieri, quam caleſcente ſanguine exhalet maxime aquoſus humor, relicto leui, pingui & bilioſo, qui præcipuum eſt febris nutrimentum. Quanquam & hanc febris rationem adferre poſſimus: quod ſeroſus humor, cui omnis præcluſus eſt exitus, in corpore comperendinans, præternaturalem acquirit æſtum, qui cordi etiam communicatur. Quod nonnunquam hydropicis quoque contingit: quibus ἐπιγάστριον turget aqua per μόλυνσιν ex refrigeratione iecoris, & venoſi generis procreata. Lenta autem eſt hæc febris ob ſeri naturam bili infeſtiſſimam & crudam, cui calor ob σβέσιν cespitans non eſt coquendo: multo minus tam cito σάθλωσιν & ὄπτησιν inducit: qui humor ob apparatum difficiliorem moram trahit, cum præſertim & hic meatuum adſtrictio, aeriſque frigidioris conſtitutio multum habeat momenti: vt Galen. com, 3. prognoſt. ſent. 29. cenſet. Febris præterea in Scorbuto inter πλανήτας recenſetur πυρετοὺς. Has Hippoc. comm. 4. εἰς τὸ περὶ διαίτης ὀξέων, ſentent. 52. ἀκαταστάτους nominat: in quibus, (vt Galen. exponit) nihil καθεστικὸν, id eſt, conſtans, quietumque exſiſtit: quod ſignificat τὸ βέβαιον, id eſt, certum, compertumque. Formam ergo talis febris inconſtantem eſſe ait, quod idem eſt perinde, atq; ſi diceres, non exacte formam vnam ſeruantem. Huius acceſſiones nullam proportionem habent, nec ſtatutum repetitionum tempus, vt quo-

vt quotidianæ, tertianæ, quartanæue periodi: immo & in remittendo carent ordine. Erroris causas Galen. 2. de differ. febr. cap. 11. describit his verbis: Earum febrium, quæ ordine carent, nonnullæ ex transmutatione humoris, nonnullæ ob victus errorem ad talem dispositionē deueniunt. Maxime igitur transmutatur, atque in alteram naturam transit sanguis, cum putrescit. Nam pars vna sanguinis fit flaua bilis, alia nigra. Quantum vero in ægrotantium corpore humores mutantur, tantum etiam accessionum circuitus. Quare nihil etiam mirandum est, si in huiuscemodi mutationibus ordo accessionum euariet. Hanc causam luculentius enodat 3. prognost. sent. 27. Generatio inquit, atrabilarij humoris duplex est, tum ex sanguine crassiore, qui respondeat proportione in venis subsidenti in dolio vini fœculæ: tum etiam flaua bile vehementer assata. Hæc igitur atra bilis alioqui malefica est, ac derodit partes, in quibus abunde collecta est: altera vero atra mitior, quam hæc est: Sed potissimum, quoties nondum traxerit in animali moram, aut cum aliquo colore abundanti & præter naturam commercium habuerit. His igitur ita habentibus, quoties febris continua fuerit, quod est, non desinens ad integritatem ad abscessus vertitur, diutius immanens, Ac si intermittit, atque id ipsum potissimum euenit per æstatis finem, verti morbum ad circuitionem quartanam ratio est. Quantum enim humorum ferbuit æstiuo tempore per febres continuas, ac desiuit in atram bilem, quodam modo restinctum est: proindeque calore febrifico æger vindicator, maximeque quoties sudores superueniunt.
Sed

Sed si non antea natura quodã modo excernat veluti cinerem vehementer assatorum humorũ, hic rursus permanens in corpore & calescens, putrem quandam recipit adfectionem: idque quoties ei accidit, feruendo exitat febrem: à qua rursus eueniente sudore, pariter cum eo, quod ferbuit atræ bilis, euanuit: tum rursus aliæ reliquiæ feruentes, rursus alteram excitant febrem. Ceu igitur nondum vnam habeat omne corpus adfectionem, sed atra bilis in quibusdam partibus insuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in aliis putreat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres necesse est. At vero, quoties in cunctis venis eadem fiet adfectio, exsuperante atra bile, quartana consistit febris, maximeque quoties æstatis conuersio in autumnum extrorsum delationis ac spirationis prohibet humores, introrsumque auocat in profundum: quam hyems adfectionem excipiens, vtpote intendens præ frigore delationem introrsum humorum, rursus ad alteram vsque mutationem inhabitam calidiorem, in quo morbus cæpit adseruat corpus. Ex hisce plerique adsertionis suæ adstruunt fundamenta: qui errantes febres soli melancholico humori acceptas ferunt. Et, si quis hæc ad Scorbuti febrem vagam conetur reducere, operam & oleum perdet. Etiamsi enim largiremur ipsi, Scorbutum esse melancholiæ sobolem: quæcunque tamen iam ex Galeno attulimus, nequaquam frigidæ isti adfectioni accõmodari posse, vel is depræhendet, qui saltem per transsennam Scorbutum intuebitur. Nulla ἰσονομία frigidi Scorbuti aquarij cum assatis febrium succis. Nam toto cœlo distant μόλυνσις & ὄπτησις. Verũ ne in nos versus

ſus Theocriti in Bucoliaſtis torqueatur: καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει: actutum alio ſcapham dirigamus, remigium poſcentes à nauclero Galeno: cuius ac portuani ope, non ita pridem in vaſto circuitum febrilium Oceano circumuagátes, portum appulimus. Hic κυβερνήτης nunc quoque aptum proretam & limanarcham nobis det: qui circum errantes errantium febrium voragines, contolittus verſum nos deducunt: ne helciario ſit opus, qui lembum aduerſo amne trahat fune ductario. Nec difficile hoc eſt. Nam, in quo cardo rei vertitur, id ex doctrina periodorum febrilium è Galeno tranſſcripta patet. Eo etiam nos ablegat Idem Galen. 2. de differ. febr. in poſtrema poſtremi capitis parte, vbi ait. Illa quoque non parum eſt varietatis cauſa: quod, qui putreſcere incipit humor in aliquo membro, alter exiſtit: alter vero ex aliis defluit partibus, qui vel in ipſis ſolis continebatur, aut in vniuerſo corpore animalis retundabat. Vbi febrium errorem errori humoris acceptum refert, prout corruptus eſt, vel corrumpitur, & ſic diſſimilis exſiſtit in corruptione, quo ad tempus: hincq; vel quantitate vel qualiate varia præditus, varie mouetur: pro variis partium diſpoſitionibus, quæ vel mittunt vel ſuſcipiunt, vel generant, vel attrahunt ſuperfluitates: quæ iam in hoc membro quieſcunt, in alio concitantur, prout partis expellentis robur diſſimile eſt. Sic & quæcunque, (vt recte pergit Galenus) circa victus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, nihilominus hæc circuituum ordinem auertunt. Quemadmodum enim ipſis quoque ſanis victus deprauatus ægrotandi adfert

occasionem: eodem, vt arbitror, modo, vel etiam magis in laborantibus ex erroribus admissis fiunt accessiones. Non solum igitur, cum iam ægrotant, sed eo etiam tempore, quo ex morbo referuntur, quacunque ex causa promptissime offenduntur. Quodcunque igitur offensionis genus effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuersæ naturæ à prioribus oriri est necessarium, à quibus accessionum ordo peruertitur. Sic præter consuetudinem paroxysmi anticipant, cum humor augetur ex vitioso victu, excrementorumq; suppressione. Vel idem tenuior est ac calidior, aut natura aut ob cibos calidos, vini ingurgitationem, &aromata: Vel exagitatus exercitatione excandescẽtia animi, æstu, balneis. Iidẽ cũctantur ob cõtrarias causas, materia vel diminuta, vel crassiore, vel pigriore reddita. Plurimum etiam ordinem febrium turbat aeris externa constitutio. Hinc Galen. 3. aphor. 22. scribit: fiunt erraticæ febres in autumno, propter temperaturæ inæqualitatem. Quanquam dignus sit eiusdem locus 2. de differ. febr. citato capite, qui asterisco notetur: Sæpius vero, ait, ob circuituum complicationem, quæ à medicis ignoratur, videntur absque ordine accessiones in ægrotantibus fieri. Sed non ita reuera res se habet, quemadmodum videtur: Sed tunc vere ordo euariatur, quando, qui febrem faciunt humores, in alteram naturam transierint, aut in victu errare contigerit. Ex his è meditullio Galenicæ prouinciæ non ἄνδ λόγυ depromtis, febris vagæ, quæ nonnunquam Scorbutum comitatur, natura καθ' ὅλυ deprehenditur: Si præsertim huc ea transferantur, quæ de periodis febrium diximus.

Vna

Vna eſt natura, vna veritas, non multa, velut hominum ingenia. Hinc etiam liquet: (Cuius rei in cauſa quoque externa. Scorbuti mentionem fecimus:) qua ratione febres Scorbutum inuehere poſſint, & quandoque eundem ſequi: non quidem felici per criſin terminatione, ſed ob ſanguinis aſſationem, viſcerum obſtructionem, nouæ colluuiei ſentinam, in qua tenuioribus abſumptis, portiones craſſiores remanent, quæ ἐμπύρευμα conceptum mordicus fouent, & venas oppilant: vnde, quia crudior & frigidior eſt humor, facultas autem partium delumbata, lentæ plerunque & ad conditionem quartanarum periodorum accedentes obſeruantur iſtæ febres: quæ aliquando etiam in Scorbuto dicto modo ſeſe exſerunt.

Amplius non ſolum diſcoloribus maculis ſumma tibiarum paſſim tinguntur: ſed etiam prauitate humoris, foras moliente cuniculum, vlcerata in cicatricem difficulter atque indecenter veniunt. Idem quandoque & in morbo, quem εἰλεὸν αἱματίτην Hippoc. lib. de intern. adfect. nominat, fit: in quo ἐνίοτε, (aliquando, non ſemper atque neceſſario:) καὶ τῶν σκελέων ἕλκεα ἐκφλυωδέες: vt 1. exercitat. πολυλόγως egimus: vbi etiam ex auctoribus didicimus, hoc ſymptoma lienoſis familiare eſſe, vt vlcera in cruribus perægre cicatricem admittant. Quidam βορβαροταράξιες, materiam iſtorũ vlcerum cancro quidem elephantiaſique benigniorem eſſe, efferatiorem tamen melancholia rentur: quorum vtrumq; naturæ humoris adſcribunt: at vberiorem πολυιδρίας συζήτησιν floccifaciunt. Ronſeus πολυσχεδῶς ſe torquet, in vlceris Scelotyrbici indagatione: qui, dum, quid ſit δυσελκὲς ἕλκος Scorbuti,

hinc inde diuagando per anfractuosum angipor-
tum quærit, tandem claudicare incipit. Licet enim
multos ex Hippoc. & Gal. corradat centones, qui
vlcera Sceletyrbica conuincant maligna, immo κα-
κοήθειαν insignem obtinere : (nam quæ vlcera o-
mnibus rite decenterque factis tamen non sanan-
tur, ea medici Græce cacoethe, nos maligna, con-
tumacia rebelliaue dicimus : inquit Galen. 4. me-
thod. medend. cap. 5.) non tamen docet, quod do-
cere conatur, cur vlcera hæc cicatrice non obdu-
cantur. Eius ματαιολογία hæc est. Vlcera Scelotyrbi-
ca sunt maligna : nam omnia vlcera ab atra bile
sunt periculosa. Cur hoc ? Quia & difficultas in-
testinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est,
cum nihil differat à cancro vlcerato, testimonio
Hippoc. & Galen. sect. 4. aphor. 24. Atra enim bi-
lis, quæ flauæ bili vehementer assatæ originem tri-
buit, est adeo perniciosa & maligna : vt & terram
excutiat, quasi æstu feruescens, ac partes corporis,
quibus adhæret longe lateque serpens corrodat.
Ibicem mulget Ronseus. Hic γεινόμεθ' ὅτε φρένας ἐνα-
λίγκιον, ὅτε νόημα: vt Theocrit. in Scuto Herculis
loquitur. Nam nobis σεμνολόγημα est, a Scorbuto
exulare atram bilem, quæ præsertim à flaua bile
impense assata oritur : cum rarissime Scorbutus
febribus ardentibus succedat, à quibus atra bi-
lis generatur : vt præcedentibus modo pagellis,
& supra in causa Scorbuti externa demonstraui-
mus. Quare, γύνς οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ, iuxta Hesiodum.
Et quamuis Ronseo daremus hoc : remur ta-
men ex tam maligna atra bile citius in Scorbuto
cancrum procreari. Et quasi non peruici perni-
ciose istius bestiæ proscriptione, præcaueri κακοή-
θεια

θεια, ac σύνήθεια induci poſſet. At Ronſſeus mox vela colligens, & καταπειραστηρίαν abiicient, ex alto in alueum relabitur: dum Sceletyrbica vlcera ad Telephia reuocat, quod Telephus in tali vlcere conſenuerit. Atqui committit elenchum peti eius, quod erat in principio: dum ne verbulo quidem ſubdit rationem, ob quam vlcus in Telepho δυσελκὲς aut κακοηθές fuerit. Sic, vt Theocrit. de Latona, καὶ πολύϊδριν ἐόντα μέγας καταδεσμὸς ἐρύκει. Arbitramur, raro Scorbutum pullulaſcere vlcera: longe enim frigidior eſt humor, quam vt cutim exulcerare poſſit. At Hippoc. lib. 2. Epidem. ſect. 1. inquit: οἱ δὲ ἀπὸ σπληνὸς μελάντεροι, καὶ ὕδρωπες, καὶ οἱ ἴκτεροι, καὶ αἱ δυσελκίαι τῶν ἑλκέων, τῶν ὑποφακωδέων, καὶ τὸ δέρμα καταῤῥήγνυται, καὶ τὰ χείλεα, οἷος Ἀντίλοχος καὶ Ἀλεύας, τὸ ἀπὸ τῶν χυμῶν τῶν ἐκ τοῦ σώματος τοῦ ἁλμώδεος: ab humoribus ex corpore ſalſuginoſo. Serum igitur, vt exulceret tibias in Scorbuto, ſalſuginem contrahat, neceſſe eſt. Hæc fit, cum partes tenuiores à calore reſoluuntur, extenuantur aduruntur que, craſſioribus relictis: quas cum color concoquere nequit, magis magiſque adurit. Hinc ἔν τε γὰρ τοῖς σώμασι τὸ ἀπεπτότατον, ἁλμυρὸν καὶ πικρόν: ait Ariſtot. 2. Meteor. cap. 3. Quod declarat exemplo maris: τοῦ γὰρ ὕδατος περὶ τὴν γῆν περιτεταμένου καθάπερ περὶ τοῦτο ἡ τοῦ ἀέρος σφαῖρα, καὶ περὶ ταύτην ἡ λεγομένη πυρὸς: (τοῦτο γὰρ ἐστὶ πάντων ἔσχατον) φερομένου δὲ τοῦ ἡλίου τοῦτον τὸν τρόπον, καὶ διὰ ταῦτα τῆς μεταβολῆς καὶ γενέσεώς τε καὶ φθορᾶς οὔσης, τὸ μὲν λεπτότατόν τε καὶ γλυκύτατον ἀνάγεται καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν: καὶ φέρεται διακρινόμενον καὶ ἀτμίζον εἰς τὸν ἄνω τόπον. Et ca. præcedente: τὸ ἁλμυρὸν ὑπομαίνει διὰ τὸ βάρος; τὸ δὲ γλυκὺ καὶ πότιμον ἀνάγεται διὰ τὴν κουφότητα: καθάπερ

ἐν τοῖς τῶν ζώων σώμασι. καὶ γὰρ ἐν τούτοις τῆς τροφῆς εἰσελ-θούσης γλυκείας, ἐ τῆς ὑγρᾶς τροφῆς ὑπόστασις καὶ τὸ περίττω-μα φαίνεται πικρὸν ὂν καὶ ἁλμυρόν. Τὸ γὰρ γλυκὺ καὶ πί-μον ὑπὸ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ἑλκυσθὲν εἰς τὰς σάρκας, καὶ τὴν ἄλλην σύστασιν ἦλθε τῶν μερῶν, ὡς ἕκαστον πέφυκεν. Eiuſdem prorſus dogmatis patrociniũ ſuſcipiunt Paracelſici: Balſamus ſanguinis, carnium & ſynouiæ potentibus ſalium tincturis pollet: quemadmodũ viſcera bolaribus, ſulphureis & cachymialibus, ſiue manifeſto ſpirituũ corroſiuorũ συγκρητισμῷ. Hæ ſalis tincturæ dulces ſunt, conſolidant, & συνδημέρδισιν vnitatis cuſtodiunt: nutriunturque vaporoſis ſpirituum tincturis, in quibus ſalium vitalium σύγκριματία, impuritatibus analogis permixta delitelcit. Secluduntur deinde impuritates ſalſæ ab alimentorum ἀπορίᾳ, & coagulationem, ſed reſolutam nanciſcentes, per vrinas vt plurimum, ſæpe per ſudorem, iuxta Paracelſ. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 1. cap. 9. & inſenſilem tranſpirationem expelluntur. Si vero in Mumia ſanguinis, carnium, ſynouiæ, præuaricationes ſeparationis expulſioniſque contingunt, relicta πονηρίᾳ ſalium corroſiuorum ſcientiis ac prædeſtinationibus inſignita, pro tincturarum ſeminum corroſiuorũ ἀλλοιώσει, radices introducent tranſplantata Mumia, & continua nutricatione ex ſimilibus impuritatibus in partibus, digeſtis generationum temporibus, fructus prodeunt radicibus conſentaneos, fructuumque etrudent...

Moducationes domeſticis partibus concedere. Modum Paracelſ. 2. chirurg. Magn. tract. 2. cap. 6. ſic declarat. In homine, inquit, Sal, qui Balſamus eſt, exſiſtit, qui corpus conſeruat, cum excrementa ſua per poros deponit: quod ſi pori illi obſtructi ſint

ctiſint, vel natura non excernat, corruptio quæ-
dam ſubſequitur: nam illa excrementa intrinſecus
in lacertorum cauitates decumbunt, ac cum iis in
locis propter calorem coagulari in turbinem non
poſſint, reſoluuntur, & ab intra exteriora verſus
rodunt, ac depaſcuntur circumiectis partes, donec
ad cutem peruenerint, ibi demum vlcuſculum vel
puſtulam faciunt, quod ſenſus iudicio leuem cura-
tionem requirit: at vbi curationem aggreſſus fue-
ris, tum demum morbus ſe prodit, intus baſim, ex-
tra conum oſtendens. Idem rem exemplo concin-
ni dilucidat. Terra Salis Balſamum in ſe continet,
quæ ſi purum ab impuro ſeparet, & excrementa
deponat, contingit ea quandoque foras erumpe-
re, atque tum ab aere & ſole exſiccantur, & in nihi-
lum abeunt; ſin in terræ meatus ac rimas detru-
dantur, qua nec aer, nec calor, nec ſolis radij pene-
trant, tum formam quandam turbinatam, & ob-
longam propendentem nanciſcuntur, induran-
tur, ac in ſalem petræ mutantur. Itaque Sal pe-
træ terræ excrementum eſt ex Sale & Balſamo na-
tum. Quanquam & proprietates Salium ἠπεόστρο-
φοι ſin . Cancri radices fructuſque ſalia continent
ferrugin ea: vel plumoſum & arſenicale, vt Para-
celſ. lib. de apoſtemat. cap. 3. cenſet. Noli me tange-
re, aut lentigo praua, calepini Salis eſt ærugo: cap.
4. heryſipela habet ſal vitriolatum conſumptum.
& mineram à qua proprium receſſit balſamum &
liquor ſalis: cap. 5. herpetes, æſtiomeni, lupi radi-
cibus pollent æruginoſis, cancris finitimis, vel ſale
Mercuriali: cap. 7. hydropica vlcera aluminoſis,
lib. 2. chirurg. tract. 2. cap. 10. pruritas, ſcabies, ni-
tioſis, viriolatis ac leuioribus tincturarũ proprie-

bus, cõstant, facile resolubilibus, nisi leprosarũ tincturarũ κατακέρασις impediat. Quẽadmodum itaq; in hydrope serosus humor ob morã in sumine φλόγωσιν, & inde tantã salsuginẽ concipit, vt omentum, abdomẽ, exterranea, vterũq; exedat, ac si παρακέντησις scalpelli myrtei cuspide in peritonæo tentata esset: ita in Scorbuto idẽ humor comperendinans, hincq; feruore æstuans, potest fieri salsus. Idẽ indicat clamosa sitis, quæ aquæ inter cutẽ familiaris esse solet, teste Auic. lib. 3 fen. 14. tract. 4. c. 8. Etsi n. lõgo tẽpore, siue siti perseuerat, quando vel frigidiorẽ & humidiorẽ ventriculũ habuerit homo, & quando humor pituitosus aut aquosus exstiterit: vt Gal. 4. aphor. 19. scribit: quod de hydropicis verissimũ est: quia tñ aquea illa humiditas salsa est, acris, niderosaq;, & & mora coarctationeq; calidior redditur, fit sitis: dũ ab hac humoris cõgerie fumi calidi, salsi & nidorosi sursũ elati, os vẽtriculi & gulã exsiccãt: siue potius istã sensionẽ inducũt ex eo statu, quẽ acquirũt partes calefactione exsiccationeq; nimia: quæ proprie sitis animalis est. Et hoc respectu sitim prouenire scribit Gal. 1. de simpl. medicin. facul. ca. 30. partim humoris inopia, partim caloris copia. Serum itaq; in Scorbuto calidũ primo, deinde & salsum redditum exulcerat cutim. Difficulter aũt talia vlcera consolidantur propter continuũ salsæ pruriginis fomitẽ maxime vero seri farraginẽ: vt de hydropicis scripsit Hipp. 6. aphor. 8. τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηιδίως ὑγιάζεται. Vbi in com. Gal. addit: Docuit ipse in libro de vlceribus, non prius ad cicatricẽ perduci vlcera, quã sufficiẽter exsiccẽtur: hoc aũt nõ facile fieri in iis, quos aqua inter cutẽ male habet, ob humiditatis immoderantiã. His Cels. lib. 3. cap. 21. suffragatur. Idẽ Gal. repetit. 4. me-

thod.medend.ca.1.qui corruptus ſanguis eſt,tantũ abeſt,vt ad glutinandũ & carne implendũ ſit vtilis, vt ipſe etiã nonnunquã corpus erodat,atq; exulceret: & multus humor, cũ in vlceribus excrementa creet,ſanationem moratur. Et cap.5.ex Hipp.lib.de vlceribus. Sic cũ vlcus ſano vicinius eſt,humidũ vero non ſano: vlcus n. humidũ eſt, ſanum aũt ſiccum: ideoq; totius vlcerũ curationis finem ſiccationem ſtatuit. Et rurſus: Si quod coire neq̧t,humecta caro in cauſa eſt:ſiquidem vlceris, qua vlcus eſt,ſanatio, mediocris ſiccatio eſt: Itẽ: vlcerum,q̃ citra aliũ adfectũ conſiſtunt, ſanandorũ ratio in ſiccando conſiſtit:quod etiã lib.5.c.12.ſentit.Sic Celſ.lib.5.c.26. ſcribit: ἰχὼρ tenuis, ſubalbidus ex malo vlcere exit. De iiſdẽ vlceribus ita Paracelſ.lib.2.chirurg.Magn. tract.2.ca.10.opinatur.Sunt vlcera,quę primũ cum tumore ac inflatione ſiue calore & eroſione ſe produnt. Primum enim tibiæ in tumorem humidum attolluntur, humor is facile exſiccationẽ admittit, ſucceſſu tamen tẽporis putreſcere incipiens,ex qua putredine poſtmodũ fœtor,ac fluor,vlceraq; oriũtur. Vlcera hæc alumini cõparantur. Etſi enim per illud neq; tumor,neq; putredo cauſſatur:immo ad eorũ curationẽ nõ mediocre auxiliũ præſtat: tamẽ eaten⁹,qua calore quodã participat,putredinis cauſa fieri per accidẽs poteſt: omnis nãq; putredo à calido eſt, & recte calor mater putredinis nũcupatur. Vlcera hæc raro dolore moleſta ſunt,inſignẽ tamẽ tumorẽ,humiditatemq; præ ſe ferunt, non in ſcirrhos, vel œdemata excreſcũt, ſed potius ex diuturna putredine inuicem ortus cauſſam præbent:ampla & profunda ſunt, non raro totũ crus occupantia, diuturna omnium vlcerũ maxime ſunt,ac ſi nõ

debitam victus rationem præscribas, fere in hydropem vniuersalem conuertuntur. In Scorbuto igitur ἕλκος tibiarum δυσαλθὲς est, ob salsi serosique humoris vbertatem, propter quam vlcus exsiccari, & sic ad sanitatẽ reduci nequit: quamuis chirurgiæ ἐπιστασία, Cynosura artis administretur. Si primum repulsionis finem perpendamus, frustra retrocessum tentabimus, licet humor inundans vnice efflagitet. Nam etiamsi adhibeamus obstruentia & incrassantia, quæ quasi obiecto obice impetum defluæ redundantię retardent, eique ad locum læsum aditum terrea consistentia præcudant: aut etiam austero sapore vasa porosq; coarctando exprimant quasi succum, eumque remeare cogant: siue denique ἀποκρουστικὰ potentissime ὦσιν procurantia applicemus: commeatus tamen Scorbuticus tenuitate & copia sua medicamentorum vim eludet. Præterea, cũ horum remediorum frigore humores repercutiantur, si leuius erit pharmacum, incassum adhibebitur: sin fortius, dyscrasiam Scorbuticæ saburræ augebit, liuore partem defœdabit, cutem grauius corrugabit, reliquum vero scirrhosum & contumacius reddet. Hinc ἀποκρουστικὰ iusto calore temperari solent, si ab infirmitate fluxio, à frigore infirmitas orta est. Quin & sic periculum est, ne in præcipua exta fluxionis μετοικεσία fiat: dum τὸ περιττὸν recurrit per eosdem tubos, per quos in crura delatus primum fuerat: quod vocabulo παλινδρομεῖν εὐρεστέπης Hippoc. lib. 2. Epidem. sect. 1. significat: vt & in com. 2. Prognost. sent. 68. vbi Gal. sic explicat: ὡς τὰ πολλὰ δὲ τὸ ἀφανίζεσθαι τὰ τοιαῦτα εἴωθε συμβαίνειν, μεταρρεόντων τῶν ἐργαζομένων αὐτὰ χυμῶν, ἤτοι γε εἰς τοὺς αὐτοὺς τόπους ὅθεν ὥρμησαν, ὅπερ ἰδίως ὁ Ἱπποκράτης ὀνομά-

ὀνομάζει παλινδρομεῖν, ἢ καὶ τίνας ἄλλους ἐν τῷ βάθει τοῦ σώματος ὄντας. Sic in Scorbuto de ægri corio ludetur ob repellentia παλινδρομεῖν inuehentia: dum recipitur ſanguis ſeroſus è minoribus vaſis membri vlcerati in maiores venas & arterias, à quibus in illa humor primum influxit. Nam enormis eſt cacochymia corporis Scorbutici: quę niſi recte euacuetur, præter retroceſſus diſcrimen, natura irritata plura ſemper loco adfecto excrementa ſuggeret. Exemplum proponit Gal. 2. de natur. human. com. 5. melius eſt, vt ſucci contriſtantes à præcipuis partibus in minus præcipuas migrent, ſed à viliſſimis in præſtantiſſimas nequaquam. Sæpius enim vidimus hominem interire, cui ſucci in dolore articulorum & podagra in artus delati, exinde expulſi, ad principem partem peruenere: & eſſe quidem vnicam ſpem ſalutis, ipſos, ſi fieri poſſit, rurſum ad artus reuocare. Cum itaque humor Sceletyrbici vlceris, medicamentorum conuenientium vſu, repelli non poſſit: quid mirum, inde vlcus humidius reddi, quia quotidie plus humoris adfluit, & ſic non curari? Idem de ἑλκτικοῖς, ſiue ἐπισπαστικοῖς, vel δξιπτωτικοῖς remediis dicimus: quæ Scorbutici vlcera nauci pendent: licet non ſolum perfrigeratas tibias ſpiritu refoueant, ſed vitioſam etiam ſaniem exhauriant, hydropicoſque exſugunt: dum dilatant poros cutis, atque ſuccos in halitus conuertunt, quibus erumpentibus alij ex profundo in ſuperficiem ſuccedunt: cum natura vacuum reſpuat. Nam ſi leuioribus pharmacis calor & ſpiritus in partem euocabitur, ab abundantia ſeri vis medicamentorum obtūdetur: Sin fortioribus, aut plus excrementorum ex hypogeo ſurdo in meſaulam

prolicietur, & sic vlceris spurcities ac νασμὸς cumulabitur: aut superstes alimentum cum exorbitante sentina, quã exterminare coeamur, eripietur. Eadem propemodum ἀραιωτικῶν καὶ διαφορητικῶν ratio est. Hæc enim attrahentibus vicina sunt: natiuum membri calorem ea parte, qua μυστικαφοὶ resoluendo deficit, corroborant, vt felicius motus attenuationis procuretur: conniuentiam corporis laxant, cutis poros rarefaciendo: tenuitate sua, quod parti inhæret, liquefaciunt: compactam materiã diffundunt, humidaq; sunt, ἀραιωτικὰ præsertim: quibus licet διαφορητικὰ calidiora deprehendãtur & siciora, non tamen immoderate id præstant, ne adustione, siccitateue nimia meatus coarctent. Vnde & vlceri Scorbutico minus congruunt: nam illud humidius reddunt, & exhalante calore partis, liuor facilius tibiis conciliabitur. Amplius μαλακτικοῖς non est opus: quorum vsus tantum in scirrhosis humoribus ex materia frigida quidem, sed crassa, lenta, dura. Scorbuti autem vlcera tenui sanie perpetuo madent. Quin minime gentium cum successu quis Sceletyrbicis vlceribus ἐκπυητικὰ applicabit: cum vlcera χειρώνια, maligna & inueterata suppurantibus magis corrumpantur, indeque humidiora euadant. Nam ἐκπυητικὰ ob temperiem calidam & vdam emolliunt potius, quam siccant. Preterquam, quod naturam frustra his medicamentis titillabimus. Ipsa enim facit pus, non quidem σήψει, vt Gal. 1. de differ. febr. cap. 6. & Hippoc. text. 10. lib. 2. de natur. hum. autumãt. Sed potius πέψει, & quidem ἑψήσει: dum partem frugi sanguinis inflammati à nauci secludit, vt illa in alimoniam cedat, hæc, cum sit περιττεύοντι, ad colluuia-

rium

rium amandetur: ſicut recte palinodiam canit I-dem Gal. lib. de tumor. præt. natur. cap. 3. & lib. de inæq. intemp. cap, 3. At in Scorbuto tibiarum calor tantopere vacillat, vt ne minimam quidem ſanguinis adfluentes partem per πέψιν alterare & reticere poſſit, qui in cutem diſſeminatus, liuidis maculis eam defœdat. Immo nec ἐκπυητικὰ, ἐμφρακτικὰ, καὶ ἐχέκολλα id præſtarent: Si indolem tibiarum percontemur. Recte enim Aretæ. 1. de cauſ. & ſign. chronic. c. 9. ſcribit: partes ἀσάρκους & cartilagineas, ſi patiantur φλεγμονὴν, non facile ſuppurare, cum ꝓpter frigiditatẽ humor à calore natiuo vinci nequeat. Quod eo magis in Scorbuti humore valet, qui à μολυνώσει oritur: quæ ἑψήσει, poris matri, ex diametro aduerſatur, Acriora itaq; lõge, quam ἐκπυητικὰ ſunt, deſiderat Sceletyrbicum vlcus remedia, quæ exſiccant, detergunt & diſcutiunt: quæ cõtraria ſunt ſuppurantibus, dũ cutis inciles repurgant, quos ſuppurãtia infarciunt: dũq; humorem in puris elixatione neceſſariũ, exſorbẽt. Quare proſiliamus ad ῥυπτικὰ, quæ ſunt ἀφαιρετικὰ τῶ ῥύπου. Hęc vlceri Scorbutico ἐπισαμένως quadrãt. Horum indoles eſt, nõ duntaxat ſordes eas detergere, quæ corruptela corporis concreſcunt, ſed etiam ſaniem exſiccare, humidũq; recrementũ, quod ſtata naturæ lege ab alimento partis reſecatur: aut aliunde illabitur. Ad particulã vlceroſam, licet nõ integra ſanitate fruatur, ſẽper quoq; ablegatur nutrimentũ, in quod cũ neq̃ illa cõcoquẽdo τελείωσιν inducere, inde excremẽta in vlcere pullulãt. Hæc auerruncãt ῥυπτικὰ, q̃ a tenuitate in ſpiraculis partiũ ſordes depopulantur, dũ humidũ exſiccant, quo ſordes quoq; craſſiores partibus ſuis continuantur. Quod niſi εὐστόχως fiat
nec

nec ſuccreſcet caro, nec glutinabitur vlcus, vel, ſi coeat, hoſpitante intus ſanie, aut recrudeſcet, aut cuniculoſum vlcus, cum oſſis aut partis enecatione generabitur. Vlcus itaque Scorbuticum, quia ἀεισὸς imber ſeroſi humoris è trua corporis ei ſuggeritur, qui priora chirurgi munia aſpernatus eſt, ſat detergeri per ῥυπτικὰ nequit: vnde fit δακρυῶδες ἕλκος, vt Hippoc. lib. de fractur. nominat. quod Tagaultio lib. 3. chirurg. cap. 4. eſt ſanioſum & virulentum, in quo virus, hoc eſt, tenue quoddam ac liquidum excrementum, quod ſanies proprie Latinis appellatur, citra eroſionem abundat Cum ergo in vlcere Sceletyrbico πλάδον, (ſic ſuperfluentes humores Hippoc. appellare conſueuit, ſiue ex tenuibus, ſiue ex craſſioribus humoribus conſtent, teſte Gal. com. 3. lib. de fractur. ſent. 19.) non ſatis exſiccare poſſumus: nunquam fit ἕλκος ἀπερίστατον, quod vitioſo aquagio vacet. Vnde nec natura illud carne laudabili, non autem fungoſa, replere poteſt. Quibus etiam cancellis ſanguinis corruptelam includimus. Nam quod Galen. 3. aphor. 31. ſcribit: vlcus in ſenibus difficulter ſanatur propter defectum ſanguiuis: id de Scorbuticis quoque verum eſt. Hic enim exulat frugi ſanguis, eiuſque commeatus non eſt carni generandæ. Quanquam & hæc ſubſit cauſa: quod σαρκωτικὰ citra morſum modice detergunt ſaniem atq; ſordes, & à ſanguine impedimenta vlceris remoueat: quod priuilegium magis his, quam ῥυπτικοῖς denegatur. Cum itaque ſemper prius natura partis inſtauranda ſit variorum ſymptomatum exterminatione, quam reriorum ſymptomatum...

quit. Nam ἐπουλωτικὰ summam vlceris impleti carnem strenue siccant: dum humorem redundantem, quantumuis secundum naturam, absumunt tanto vehementius, quam σαρκωτικὰ, quanto carne, quæ cutis naturæ vicina est, siccior est cutis, quæ calli similitudinem præ se fert: vnde ad cicatricem obducendam necessaria erunt exsiccantia, ac sine mordacitate adstringentia medicamina: vt Galen. lib. artis paru. cap. 92. sentit. Hinc ἐπουλωτικὰ crassitie sua densant & constipant carnem subiectam. Medicamētorum vero ἐπουλωτικῶν ἐχθοδόπης est humor Scorbuticus frigidior, humidior, tenuior: qui præsertim salsus iā factus exedit cutim. Quo simul partiū vlceri vicinarum næuū referimus, quæ aliquando etiam materiam frugi alimoniæ corrumpunt. Ex hisce ἀναπλέκτος demonstratum, quomodo iuxta omnes fines chirurgi periti, (nam, cum iuxta Senarium, ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν: cum fornacatorum μωρολογίῳ nihil nobis rei est;) vlcus Scorbuticum sit δυσελκὲς καὶ δυσεπούλωτον.

Idem Scorbuticum vlcus plerunq; putet: quod Tagault. lib. 3. chirurg. cap. 4. putre siue putridum dicit, ex quo vapor aliquis graue olēs, seu (vt aiunt) fumus quidam fœtidus & cadauerosus exspirat atque attollitur, persimilis illi, qui à putrescentibus ac corruptis iam carnibus effertur. Quanquam Tagaultius non est ὀξυπέστατος Galen. 6. aphor. 45. vbi inquit: quod putridum atque depascens à nonnullis vlcus vocatur, non est propria vlceris differentia, sed passio implicita ex ulcere atque putredine: scimus autem, quod & absque vlcere, putredo ipsa per seipsam in multis corporis partibus consistit. Fœtor vlcerum extremæ cruditatis nota est: ob quam

ob quã congeniti membro caloris φθορὰ per σβέσιν, Scorbutici humoris παρουσία inducitur, vnde humor quasi numella solutus hac illac permeat, & omni calore natiuo spoliatus corrumpitur, corruptusque fœtet: perinde ac animam agentis vlcera, effœto calore naturali, nulla sanie bona madida, putent & liuescunt: quod aliquoties in ἀγωνιστήριον produximus. Quæ labes adeo ferociter serpit: vt quidam in vlceribus neq; immissum ferri mucronem sentiant. Hæc proxime ad gãgranę prosapiam accedunt: vt sic appellemus cum Gal. 7. aphor. 50. vbi scribit. Nunquid igitur aliquando abutuntur verbo σφακελίζειν, ad significãdũ huius dispositionis inceptionẽ, quæ tamen nondum exacte completa sit? Tale enim quiddam carnosis etiam partibus accidit, quas gangrænam pati dicimus, cum passio ob magnitudinem, inflammationis, insensibilitatem, nigritiem, aut omnino mortiferum quendam colorem intulit, & cum in hanc dispositionem tendere particula patiens incipit. Nec recalcitrabimus si quis sphacelũ indigitet. Est enim σφάκελος φθορὰ πᾶσα καθ᾽ ὃν ἂν γίγνεται τρόπον: vt Gal. in Exegesi ait. Et in Hipp. lib. 2. de fractur. cõ. 20. τὴν ὅλην τῆς οὐσίας ἑκάστου μορίου φθορὰν ὀνομάζουσιν οἱ παλαιοὶ σφάκελον. Quãquam, si neruose velimus loqui, præstat hic audire Galenum: qui ἀκριβῶς differentias rerum his verbis proponit in Hippoc. lib. 4. de articul. com. 17. καὶ τὸ τῆς γαγγραίνης πάθημα παραγίνεσθαι φήσιν αὐτοῖς, ἐμβληθέντων τῶν ἐξεχόντων ὀστῶν παρὰ τῷ μεγέθει δηλονότι τῆς φλεγμονῆς: ὅταν γοῦν ὑπέρ τα πάθη τὰ φλεγμαίνοντα, τό τ᾽ ἐρυθρὸν τῆς φλεγμονῆς ἀπόλλυται, πελιδνῶν γιγνομένων τῶν σωμάτων, ἥτε ὀδύνη μεμειῶσθαι δοκεῖ, διότι καὶ ἡ αἴσθησις ἐναρκώθη. καὶ ὅταν γε τελέως ἀναίσθητα γένωνται τὰ

οὕτως

οὕτως πάσχοντα σώματα, τὸ πάθος οὐκέτι γάγγραιναν, ἀλλὰ σφάκελον ὀνομάζουσι. μεταξὺ γὰρ τούτου τοῦ σφακέλου καὶ τῆς μεγάλης φλεγμονῆς ἐστὶν ἡ γάγγραινα, τοσοῦτον χεῖρον τῆς τηλικαύτης φλεγμονῆς, ὅσον μετριώτερον τοῦ σφακέλου. Φθορὰ γὰρ οὗτος ἐστὶ τῆς ὅλης οὐσίας τοῦ σφακελίζοντος μέλους, ὥστε οὐγ᾽ ἂν ἰήσαιτό τις αὐτὸν ἤδη συνιστάμενον, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἀρχόμενον, ὅπερ οὐδὲ σφάκελον ἐστὶν ὄντως, ἀλλὰ γάγγραινα μεγάλη πλησίον ἥκουσα σφακέλου. καταχρώμεθα δ᾽ οὖν ἐνίοτε τοῖς τῶν παρακειμένων παθῶν ὀνόμασι, ἐπὶ τῶν ἀφικνουμένων μὲν εἰς αὐτά, μηδέπω δὲ ἐχόντων τὴν ἐκείνων ἰδέαν τε καὶ φύσιν. οὕτως οὖν καὶ τὴν μεγίστην φλεγμονήν, ὅταν μήτε τὴν εὔχροιαν διασώζῃ τὴν ἑαυτῆς, μήτε τὴν ὀδύνην, ἐνίοτε γάγγραιναν ὀνομάζομεν, μηδέπω μὲν οὖσαν ἀκριβῶς γάγγραιναν, εἰ δὲ ἀμεληθείη, μικρὸν ὕστερον ἐσομένην. Quod est. Gangrænæ quoq; malum his contingere inquit: ex magnitudine videlicet inflammationis, si eminentia extra cutem ossa reposita fuerint: cum videlicet in inflammatis membris, liuida carne iam suboriente, rubor inflammationis euanescit, dolorque ex torpore sensus videtur imminutus. Nam si penitus stupida, sensuque carentia membra euadant: malum id non amplius gangrænam, sed siderationem nuncupant. Inter siderationem enim & magnam inflammationem gangræna media est, tanto prior inflammatione, quanto sideratione est leuior. Sideratio siquidem totius substantiæ membri corruptio est, quæ, vbi iam tenet, curari à nullo potest: Sed inter initia tantummodo, quando videlicet nondum vere est sideratio, sed gangræna magna, quæ prope ad siderationem accessit. Verum vicinarum adfectionum nominibus abuti, interdum consueuimus de illis,

quæ

quæ ad ipsas quidē deueniunt: nondū tamen integre ipsarum formam & naturam consequuta sunt. Ita fit, vt maxima inflammatio, cum neque colorem suam seruarit, neque dolorem, gangrænam quandoque appellemus: cum nondum prorsus gangræna sit: sed si negligatur tamen, paulo post sit futura. In Scorbutico igitur vlcere corruptio gangrænosa vocari potest νέκρωσις partis, vt Galen. lib. de tumor. præt. nat. cap. 8. nominat: quæ à crudissimo, frigidissimo & ἀπορωτάτῳ humore oritur: qui, cum neque digeri, neque in pus mutari, neque à parte alia ratione abigi potest, membrum liuescens, κωλυσιεργίαν ac νωδυνίαν præstans, immo quandoque cadauerosum prorsus redditur, ac si ἀκροσιδειασμὸν requirat: sibique coniunctas partes in adfectionis contuberium pertrahit. Sic hydropicis tumentes suræ nonnunquam sponte ab aqua salsa perforantur: nonnunquam à balneatoribus καταχασμῷ per flammulam compunguntur: nonnunquam ἐσχαρωτικῷ φαρμάκῳ aperiuntur. In his, cum quotidie ceu ex gutturnio destillans aqua, aliquot pollubra repleat, videmus, nisi mature succurramus, suras corrodi, ac ita liuescere, vt in hydrope non longius, quam in Scorbuto, vlcera à gangræna absint. Nec rarum hoc est. Nam ossa licet natura sint siccissimæ partes, tamen crebro adeo sonticus à naturali cōstitutione recessus accidit ipsis ꝓpter σφάκελον, vt primum humidiora fiant, & hinc ob putredinem profligato calore, exhaustaque humiditate natiua, ceu glutino, dissoluitur vnitas corporis, & reliqua fiunt terra ac fimus: tandemque plane exarescunt, vt instar sabuli appareant ossa, lignis, quæ vetustate corrupta sunt &

cariem

cariem contraxerunt, similia: & hæc destructio est simplex interitus rei, in quo resolutis ac recedentibus à mixto leuioribus nobilioribusq; elementis, aere & aqua, demum remanet secreta quasi ipsa terra siccissima. At quemadmodũ muscus circa ramos arborum concrescit ex materia humida & putrida, q̃ subinde magis magisq; exsiccatur: ita & in Scorbuto propter immodicum madorem esse nonnunquam fiunt muscosa & βρυώδη, cum substantia ossis putrescere iam & corrumpi incipit: vnde denique ob dictam causam contrahitur exuberans siccitas, gratia cuius ossa visuntur οἷων ψάμμος. Paracels. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 2. cap. 10. talium vlcerum κιβδηλίαν his coloribus depingit. Vlcera quin etiam inueniuntur, quæ diuturnitate temporis in siderationem abeunt, quam intensissimi dolores consequuntur: frequens hoc est in vitriolatis: etenim vbi alumen ac vitriolum semetipsa in calcem redegerint, vi insiti caloris, aliam plane, quam antea, adipiscuntur essentiam: at moram requirit hæc calcinatio, qua humor omnis absumitur, solumque alumen siccum relinquitur, non aliter quam alumen & vitriolum vi ignis in calcem redacta, acriora, rodentiora, magisque dolorifica fieri videmus: sic & hic intrinsecus vitriolum calcinatum subter cutim cauitatem facit, ossa arrodit: quæ omnia mala primum quidem à fluxione fiunt, at ea postea exsiccata, exarescunt vlcera, nisi quando ex improba victus ratione collecta excrementa illac euacuantur, tum enim & humida apparent.

Quibus vlcera non erumpunt, iis humor Scorbuticus quandoque ad pedes deturbatur tanta ferocia sæuiens: vt tumores ibi similes illis excitet,

qui elephantiasi siue leontiasi laborant: quibus in
extremis corporis partibus, sensus paulatim hebe-
scens, tandem plane torpescit, inestq; gelu perpe-
tuum, maxime vero in pedibus & tibiis. Frigoris
quippe impatientissimus est elephantia conflicta-
tus: non secus ac elephanti, à quibus nomen sorti-
tus est morbus: qui iuxta Solin. cap. 38. & Strabon.
lib. 9. hyeme aut regione frigida contremiscunt,
horrent & intermoriuntur, nisi tota hyeme calido
in loco contineantur, & vino generoso refician-
tur. Sic & tumores pedum in Scorbuto liuidi sunt,
aut ἔκλαδικοι potius, initio præsertim, non quod à fę-
ce atræ bilis oriantur: quod de elephantiasi affir-
mat Gal. lib. de atra bile cap. 4. & 7. 2. de element.
cap. 2. & lib. de tumor. præt. nat. cap. 14. Sed quod
humor frigidus in pedibus, partibus exsanguibus,
ideoque natura frigidioribus, infarctus, cum in la-
cum corporis remeandi potestate priuatus sit, reli-
quias natiui caloris suffocat, vnde necessario li-
uent pedes tumefacti, quasi iam letho vicini: in
quibus, quæ primum stupida cutis erat, perinde ac
in elephantiasi, sensu omnino tandem spoliatur,
vt ne infixa quidem acicula dolorem cieat, ne-
que adspersa aheni caldarij aqua exurat: de quo
supra pluribus. Quanquam nullibi Scorbuti tan-
ta pestilitiés visa, vt aliis nasus, aliis manuum pe-
dumue digiti, nonnullis etiam pedes, ac totæ ma-
nus de corpore exciderint: vel pili moriantur in
ciliis, feminibus, pube, poplitibus, mento & cal-
ua: vnde caluities vel canities ὠκατωφόρως irrepit:
sicut elephantia facit: quæ adeo contumax est A-
lecto: vt non prius trucibus cruciatibus colopho-
nem imponat, vel ęgrum in pollinctorum sandapi-
las

las præcipitet, quam membratim dilaceratus homo ſit.

Quorundam prætere a Scorbuticorum maculæ in ſquamulas reſoluuntur, non ſecus, ac ſi λέπρα eſſet quaſi λεπρὰ, ſquamoſa, ἀπὸ τῆς λεπίδος, hoc eſt, à ſquama: vel ψώρα, cum aſperitate ſummæ cutis, ex ea furfures eliciens: qui duo adfectus cõgeneres ſunt: In Scorbuto autem hoc tum demum fit: cum ſanguis ſeroſus aliquam quidem acquiſiuit ſalſuginem, non tantam tamen, quæ cutim valide exulceret, ſed quæ cum ob paucitatem ipſius humidi, tum obtuſam nonnihil qualitatem aſpera eiuſmodi vlcuſcula excitat: quibus cum non perpetuo materia vda & ſalſa ſatis ſuperque adminiſtretur, ſicca manent: quando præſertim ſubiectæ carnis exeſio ab humore ſalſo, ſicciore tamen, craſſius fomentum ſquamis ſuppeditat: vnde & eaſdem plerunque pruritus comitatur, in quo ſcabendo parum proficit æger, quique tandem, ob aquagium continuum Scorbuticum latius ſerpens, vlcera inducit. In quibus vero humor aqueus ſalſugine caret, eorum maculæ leues, æquales & quandoque ſplendicantes permanent, cum nonnullo veſtigio ad digiti compreſſionem. Hæc autẽ fit propter carnem laxionem ab influxu aquoſi humoris, à quo ὄγκοι ὑδατώδεις generantur: qui humor quam proxime ad pituitæ tenuis naturam accedit, & molles laxoſq; producit tumores: qui perinde, ac œdema, digitorum impreſſioni cedunt: qua circumſtantia œdematum ſubſtantiam circumuallari, ſupra in tumore gingiuarum probauimus.

In Scorbuto amplius mulieres peculiari lue vexantur, quæ eſt fluxus humiditatum ab vtero, ap-

pellaturq; ῥοῦς γυναικεῖος, vel ῥοῦς τῆς ὑστέρας: differtq; ἀπὸ τῶν ἐμμηνίων, ἢ καταμηνίων, & colore, & certis periodis. Nā fluor hic aquā repræsentat, in qua ablutæ sunt carnes: &, vt Paul. lib.3. cap.63. scribit, licet materia non destillet semper, tamen loci illi muliebres madent magis, quam naturæ conueniat: Galen. 6. de loc. adfect. cap. 5. id potissimum fieri ait, si mulier laxis sit carnibus, & pituitosa. Et Hippoc. lib.2. de morb. muliebr. fluxum album à frigore oriri, aliquot symptomatibus manifeste designat: ait enim: in facie sunt tumores albi & hydropiformes, ac non valde bona specie præditi sunt oculi & color corporis exalbidus, & venter imus, tumid⁹, & in maxillis pustulę paulatim rubētes, paruæ, aquosæ & malignæ, & in cruribus tumores laxi, & si presseris digito, notæ imprimuntur, velut in fermento, & os saliua impletur, & crurum perfrigeratio, & omnia inferna perfrigerantur, ab imo ventre inchoantia vsque ad pedes, & plantæ torpent, & ingredi non possunt. Nec aliud sentit Aretæ lib.2. de caus. & sign. chronic. cap. 5. Iuuenes, inquit, hac laborantes senilem habitum induunt, fiunt segnes, resolutæ, exanimes, imbeciles, recuruæ, pallidæ, à cibis abhorrentes, frigidæ, membris graues & stupidæ, cruribus impeditæ & impotentes. Paralysis quoque aliquando sequitur propter refrigerationem materiæ ad vitæ generationem facientis: vnde facultas neruorum debilitatur. Non autem verisimile est, tantam copiam materiæ in vtero vasisue seminalibus procreari, quot polluuia aliquandiu replere videmus mulieres. Sentina enim illa virulentam qualitatem facile inducere possit, cum periculosa suffocatione vel

vteri

vteri exulceratione: quod gonorrhoeæ Venereæ & Syphilidi contingit. Idem Galen. 6. de loc. adfect. cap. 5. sentit: accidit interdum fœminis muliebre vocatum profluuium, vel vtero haudquaquam adfecto, cum videlicet vniuersum corpus per ipsum expurgatur, euacuaturque: quemadmodum interdum per renes quoque euacuatur. Necessario igitur in intimis corporis trielmiis labes hospitabitur. Muliebre corpus virili frigidius esse, pro explorato habemus: ne nodum in scirpo quæramus. Hinc fit, vt mulieres ἀποκακήσαντες & frigidiores, cum nec concoquant recte, nec superflua discutiant, plurimum humiditatis coaceruent: quæ, quia τὴν τελείωσιν πέψεως καὶ φύσεως κατὰ μέρος non nanciscitur, fit περίττωμα, siue νοσῶδες αἷμα, vt Aristot. 3. histor. animal cap. 19. nominat. Hoc περίττωμα quantitate & qualitate molestum est naturæ, &, cum non sit alendo, ad vterum expellitur, sanguisque menstruus dicitur: qui pro varia in venis elaboratione & συγκρίσει, proq; diuersorum succorum commixtione, varium adipiscitur colorem. Si iccirco mulier bene valebit: Si αἱματοποίησις recte succedet, cum debita excrementorum extrusione: sanguis colore similis erit sanguini recens iugulati animalis. Si vero contrarium accidit, sanguis corruptior erit, nunc albus, nunc pallidus, nunc aquosus, nunc caliginosus: (Hippoc. lib. 1. de morb. muliebr. ζοφοειδέα ἐμμήνια nominat:) nunc flauus: prout intemperies vel calida, vel frigida in officina sanguinis denominabitur. Hui⁹ sanguinis in venis colorem repræsentabit sanguis lunaris, qui ex vena caua tanquam superfluus ad vterum demittitur, vt inde euacuetur. Eiusdem opinionis

est Paracelſ.lib.3. Paramicor.de matrice. Sicut ma-
re, ait, turget, ac poſtmodum imminuitur, idipſum
etiam fit in mulieribus, quia mater eſt infantum,
vti mare mater aquarum. Et quia mulier mater ex-
ſiſtit, ſibimet huiuſmodi fluxum parit, cuius tumor
ſingulis quaternis hebdomatibus cum exitu ſemel
accidit, vt nihil ad hominem concipiendum acce-
dat, mortui, ſed à ſuæ conceptionis loco recedat, vt
in mari videtur fieri. Eſt vtique menſtruum, ad-
fluentium rerum in matricem excrementū, vt ibi-
dem & moriantur & eiiciantur, quæ ſuperflua ſunt.
Errorem introduxit ille medicus, qui ex ſeipſo
menſtruum vel excrementum hoc ſcripſit eſſe flo-
res mulierum, vt arborum ſunt. En qualis medi-
cus, qui ſtercora flores exiſtimat. Mulierum flores
non prius, quam concipit, eodem etiam tempore
mox adſunt. Poſtmodum fructus inde ſequitur, id
eſt, fœtus. Ignoratis vos medici, quamuis arborē ex
eo fructu flores edere, qui ex eo prorumpere vult,
arborem ſterilem quoque non florere? Iuxta ve-
ſtram doctrinam florent mulieres, quæ fructum in
ſe nullum habent, id eſt, virgines ſecundum vos
florent, vbinam fructus earum eſt? nullus adeſt: er-
go excrementum ſolum expurgant. Hactenus Pa-
racelſ. cuius συνεπιψηφίζοντες ſunt Spagirici. Idem
in Scorbuto vſu venit. Cum lien τὰς ἰκμάδας τὰς πε-
ρισσὰς attrahere nequit: illæ reſtagnantes in venam
cauam, liturgiam αἱματώσεως deſtruunt: ſangui-
nemque ichoroſum & frigidum reddunt. Talis &
vteri venis cōmunicatur, aquoſo nempe colore &
conſiſtentia: qui, dum perpetuo naturæ moleſtiam
faceſſit, ob λεπτομερείαν fere continuo ad hauſta v-
teri amandatur: qui ipſum tanquam extorrem re-
ſpuit.

ſpuit. Quo etiam imbecillitas vteri referenda, qui non poteſt etiã exiguum id alimẽti, quod ad ſe defertur, retinere: vnde extẽplo ſinit illud elabi. Quibus tandem ſuccedit συνέλδυσις adfectuum modo ex Aretæo recenſitorum. Frigidus igitur & ſeroſus humor in Scorbuto, qui proſapiam pituitæ tenuis iactitat, à qua vt plurimum etiam eiuſmodi profluuium oritur, menſes aquoſos, ſiue ῥοῦν γυναικεῖον generat. A quo malo, nec prægnans, ſi lienoſa ſit, immunis eſt, vt Hippoc. lib. 1. de morb. muliebr. teſtatur. ἢν δὲ γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα σπληνώδης ᾖ, ὑπὸ παθημάτων ὧν εἴρηται, ἐν τῇ νούσῳ τῶν καταμηνίων τὰ ὑδρωποειδέα καὶ φλεγματώδεα ἀφίησι, καὶ τὰ λοχεῖα χωρήσει ὑδρωποειδέα, καὶ ἐλεύσεται μὲν ὁτὲ μὲν πολλά, ὁτὲ δὲ ὀλίγα. καὶ γίνεται μὲν, ὥσπερ ἀπὸ κρέων ὕδωρ ὡς εἴ τις κρέα αἱματώδεα ἀποπλύνοι: ὁτὲ δὲ ὀλίγῳ παχύτερον, καὶ οὐ πήγνυται. Καὶ πείσεται ταῦτα πάντα, καὶ ἢ τὰ καταμήνια τὰ ὑδατοειδέα χωρέει, καὶ κινδύνους τοὺς αὐτοὺς ἡ νοῦσος ἕξει καὶ μεταλλαγάς. Συμβήσεται γὰρ οἱ ῥόον γίνεσθαι ὑδατώδεα. ἢ κρυφθῆναι τὴν κάθαρσιν καὶ τρέπεσθαι περὶ τὴν κοιλίην, καὶ τὰ σκέλεα, ἢ ἐς τὸ στέρνον, ἢ ἀπὸ τούτων. Καὶ κίνδυνοι ἔσονται οἱ αὐτοί, οἱ καὶ πρόσθεν εἴρηνται. Quod eſt. Si vero mulier in vtero habens, lienoſa ſit à relatis adfectionibus, in hoc morbo menſes hydropi ſimiles & pituitoſos demittit, & partus purgamenta procedent hydropi ſimilia, & prodibunt, modo multa, modo pauca, & ſiunt, quemadmodum aqua à carnibus, velut ſi quis carnes cruentas abluat: aliquando vero paulo craſſiora, & non congelantur. Et patietur eadem omnia etiam ea, cui menſes aquoſi procedunt, & pericula eadem ac tranſmutationes morbus habebit. Contingit enim ipſi fluxum aquoſum fieri, aut purgationem occultari, & ad ventrem conuerti,

& ad crura, aut ad pectus, aut aliquem harum partium, & pe icula erunt eadem, quæ prius sunt relata. Id m fluxus albus mulieres etiam hyd opicus ideo affligit, quod aqua non attrahitur à liene magno ac obstructo. Id indicat Hippoc. lib. 1. de morb. muliebr. ἢν δὲ γυνὴ ὑδρωποειδὴς ἦ: (οἱ αὐτοῦ σπληνὸς ὑδατώδεος καὶ μεγάλου ἐόντος:) ἔρχεται τὰ καταμήνια πολλὰ ἐξαπίνης, ὅτε δὲ ὀλίγα. Καὶ γίνονται, ὅτε μὲν ὡς ἀπὸ κρεῶν ὕδωρ, ὡς εἴ τις αἱματώδεα ἀποπλύνειεν. Ὅτε δὲ ὀλίγῳ ἰσχυρότερα, καὶ οὐ πήγνυται. καὶ ἆσθμά μιν λαμβάνει, πρεὶν ἢ τὰ καταμήνια χωρέειν. Καὶ ὀδύνη ἐν τῷ σπληνὶ, καὶ μᾶλλον ἐπήν τι γλυκὺ φάγῃ. Καὶ ἡ γαστὴρ ἐξαίρεται, καὶ μεγάλη ἔσται. Si mulier hydropica fuerit, (splene ipsius magno & aquoso existente) prodeunt menses multi derepente, quandoq; vero pauci. Et fiunt aliquando velut aqua à carnibus, sicut si quis cruentas carnes abluisset, aliquando vero paulo spissiores, & non congelantur: & anhelatio ipsam corripit, priusquam menses prodeunt, & dolor in splene, & magis, si quid dulce ederit, & venter attollitur, & magnus fit. Et hæc ἀναμφίβολος est Hippocratis sententia: qui citra ἀντιλογίας vbiq; sibi cōstat: quam cum plurimi ἀπολειπόμενοι πόνου non adsequantur, scopas dissolutas vendunt: quod Mauricio Cordæo Parisiensi accidit, qui in comm. super Hippoc. lib. 1. de morb. mulier. cœlum terræ miscet: dum ex Galeno ostiatim centones colligit: quibus βερβελτίῳ Hippocratem cancellis sui cerebelli irretitum seruare conatur. Sed Hippocratis & Galeni aucupans fauorem, lectori δυσαναγωγῷ os oblinit.

Transeundum iam ad ruinam: quam quidam in S orbuto c amitant esse turbidam, rubicundam, crassam, feculentam, ad modum vini rubei

recen-

recentis; quemadmodum & feruēte quartana, potiſſium à ſudore, ſolet apparere. Cauſſam ſubticent. Sed credibile eſt, illos ἱμαντελικταίους opinari, vrinam iſtam ad paſſeam ſiue cyaneam accedere ob craſſos aduſtosque humores. Nam talis vrina fit ob æſtum intenſionem, qui humores, bilem comprimis, aſſat, & ſic atram bilem generat: vnde Scorbutum oriri dicunt. Verum, qui Scorbuticos curarunt, fatentur, ſe ſæpius depræhendiſſe vrinas tenues, aquoſas, ſuſpiceas ſiue ſubpallidas, ſiue ſedimento, carnis ſemicrudæ iuſculo, vel aquæ bilis mediocri infuſione dilutæ ſimiles. Quia cruditatem externam portendunt, concoctricíſque facultatis languorem, quæ craſſiores partes à tenuibus ſeparare & cōmiſcere nequit. Hæc τελείωσις materiæ ſubiectæ neceſſario requiritur in bona coctione, vt perfecta forma ſiue natura fiat. Τὸ τέλος πέψεως, τοῖς ἡ φύσις ἐστὶ: φύσις δὲ, ἣν λέγομεν, ὡς εἶδος καὶ οὐσίαν: inquit Ariſtot. 4. Meteor. cap. 2. Ideoque ὅταν πεφθῇ τετελείωταί τε καὶ γέγονε. Tales item vrinæ innuunt tenuitatem commeatus Scorbutici, & obſtructiones: cum humores ob lentorem permeare nequeunt vicis obturatas: vt ſupra demonſt. 11. diximus. Quanquā non negemus, quoſdam Scorbuticos mingere craſſas ac rubicundas vrinas, vt & hydropicos, qui inprimis aſcite laborant. In his omnis ichor ex quo generatur vrina, in ἐπιγάστριον defertur: aqua autem in hypochondriis, cum emiſſario deſtituatur, propter moram feruorem acquirit, quem renibus & vreteribus impertitur, vnde rubicundus color: craſſior autem euadit vrina, ob eundem calorem, exhalantibus ſeri tenuioribus partibus. Sic in Scorbuto ſeroſus humor,

cum propter ἔμφραξιν lienis ad arterias emulgentes & ab his in renes deturbari nequeat, in venas corporis distributur, ideoque pauca ad vesicam fluit: quamprimum autem concipit æstum, hic humor ob prohibitam ventilationem & egressum εὐστροφώτατος toti corpori communicatur, vt & vrinæ incilibus: vnde color & crassities obtingit. Quanquam etiam alia subsit causa, & aquæ intercuti, & Scorbuto communis. Vrina qualitate vel quantitate naturam irritans, demum excernitur. Sed in his morbis frigiditas serosi humoris obtusa, non gnauiter stimulat naturam, neq; copia sua vesicam grauat: segnius iccirco expelletur. Remanēs autem præternaturalem calorem adsciscit: vnde rubor, crassitiesque.

Frequentissime item vrina Scorbuticorum putet ob enormem humorum cruditatem: sicut supra de oris fœtore, & in Scholis nostris de probationib. Vrinar. part. 4. cap. 52. fusius egimus: cum ἐπεξεργασία hic non habeat locum. Nutrimentum vt nutriat, necesse est, vt in coctione partes inutiles ab vtilibus secernantur, quo hæ animali adglutinentur, illæ expellantur. Partes vero inutiles, cum à calore natiuo non concoquantur, corrumpuntur. Quo itaq; debilior erit calor, eo plura generabuntur excrementa: eo etiam grauius corrumpentur, & si à facultate partium cespitante non statim excernentur, propter interdictam ventilationem putorem contrahent, si præsertim aceruus succi exorbitantis augebitur, cum quo μολυνώσει, à qua Scorbutus oritur, nequaquam ἄσπονδος πόλεμος est. Sic in cacochymicis, & quibus ob ἐρωτοληψίαν nihil frequentius est, quam ὀργὰν πρὸς τὴν ὀχείαν, ener-

eneruatur non solum natiuus calor, corpusque de-lumbatur, sed effreni libidine commouentur quoque humores coctionem turbantes. Sicut itaq; v-rina sani necessario fœtoris cuiusdã particeps est: qui indicat, secretionem crudæ partis alimenti fa-ctam ad vesicam, cum nunquã alimentum sit ad a-mussim simile nostro corpori: ita in ægris, quo plu-res secludẽtur crudi humores, eo grauior vrinę erit putor. Idem in Scorbuto verũ est: in quo venarum œconomia multum ab eiusmodi per μόλυνσιν crea-tis succis adfligitur. Quanquam & fœtoris prora puppisque sit vrinæ in corpore comperendinatio. Cuius rationem adfert Aristot. sect. 13. probl. 1. vbi quærit: cur fœtidior vrina reddatur, quo diutius in corpore manserit, stercus autem minus: respondet: quod stercus, quo diutius retentum est, eo magis siccetur: quod autem siccius est, minus id putredi-ni pateat: vrina contra effici crassior soleat, recens-que potioni ingestæ similior sit, Absumitur hic ca-lore prẹternaturali cõtracto humidior portio, quę prius odorem retundebat: id quod etiam in pure tabidorum carbonibus iniecto apparet.

Vnicum restat Scorbuti signum τῶν ζωτικῶν ἐνεργειῶν, κινητικῶν puta, pulsus: cuius indolem ante coronidem huius exercitationis cynosura veritatis scrutemur. Pulsus in Scorbuto pro tẽporum morbi varietate variat. Nunquam autem est σύμμετρος, sed si quantitatem διαστολῆς contemplemur, βραχὺς, στενὸς καὶ ταπεινὸς: item ἀμυδρὺς βραδὺς, & in summa κακόρρυθμος, ac in plerisque ἄτακτος. Aristot. lib. περὶ ζωῆς καὶ θανάτου cap. 2. scribit: ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ, ἡ τοῦ ἀεὶ προσιόντος ἐκ τῆς τροφῆς ὑγροῦ διὰ τῆς θερμότητος ὄγκωσις ποιεῖ σφυγμὸν, αἴροντος τὸν ἔσχατον χιτῶνα τῆς καρδίας

Cum

Cum vero Philoſophus contemplandi ſimul & intelligendi campos videret ampliſſimos: certis rem circumuallare limitibus voluit, & modum pulſus duobus exemplis enodare. Prius ex abſceſſibus petitur: vbi inquit Ariſtot. ἡ δὲ συμβαίνουσα σφύξις τῆς καρδίας, ἣ ἀεὶ φαίνεται ποιουμένη συνεχῶς, ὁμοία φύμασιν ἐστὶν, ἣν ποιοῦνται κίνησιν μετ᾽ ἀλγηδόνος, διὰ τὸ παρὰ φύσιν εἶναι τῷ αἵματι τὴν μεταβολὴν, γίνεται δὲ μέχρις ἂν πυωθῇ πεφθέν. Tumores calidi, ſiue φύματα, in quibus pulſatilis dolor percipitur, extolluntur adaucta mole, dum materia tumoris, vi caloris, in ampliorem ſpiritum conuertitur:&, ſi maxime feruidior bilis admixta fuerit, extra definitos limites bullæ emergunt, humore tenui, bilioſoque turgidæ: in quibus materia tenuior ope caloris in ſpiritum abit, qui exitum quærit, vnde tumor extollitur: ſpiritu autem diſcuſſo, tumor contrahitur. Dolor vero & pulſus in calidis tuberculis ceſſant, quieſque ſuccedit, cum humidum euaſerit denſius, quam vt amplius in ſpiritum degenerare poſſit. αἴρεται γὰρ, διὰ τὸ πλείω γίνεσθαι τὴν ὄγκον, παῦλα δ᾽, ἐν μὲν τοῖς φύμασιν, ἐὰν μὴ διαπυνδώσῃ, παχυτέρου γινομένου τοῦ ὑγροῦ, σῆψις τῇ δὲ ζέσει ἡ ἔκπτωσις, διὰ τῶν διειζόντων. Qua ratione φύματα pulſum imitantur. Poſterius exemplum ab aqua feruente ſumitur: ait enim: ἔστι δ᾽ ὅμοιον ζέσει τοῦτο τὸ πάθος. ἡ γὰρ ζέσις γίνεται, πνευματουμένου τοῦ ὑγροῦ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ. Per ebullitionem partes humidi efferuntur, dum verſa in ſpiritum materia moles fit amplior. Aqua feruens emittit vapores: dum nempe quoddam ſpacium exſurgit aqua extuberante, partibus auulſis, in quod ob fugam vacui rapitur aer. Sed cum aqua ſuo pondere denuo concidat: erumpens aer in bullas abit. Id vel maxime in

ie in iis apparet, quæ elixantur, ſi præſertim li-
nor viſcidus, aereus & pinguis fuerit: qui intenſe
o igne exturgeſcit: vt aliquando extra ſartaginem
ut caccabum exſiliat. Si autem vas ab igne remo-
ieris, grauitate ſua fundum repetit liquor. Eadem
corſus norma pulſus generatur. Nam dum in
orde extuberat, qui per ἕψησιν coquitur, ſanguis:
non chylus: Ariſtoteles enim εἰσηγητὴς διδάσκαλος
ion fuit μαμμάκυθος aut Melitides, qui ignoraſſet,
chylum per venas Meſaraicas ab inteſtinis in iecur
eferri, non in cor: vt quidam λεπτολογεῖν ſolent: ſed
ouit, venam cauam ſanguinem craſſiorem rudio-
emque è iecore in cor tranſportare, vt ibi elabo-
etur, ad ſpirituum generationem:) hinc intume-
cente corde, in omnes arterias feruor ſpirituoſuſ-
que ſanguis deriuatur. Arteriæ enim ſunt veluti
totum quoddam cum corde: continuum namque
eſt vas ſanguinis perfecti: cum autem totum red-
datur maius, ſimul acceſſerit pars, non poteſt vna
pars dilatari, quin eodem momento totum dilate-
tur. A ſpiritu itaque arterias tendente διαστολὴ fit,
qua alimentum in omnes partes diſtribuitur: ſpi-
ritu in habitum corporis efflante, communica-
toque ſanguine particulis, tumorem vaſorum de-
ſidere neceſſe eſt propter pondus tamdiu, donec
nouus ſpiritus ex efferueſcente humore pullulans,
vaſa iterum repleat & diſtendat: quæ eſt συστολή, con-
traria. διαστολῇ. καὶ τοῦτ' ἀεὶ γίνεται συνεχῶς: ἐπιρρεῖ γὰρ
ἀεὶ τὸ ὑγρὸν συνεχῶς, ἐξ οὗ γίνεται ἡ τοῦ αἵματος φύσις. Eiuſ-
dem ſententiæ fuerunt Eraſiſtratij contra Bac-
chium, vt teſtatur Gal. lib. 4. de differ. pulſu. cap. 6.
Quibus ἀναμφισβήτητος adſtipulatur αὐτοψία: ſi
quis viui catti στέρνον acutiſſima nouacula aperiat, vt
medi-

meditullium cordis inuiolatum sit: quicquid Gal. passim, maxime vero lib. 3. de præsag. ex pulsib. cap. 3. scribat. Quia vero in Scorbuto, ob summam sanguinis cruditatẽ, cordis actio fathiscit: nõ est continuus motus à corde in partes: cum non sit continua spiritus generatio, qui sua amplificatione diffundi celerrime in omnes partes aptus est: Ideoq; διαστολὴ in Scorbuto debilis, tarda & rara, hanc etiam ob caussam: quod sanguis præ nimio frigore non adeo velociter à calore cordis in spiritus conuerti possit: aut, si conuertatur, tanta tamen est sanguinis spirituosi penuria, vt arterias rite distendere nequeat. Hinc Gal. 12. method. medend. cap. 3. scribit: vbi maximam crudorum succorum copiam vna cum oris ventriculi (quod sane stomachum vocant) offensione, vel ex cruditatibus, vel alia quapiam occasione congesserunt, omnibus pulsus minores sunt, quã pro caloris ratione, præterea obscuri, omninoque inæquales, sæpe ea inæqualitate, quam systematicen Græci vocant: semper vero ea, quæ in vno est ictu. Et lib. artis paruæ cap. 29. & 30. sicut calidioris cordis indiciũ est pulsus, velocitas & frequentia: ita frigidiore corde pulsus minores existunt, quam modo naturæ conueniunt. Et lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 4. & 7. paruos, raros & tardos pulsus ob imbecillitatem facultatis, & ingentem frigiditatem fieri scribit. Et lib. 1. de caus. puls. cap. 6. Defectum comitatur natiui caloris pulsus paruus & tardus præcipue, mox etiam rarus: nam, vt natura, quæ iam pridem refrigerata est, nec multum requirit, nec celere refrigerium, sic nec breuibus interuallis. Breuibus interuallis idem est, quod crebrum: & longis interuallis idem,

idem, quod rarum. Debili itaque σφιγμικῇ δυνάμει, neque efferueſcente ſanguine in corde ob nimiam frigiditatem, deficit in Scorbuto pulſus paulatim, diminuta διαστολῇ, & aucta συστολῇ, ob pondus corporis cordis arteriarumque: quod pondus, deſtitutum ſuſtentatrice, rectriceque anima, grauius vrget: non autem, quod in extrema virium detruncatione & moribundis, ἔξαρχος vitæ, tum maxime omnibus neruis inſurgat in hoſtem, contractionemque crebriorem moliatur, fuligines expellendi gratia: quo cum ſomnio plerique in διδασκαλείῳ Galeni dormituriunt. Hæc præſagiunt τὴν τὰ στερέα μόρια διοικοῦσαν φύσιν aut iam modo exſtingui funditus, aut breui poſt exſtinctum iri. Nec eſt firmius τεκμήριον aut conſtantis, aut nutantis vel proſtratæ virtutis.

Et tantum de ſignis Scorbuti, eorumque philoſophica ad cauſas applicatione. In quod ἀγωνιστήριον eo alacrius diſcendimus: quod non videremus in illo aliorum στρατοπεδάρχων impreſſa veſtigia: qui βραβεῖον ſibiipſis extra aciẽ ſunt polliciti. Haudquaquam autem inſectando ſuggillamus, quæ ab oculatiſſimis viris in hominum luce poſita ſunt: ſed potius, ſicubi manca & ad intelligendum Scorbuti naturam δυσκαταφερόντα videntur, addendis noſtris ſupplemus, adeoque cotis fungentes vice, noſtrorum πολυμηχανίαν acuimus.

EXER-

EXERCITATIO VI.
PROGNOSTICA SCORBVTI.

DIvs Hippocrates, in cuius penuario hactenus immortali veritatis promulside obsaturati sumus, ne & in hac Orchestra exorbitemus, librum prænotionum hisce auspicatur. Τὸν ἰατρὸν δοκέει εἶναι μοὶ ἄριστον πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν· προγινώσκων γὰρ καὶ προλέγων παρὰ τοῖσι νοσέουσι τά τε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, ὕποσα δὲ παραλείπουσιν, οἱ ἀσθενέοντες ἐκδιηγεύμενος, πιστεύοιτ᾽, ἂν μᾶλλον γινώσκειν τὰ τῶν νοσεόντων πρήγματα, ὥστε τολμοῖν ἐπιτρέπειν τοὺς ἀνθρώπους σφέας ἑωυτοὺς τῷ ἰατρῷ. Medicus igitur, quicunque, vt Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 15. loquitur:) medicinæ physicæ partis extrema fæx esse non vult, cui ratio cum testeis terrenisq; corporibus, & apud quem magis regnat coniectura, quam ratio: sicut apud Homerum de Chalcante dicitur, ἤδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα ἐπισταμένως: siue secundum Orpheum, τά τ᾽ ἐόντα, ὅσα τε πρόσθεν ἔην, ὅσα τ᾽ ἔσσεται ὕστερον αὖτις. Dabimus iccirco in Scorbuto operam, vt expectationem & in prognosticis tueamur, non tamen ex omnium rerum dictatore intellectu nostro efficientes mancipium alienæ libidines apud Vappas & Megabizos. Πρόγνωσις firma eorum duntaxat est, quæ generationem habent necessariam: hac tamen cautione, quam Hippoc. 1. aphor. 1. ponit: δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. Si enim hic scrupulus natu-

naturæ iniiciatur, œconomia microcoſmi, medicique iudicium interturbatur. Huius farinæ ſunt σημεῖα Gal. 1. aphor. 12. vocata κρίσιμα, quæ πολλάκις ἐν ταῖς ἀναβάσεσιν, ἢ ἀκμαῖς τῶν νοσημάτων ἐπιφαίνεται: item τῆς πέψεως σημεῖα, quæ προσοίζει τὴν ὡς μέσους ἀρχὴν ὅλης τῆς νόσου: necnon τῆς ἀπεψίας, σωτηρίας, τὰ δ' ὀλέθρου δηλωτικά: συνεισβάλλει μὲν τῇ πρώτῃ τοῦ νοσήματος ἀρχῇ: καὶ μετὰ ταῦτ' ὕστερον ἐστὶν, ὅτε γίνεται. Horum autem ſignorum, quæ ad ἐπιφαινόμενα pertinent, proprietates, (ne in ſalo hoc diutius fluctuemus:) præcedenti exercitatione viuis coloribus depinximus. Quo itaq; alacrius natura, catus œconomus, damnum ſarciet: quo potentius cruditates exterminabit: quo felicius coctiones ex colonia in ciuitatem reuocabit: quo facilius occluſus Labyrinthi Mæandros filo Ariadnes recludet: quo terſius pauimentum cœnoſum ſcopis concinnis verret: quo promtius titubans corpuſculum pedamentis minime elumbibus ſuſtentabit: eo minus Scorbutus in perniciem ægroti incumbet: eo pauciores Scelotyrbici in libitinariorum capulos incident. Cauſas debiles debiles ſequuntur effectus: Virtuſque robuſta truces ictus eludere, ac homines quouis faſce leuare valet: vnde προγνωστικὰ καὶ ὑγιεινὰ γνωρίσματα τῶν νοσούντων καὶ ὑγιαζομένων pendent. De his iudicabit ſolus medici ſenſus, recta intelligentia lucidus, qui & præſens & futurum præuidet: vt Hippoc. in epiſt. ad Damaget. 2. ex ore Democriti ridentis inſaniam Abderitarum, ſcribit. Quod vt citius fiat, conſilio Celſi lib. 2. cap. 2. proprietates hominum à medico agnoſci debent: ſine quarum notitia non facile quicquam in futurum præſagiri poteſt. Ne autem in Galenum peccemus, qui 3. de

difficult. respirat. 8. esse bonorum medicorum opus ait, non quæ idiotis iam apparent, præsagire, sed quæ ipsos latent, & cum nihil mali æger habere putetur, apparent: Vela contrahemus, illa subiungentes, quæ ad πρόγνωσιν Scorbuti faciunt: Tale est, quod à Scorbuto nonnunquam totæ familiæ non immunes sint. Hoc partim ideo accidit: quod eodem super vnum trapezophorum omnes vsi sunt victu, qualem in causa Scorbuti externa recensuimus: quanquam non vniuersi iisdem infestentur symptomatis, sed pro subiecti corporis aptitudine, colorisque natiui vigore, hi grauius, illi mitius vexentur. Partim vero: quod agnatos suæ mancipio dat contagioni malum: dum vel assiduo commercio, aut qualicunque accessu ad corpus, δι' ἐπαφὴν, ἢ συναναχρῶσιν, vitiatos vapores & μιάσματα attrahunt: vel gingiuis corruptis ex iisdem cylibanti carchesiis bibunt, ex eademque paropside comessantur: vel effusiore osculo saliuam excipiunt ab ore. Indubitatæ fidei hoc est axioma: omne agens viribus suis constans, in subiectum habile in propinquo positum, non potest non agere, eo similem sibi introducendo adfectionem. Cur ergo hoc Scorbuto denegabimus: qui natura aptus est, ex corpore infecto per sui propagationem manare latius in alia? Scorbutus autem rarius, corrupti humoris illitu serpit: frequentius transmissione halituosæ rei coinquinat alios. Talia vero sunt ἐνόειστα, mobilia, & in minutas partes discerpi possunt: cuius exiguitatis corpusculorum ratione, facile per exspirationem extruduntur, & per inspirationem recipiuntur: Vel per angustissimos cutis meatus prompte eluctantur

seque

seque vicissim in intimos recessus insinuant: Vel oculorum quoque obtutum fugiunt, nec non vbiuis adhærescunt. Ex his patet, eos ἀδολεσχεῖν, qui scripserunt: Videri contagiosos morbos ad eundem modum nasci, quem Aristot. de ortu animalium testaceorum, 3. de generat. animal. cap. 10. aperuit: vbi ait: in genere eorum, quæ testa integuntur, quædam propagari instar sobolis, exeunte excremēto muccoso ab eo, quod primum sponte ortum est: vt Mituli, Buccina & Purpura: larga enim eorum copia nascitur, cum primum aliquod constiterit: euenit autem, vt vel sponte hæc omnia oriantur. Seminariorum porro contagiosorum vehiculum aerem arbitramur, dum excipit τὴν νοσερὴν ἀπόκρισιν: siue dum id, quod ab ægri gingiuis corruptis & fœtentibus exspiratur atque exhalat, in aerem funditur, indeque in corpus sanum inuolat, & ex paruo initio & quasi suscitaculo profectum, sensim inualescit. Seminarium hoc est συγγενὲς Scorbuto: quod hanc vim habet à peculiari, suisque limitibus definita primarum qualitatum mixtione, quæ talem formam siue λόγον ex rata elementorum proportione nanciscitur: cuius characterem in aliud corpus imprimit. Nec à nobis dissentiunt Paracelsi adseclæ: qui in mundanam scenam, singulis seculorum reuolutionibus, introducunt anatomias morborum, Tinctura ac prædestinatione stabili dotatas: pro cuius vigore termini vel durant, vel euanescunt. Hæ generationes, resolutiones transplantationesque non in propriis agris stabulantur, sed in aliorum iudiuiduorum matricibus & mineris recipiuntur: pro vt tempore ex-

altationis, regiones, ætates & hominum naturæ facilius conſpirant, tincturas quoque radiceſque ſeminum fœcundas inuehunt: Si præſertim ingluuies & tempeſtas comeſſationis hoſpites peregrinos aſſidue accerſet. Simili modo, qui Mercurium è puteis legunt, vel minium effodiunt, vel ex eo hydrargyrum, & huic addito ſulfure cinnabrium decoquunt: qui item Coſmopolitica lue pollutos litu Sarraſenico Arabum inungunt: fabri præterea aurarij: quiq; chryſulcæ, aliorumq; metallicorum ac Mineralium Venenoſorum, de quibus Paracelſ. lib. 1. chirurg. Magn. tract. 3. cap. 7. agit, præparationibus incumbunt: Virulentos vapores, ſuffituſque ore, naribuſue excipiunt. Hinc morbis corripiuntur in pulmonibus, artubus, ſynouia, neruis, aliiſque extis: corporis conſtitutio intrinſecus corrumpitur: ſanguis contagioſo veneno inquinatur: quatuor elementorum temperamentum, in quo ſanitas tota conſiſtit, diſſoluitur, & efficitur, vt nec ſiderum, nec alimentorum benignitas quicquam emolumenti ad reſtitutionem amplius adferre poſſit: vt ſcite ſcribit Theophraſt. lib. 3. de de male curat. reſtituend. cap. 13. Coagulati vero vel reſoluti fiunt adfectus iuxta prædeſtinationem ſpirituum, qui commeatum ſuggerunt: hi quippe morbi ex reſolutionibus ſpirituum, & radicum Mineralium ſcaturiunt, alimentumque ſpirituale inquinant. Modum aptum deſcribit Paracelſ. lib. 2. de correct. impoſtur. in lue Gallic. cap. 5. Mercurij eſſentia, ait, tam tenuis eſt, vt perinde vt fornax calorem, vapores ſuos exhalet: atque quemadmodum ad fornacem ſedentes, etſi ipſam non attingant, calorem ſentiunt tamen: Sic Mercurij corpus,

pus, etsi nostri corporis substantiam non subingrediatur, solo tamen vapore suo illud alterare potest: qua enim Mercurij vapor penetrare potest, eo omnis ipsius quoque vis migrare solet. Idem de tumor. & pustul. morbi Gallic. cap. 4. & lib. 1. de caus. & orig. luis Gallic. cap. 11. alio exemplo rem sic declarat: crocum videmus, nisi aliud illi corpus adiungatur, tingere non posse: illo autem iuncto magnum illius dominium esse: similiter & morborum contagiosorum corpora habent: veluti enim in amphoram aquæ modicum croci coniectum totam aquam tingit: sic aliqua parte contracta lues paulatim in totam corporis substãtiam subintrans grassatur, integrumque corpus depascitur, atque in quantis quibusque regionibus illius morbi dominium existit, eo vsque lues peruagari solet ac potest. Nec dissimilis est alia eiusdem Paracelsi lib. 2. chirurg. Magn. tract. 2. cap. 19. ratio: vbi scribit: sciendum mali causam eam esse, sidus illac influere, ac impressionem facere velle: sumus enim superiorum in fluxibus recipiendis non aliter subiecti, quam elychnium ad ignem è silice excussum, excipiendum, quæ dico noua ac impossibilia non sunt: etenim si arbores, ædificia, &c. cœlo fulmine tanguntur, an non & nostra corpora huiusmodi ignes excipere queãt? hoc saltem interest, hic inuisibiliter fieri, illic omnia ad sensum apparere. Consanguinei insuper à consanguineis facilius inficiuntur, quod quasi idem ortus principium, eandemq; temperamenti analogiã obtineant: ob quam similitudinem, vt & singularẽ subiecti conuenientiam, μιάσματα expeditius vires exserunt, adeo vt sæpe Scorbuto toto prahendantur familiæ.

Nec alia ratio ex delubris philoſophiæ elici poteſt: Cur Scorbutus quandoque à parentibus in ſobolem propagetur. Cuius rei meminit Hipp. lib. de genitura, de pueri natura, de aere, aquis & locis: itẽ Auic.lib.1. fen.2.doctr.2. ſumm. 1.cap.8. Semen non excremento vltimi alimenti reſiduo, vt Ariſt.1.de generat.animal.cap.19. & Auic.lib.3.fen. 20.tract.1. opinantur, ſed ex puriore, pinguioreq; ſanguinis parte in flexuoſis vaſorum ſpermaticorum anfractibus, teſtibuſq; generatur, accurata caloris natiui elaboratione. Hunc ſanguinem teſtes vehementi vi, quę in vniuerſum corpus manat, per vaſa ſpermatica ſugunt à vena caua, quæ lumbis renibuſq; adſiſtit: per eam à circumiectis venis grandioribus, per has à minutis, quæ iam vix capilli magnitudinem adæquant: in quibus omnibus vaſis humor roris inſtar ſparſus, paulo poſt in alimentum ſolidarum partium ceſſurus, continetur. Hic ſeminis commeatus, ex ſummo imoque corporis penuario ſucceſſione quadam teſtibus communicatus, concoquitur ad vnguem, ac plane in alteram ſpeciem conuertitur: ſimulque formam induit, quæ non bruta res eſt, ſed ἀπόσπασμα αἰθέρος, vt Pythagor. apud Laert. nominat: cum ſit architecta tam nobilis templi: ſicut ſcite Nemeſius lib. de natura hominis cap. 1. ait: ὑπὸ ψυχῆς ὡς ὀργάνου κινεῖται τὸ σῶμα: χωρισθείσης δὲ τῆς ψυχῆς ἀκίνητον μένει τὸ σῶμα ἀνενέργητον, ὡς τεχνίτου χωρισθέντος ἀκίνητα μένει τὰ ὄργανα. Per hanc formam in actu, animal eſt animal actu: non ſecus ac per eandem formam in actu, ſemen eſt actu ſemen: quin, & animal, carens duntaxat articulationibus: quam formam ſemen non excipit extrinſecus tanquam hoſpitem, aut inquilinum,

linum, ſed habet indigenam, atque αὐτοφυῆ: vt poſthabita Gentilis opinione ſuper Auic. lib. 1. fen. 1. doctr. 6. tract. 1. cap. 2. quæſt. 20. rectius cenſent Ariſt. 7. Tranſnatural. philoſophiæ, context. 28. 31. & 30. 2. Phyſ. 86. 2. de generat. animal. cap. 1. Hippoc. lib. de ſemine: & Galen. lib. 2. de facul. natur. cap. 3. Cum iccirco ſemini inſit potentia, habituſque ad primas animæ actiones recipiendas, quæ ſunt conformatio & diſpoſitio: vt in confirmata ac diſpoſita membra introducuntur aliæ actiones animæ, veluti motio, viſio, loquutio: anima inſuper animam gignat ſui promotione, eadem ſane ratione, qua in accretione, nutritioneque induit ſeſe in nouam alimenti materiam: aut quemadmodum à flamma faculæ excipitur flamma, illa nihilo ſecius integra remanente: (cuius argumenti ſiniſtre meminit Auguſtin. Epiſt. 157. ad Optatum, adſentiens Lactantio lib. de opificio Dei, cap. 19.) Semen quoque ab omnibus membris detergatur: non mirum eſt, à Scorbuticis generari Scorbuticos. Nam ſemen in his ad amuſſim ex ſanguine elaborari nequit, cum corruptior, frigidior & tenuior ſit in venis totius corporis humor, quam vt à tubis ſeminalibus teſtibuſque τελείωσις, abſoluta coactione coctioneque inuehi poſſit: vnde frigidius & ad aquæ conſiſtentiam declinans ſemen generatur, eiuſdem puta cum ſanguine, quo Scorbuticorum canales turgent, indolis. Hoc cruditati inprimis acceptum refertur. Teſtium calor ſpiritum multum tãquam concoctione exagitans, per omnes maſſæ partes, neceſſario in generatione ſeminis diffundit: qui ſpiritus in ſeminis corpulentia, vt agens in patiente, non vt pars fientis

ſtabulatur, & adminiſtrari ad agendum, ſubiectiq; vice fungitur: à quo ſpiritu, cum ea materia ſit tenax, facilè in ſpumam denſiſſimam turgeſcit, cuius tamen bullæ, vt nec in butyro, cerni vix poſſint. Quis vero ſpiritus in inquinato & crudo balatrone referto Scorbutici corpore, maſſæ ſeminis miſceri poterit: in quo nulla coctionis abſolutio, nulla humorum laudabilium penus, nulla ſanguinis benignioris exhalatio obſeruatur? Vitæ noſtræ principium ignis quidam eſt: 2. Meteor. cap. 2. ignis autem ſuppetente materia perennis eſt, modo excrementa eiiciantur: quod in foro luculento, quia in aperto eſt, facile fit, cum cineres, fuliginesq; rutabulo, batilloue expelluntur: at animalium ignis inſtrumentis & Meandris circumſeptus, non ſemper poteſt, nec omnia, præcipue autem craſſa cineri analoga, abigere. Vnde non tantum ſenectam induunt animalia, ſed etiam ſuffocatio fit & caloris detruncatio. Sic & in Scorbuto ob torrentem frigidorum excrementorum, calor innatus & ſpiritus enormiter vacillat: vnde minus fertile & bonum ſemẽ enititur. Semen igitur è Scorbutico depromtum ἐκδοχείῳ, Scorbuticam formam habebit, è quo & Scorbuticus infans generabitur: cum iuxta Euripidẽ, κακοῦ γὰρ κόρακος κακὸν ᾠὸν: καὶ οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρὸς. Hanc naturam toto vitæ curriculo nunquam homo exuit, iuxta Senarium, τὴν φύσιν πονηρὰν μεταβαλεῖν οὐ ῥᾴδιον. Eandem διατύπωσιν Spagirici βιομήχανοι ſtrictè tuentur. Seminis materia in Balſamo vel vitali ſulphure, vniuerſam animalis μεταῤῥίθμισιν occupante generatur: neque teſticulorum, cerebri, ſpinæ dorſualis, cordis aliorumq; extorum, partiumue ſimilarium, quæ Mu-

miæ

miæ radicalis tincturis impreſſionibuſque pollent, hypogeis ſurdis clauditur. Hæc materia ſpiritualis imprægnata turget, & paroxyſmum ante florum protruſionem inuehit. Hic flos verum eſt ſemen, & principium, quod in ſe ſpiritus Mechanicos totius anatomiæ potentes continet. Ex hac ſcatebra prodit ſemen perfectum, nec elaborationem accuratiorem deſiderat. Penus vero ſeminis in teſticulis membriſque generationi dicatis, promocondi Balſami præſentia, viget: conſpirationem præterea cum Mumia vel ſeminali humore reliquarum partium animalis pangit, eodemque temporis momento floreſcit, turget & paroxyſmos habet. Commeatum hunc autem, cum imperfectioni obnoxius ſit, organa generationis debita elaboratione ad τελείωσιν perducunt, & corpora prima tam tenera & fluxibilia à ſpiritibus & generationum principiis coguntur, ſignaturiſque partium opportunis amiciuntur, ne propter ſpirituum & principiorum fugacitatem, corporumque ἄτελες, ἀτεκνία ſuccedat. Minima porro ſeminis gutta vniuerſam totius ſpeciei anatomiam obtinet: quia ſpiritus Mechanici & principia generationum à dimenſionibus anguſtiſq; corporum cancellis excipiuntur. Nec partes in ſemine pro diſſimilibus partibus formandis ſunt diſſimiles: ſed omnium membrorum multitudo temporis progreſſu ex vno ſemine exit, non mole, non corporum multitudine, ſed donorum, rationum, ſcientiarumque varietate, qua pollent ſpiritus mechanici: quorum tantum eſt robur, ſi ſcientiam habuerint cerebri, ex alimento attracto cerebrum, ſi hepatis, ex eodem alimento hepar forment, ordine, proportione,

qualitate, quantitate, figura, Mercurio, ſulphure, ſale, ſitu, conſenſu, tẽporumq; prædeſtinationibus à lythurgia naturæ definitis. Semen itaq; conſentaneis generationi diuerſoriis cõceptum, vitalis Balſami: Mumiæ & Sulphuris portionẽ obtinet, motuq; manifeſto vitæ indicia oſtendit, dum in globũ cogitur, vitaliq; pulſu mouetur, ac nutrimentũ ſpirituoſum ſugit. Matrices contractæ φιλοφερνήσει arctiſſima ſemen complectuntur: hinc ſcientiæ in generationum principiis ac Mechanicis ſpiritibus latentes ordinate explicantur: elementaque conſtituuntur ex alimentis conſentanea, ſignaturis debitis ornata, ex quibus tria prima corpora omnium partium ſeparantur. Cum igitur tantus ſit vigor ſeminis ob Balſamum, vniuerſi corporis ἔξαρχον: non mirum eſt, quandoq; ob tranſplantationem adeo inquinari indiuiduorũ radices, cum in ſeminibus Tincturæ validę conſtanteſq; dominantur, vt propagatione in tertiam quartamue generationem conſeruentur præuaricationum impreſſiones. In qua ſententia eſt quoque Paracelſ. lib. 4. de tumor. & vlcer. Gallic. ca. 7. Hæ tincturæ, licet à ſpirituum radicibus ſecludi poſſint, indiuiduorum tamen principia efficaci mixtione tranſplantant, dum, quicquid in parentibus vel ſanum vel morbidum, valida vitaliq; impreſſione: Balſamum & radicẽ humanæ naturæ adficit, tranſplantatione hæreditarium euadit: vt vult Paracelſ. lib. 1. de cauſ. & orig. luis Gallic. cap. 16. & lib. 2. cap. 1. Hæ autem impreſſiones aſtrales, inuiſibiles, ſpirituales & molis corporeæ expertes ſunt: ſed efficaces ſeminalium rationum naturas imitantes, ſcientiæ ac prædeſtinationũ virtute procedentes: quæ ſignaturas omnes in pa-

in parentum ſeminibus hoſpitantes, digeſtis maturitatum & exaltationis temporibus, ex inuiſibilibus theſauris in ſobolis Aſtronomiam imprimunt. Interdum tamẽ accidit, ne Scorbutici Scorbuticos generent: vel quia Tincturæ Scorbuti inualidæ & inconſtantes Anatomiam Balſami nondum potenter vitalibus ſcientiarum ac prædeſtinationum impreſſionibus occuparunt: vel quia Scorbutus ſeminis effloreſcentia, natiuitatumque momentis, nõ perpetuas habet exaltationes, ſed radices paroxyſmi ſopitæ ſunt, dum Tincturæ exiguo tempore & raro confluunt: vel quia alacritate Mumiæ peregrina Scorbuti rudimenta in vtero ſuperantur, quæ conſonantiã in anatomia humana non offendunt: vel, vt Paracelſ. lib. 5. de vlcerib. Gallic. cap. 1. ſcribit, quando tam præſtans ſemen eſt, vt non ſtatim venenum concipiat, liberique à morbo immunes euadunt: vel quia Tincturæ Scorbuti declinationes radicibus exhauſtis ad terminum ſterilitatis auctorem deuenerunt: vel quia in illis domiciliis non recipiuntur impuritates, in quibus Balſamus, ſemen & radix naturæ viget: vel quia aſtralibus impreſſionibus deſtitutæ ad corporeas prædeſtinationes declinant. Iſta ſerie Scorbutus συγγενὴς, velut parente ſatus: & ξύντροφος quoque, collactaneus ſiue coætaneus eſt: quæ licet vulgo ſpinoſior ſit, minime tamen βωμολόχων nugaciſſimarum argutiolarum εἰκαιοβουλίᾳ, ſed ſapientum potius inſiſtit veſtigiis. Vt tanto minus pertimeſcamus brutum excommunicationis fulmen, quod Thomas Aquinas καταῤῥητορεύων Tom. 1. Summæ: quæſtion. 118. articul. 2. & Auctor Dialogi de animæ origine,

quem

(quem nonnulli Augustino adscribunt) iis intentat, qui propositam exosculantur viam: cuius κατάῤῥησιν inuehunt Hieronym. in cap.12. Ecclesiast. Cusar.lib.2. de concord.Cathol. cap.19. Bernhard. serm. 2. de natali Domini. Hilar. lib. 10. de Trinitate. Augustin. tom. 2. epist. 28. ad Hieronymum. Cyprian.in orat.Dominica. Athanas.in orat. contra Idola. Nazianz. orat.30. Gregor.Nissen. lib. de creat. cap. 29. aliique.

Febres insuper aliquando in Scorbutum terminantur: cuius in causa externa mentionem fecimus, dicentes ex Gal. 3, de loc. adfect. cap.7. plures per febriles morbos melancholicum humorem contrahere. In febribus, exulante ἑψήσει, humores à calore sicco adeo torrentur, vt non quidem ὄπτησις, sed potius κατάκαυσις fiat. Hinc vstulata ac velut assata materia, humidum absumitur, & meatibus externis præ siccitate densatis conniuentibusque, humor intus conclusus magis magisque ignescit: inde tenuioribus partibus exhalantibus crassiores remanẽt: ex quibus à calore alieno omnis superstes humiditas tamdiu exsugitur, donec præter cineres subsidentes nihil aliud restet, & crassa δακνώδη fiant, καὶ διαβρωτικά. Hi adusti humores ex vena caua facile in eius surculos deriuari possunt, ibique obstructiones creare: à quibus nec venæ splenis exiles admodum immunes sunt. His itaque incilibus obseptis, secretio ichoris ad lienem abolebitur: vnde restagnatio eius in vniuersum corpus: & hinc Scorbutus. Hoc malum aliud comitatur: quod ægri in æstu febrili aliquot trulas Heracleas aquis refertis exhauriant: quæ cum à liene propter aquagium obturatum aut multitudinem attrahi nequeant,

queant, in membrorum διεξόδοις irrepunt. Id Hippoc. lib. 1. de morb. mulier. dilucidissime explicat: fit splen aquosus ab hac adfectione, cum febris habuerit, & non dimiserit hominem, & sitis ipsum corripuerit fortis, & biberit, ac non reuomuerit: nam quod in vesicam penetrat, per vrinam eiicitur: reliquum vero splen capit, attrahens à ventre ad seipsum, vt qui rarus est, & spongiformis, & secundum ventrem situs. Et si his sic habẽt bus non exsudarit, neq; aluus laxetur, ab hoc splen attollitur, & hoc magis, si aqua fuerit potus. Quibus etiam cancellis includimus præposterum refrigerantium vsum: dum in febribus ardentibus medici paluto ægrorum gratificantur tot iulepis, tot serapiis, tot liquoribus, phlegmate scilicet herbarum insipido, tot decoctis hordei, tot aquis passulatis: vt non solum hydrope intumescant, & marcore contabescant miselli, sed etiam, dum manibus pedibusque φθορὰ caloris per μάρανσιν fugatur, contraria, quæ per σβέσιν contingit, accersatur. Βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.

Plerique vlterius, qui charybdin Scorbuti tranare conantur, in aquæ intercutis Scilla tandem submerguntur. Hic innumeris percelluntur fluctibus: qui à Galeni dogmate de melancholici limi in liene coctione, nec digitum transuersum discedere volunt. Valeat istorum κολόιδορον: valeant circumscripti animi eorundem ac seruiles: qui in tenebris ignauo marcescere otio, quam in luce ac puluere cum labore versari malunt. Nos Exercit. 4. Demonstrat. 12. hanc ad lapidem Lydium reuocauimus controuersiam, nobis certo cum Hippoc. lib. 1. de morb. muliebr. & lib. 4. de morbis, persuadentes:

dentes: Scorbuticos ideo fieri hydropicos ob lienē πρῶτον δεκτικὸν: dum tanta farragine aqua in corpore coaceruatur, vt ſplen, vel ob στενυγροχωρίαν vel aliam cauſam eius non capax ſit: vnde ille eleuatur, aqua vero in omnes corporis inciles deriuatur, & altera pars ad alteram delegat, vbi ſingulis plus, quam oportet, adfluxerit, & hoſpitari nō potuerint: vnde nec κολυμβήθρα ſanguinis immunis eſt: qui ſeroſior frigidiorque redditus, ad partes quidem nutriendas defertur, ſed non citra detrimentum: nam intemperiem frigidam eis imprimit, illaſque loco frugi alimēti aqua infarcit: quam cum reſpuant tanquam nauci, nec ſibi adſimilent, excrementi vicem gerit: & quia à partibus elumbibus actutum extrudi nequit, retenta corrumpitur, corruptaq; malignitatem quotidie adſultanti nouæ aquæ impertitur, donec tandem corpus in tumorē attollatur, & ὁλοκληρεία peſſum eat. Et quantumuis tales cum Heraclito Philoſopho, qui fontica hydrope laborauit, Plutarcho recenſente lib. de tuenda valetudine, medicis præcipiant, αὐχμὸν δ' ἐξ ἐπομβρείας ποιῆσαι: eodem tamen, quo ille, plerunque obcumbunt fato.

Ex hiſce quoq; cauſa promitur, cur Scorbutici propemodum ſemper atrophia extremaue macie conſumantur. Σύστασις ſeu οὐσία naturalis ſimilarium partium in συγκρασίᾳ primarum qualitatum cōſiſtit. Hanc vt effectus cauſam ſequitur è veſtigio actionum omnium ἀρετὴ ἢ τελειότης: inter quas & φυσικαὶ recenſentur, ſiue iam ſint διαπλαστικαὶ, ſiue γεννητικαὶ, ſiue αὐξητικαὶ, ſiue θρεπτικαὶ: quibus ὑπηρετικαὶ ἐνέργειαι ſeruiunt, attractio nēpe, retentio, alteratio & expulſio. Vt autem ἀλλοίωσις & conuerſio nutrimenti in hu-

in humorē membro cōformem feliciter succedat, πέψις requiritur. Huius finis in vētriculo est χύλωσις: in hepate vel χύμωσις vel αἱμάτωσις: in venis mēbrorum substantiæ insertis, præparatio τῆς οἰκείου τροφῆς. Venæ capillares à mēbris vellicatæ, ex grandioribus sanguinem frugi, κατὰ φύσιν, οὐ κατὰ προαίρεσιν ἢ πρόγνωσιν attrahunt: attractum tādiu gremio fouēt, donec vi circumdantiū extorum exacte commutatus sit: ad extremū expellentis roris instar in poros mēbrorum spargunt. Huius finis est θρέψις: quæ definiēte Gal. 1. aphor. 15. est ἀναπλήρωσις τοῦ κενωθέντος. Hic fit cōpleta nutrimēti cū nutrito confirmatio, πρόσθεσις, πρόσφυσις καὶ ἐξομοίωσις: vt de ἐκκριτικῇ seu προωστικῇ facultate nihil dicamus, quæ alias functiones saluas salua & ipsa sequitur. Hac sola ratione humidū alimentarium seu Balsamus vita cōseruatur: quo nisi reficiantur membra assidue, cito tabescunt per μάρανσιν, humido illo perenni caloris depastu exhausto: cum quo simul ipse euanescit calor, apto fomento spoliatus. Humidū vero illud vnum saltem inauguramus: siue sit σύμφυτον, quod à secundinis partibus, quæ ὁμοιμερεῖς indigitantur, ex semine & sanguine conflatis innascitur, caloris natiui vehiculū & pabulū, à quo vicissim depascitur paulatim: (Paracelsici vitale sulphur nominānt. Vitale naturæ principium, quod cæteris omnibus elementis viuēdi facultatem suppeditat: crystallinā & perlatam materiam: Naturam radicalem, vitæ principium, actionum fontem, fœcunditatis auctorem, generationum, transplantationum, omniumque naturalium actionum moderatorem: Mumiam item Balsamitam, corpus à corruptione vindicantem:) siue sit ἐπίκτητον vel ἐπίσακτον

quod

quod iam formatis partibus ex concocto nutrimento foris accedit, atque absumto surrogatur, ac γενέσει κατὰ μέρος priori adglutinatur. Vtriusque vna indoles est, & ex sanguine, ex quo semen, ac primum condita pars exsistit. Hinc Gal. 1. de semin. cap. 16. ἕκαστον ἐξ ἧς τὸ πρῶτον οὐσίας ἐγένετο, καὶ τρέφεται διὰ παντὸς, ὅτι καὶ ἡ θρέψις ἀναπλήρωσις ἐστὶ τῆς ἀποῤῥεούσης οὐσίας: cum nutritio nihil aliud sit, quam continue effluentis substantiæ redintegratio. Si talis penus calori natiuo indesinenter concinni analogia suppeditatur: viuificat & à corruptione tuetur membrum, huiusque ἐπιτηδειότης recipiendo: fouendoque calori idonea manet: &, sicut in ardente candela ellychnium cera seuoue oblitum accensæ flammæ, sic in membrorum soliditate ceu pabulum præbere dicimus igniculo natiui caloris ἔμφυτον καὶ σύμφυτον, ἐπίκτητον καὶ ἐπίσακτον ὑγρότητα, ὕλην καὶ ἰκμάδα: quod posterius ante absolutam nutritionem cum Gal. aphor. 17. lib. 2. nominare etiam possumus οἰκείαν τροφὴν ἑκάστου τῶν μορίων. In Scorbuto σύστασις, siue οὐσία, siue διάθεσις partium παρὰ φύσιν est, in qua lapsus à naturali perfectione officit actionibus necessariis in extis destinatis τῷ θρεπτικῷ. Instaurationem quippe absumtę à calore in membris humiditatis anteeunt coctiones alimenti, quæ accurata συγκρίσει esculenta, subigunt, & à recrementis purgant. Dum per ἕψησιν cibus in ventriculo fernet: qui prius dentibus in ore constructis, quasi adiumento ad coctionis facilitatem, (vt Aristot. 2. de partib. animal. cap. 3. appellat:) manditur, extenuatur & molitur, atque pituita, qua semper plurima scatet lingua, subigitur, imbuitur & liquatur, sicut Gal. 3. de facult. natur. cap. 7. loquitur: conuerti-

uertitur ipſe in liquorem cremori ptiſſanæ hordeaceæ, quo ad conſiſtētiam, ſimilem, album, fluidum, craſſiuſculum, quem χύλον vocant: qui, cum non ὁμογενὴς ſit, partibus conſtat diſſimilibus & ἐνεργείᾳ & δυνάμει: quarum eas, quę emollitione comminui & fundi in liquorem potuerunt, vaſa in caudicum venæ portæ conuehunt: & ex excocto chylo χυμοὺς eliciunt, ſanguinemque, gratia cuius coctio inſtituitur, tanquam vltimum alimētum elaborant: qui etſi ex variis eſculentorum centonibus eſt conflatus, non ſecus ac muſtum protropum in doliis feruens leui ſpuma, quæ vocatur ἄνθος & flos vini, craſſa item ſpurcitie in fundo ſubſidente, crudo deniq;, nec dū ſatis percocto conſtat: natura tamen ἀρχιμάγειρος in eius coctione ex ſingulis tantum ὁμόφυλα, partes ſcilicet cognatas & συγγενῆ in tribunal euehit: ἀλλόφυλα autem, noſtriſque corporibus aduerſantia in piſtrinum detrudit, ſicque familiarem nobis efficit: dum calor ἀσύμμετρος diuerſis chyli partibus, ἀναγκαίως quidem ob materiam, at κατὰ συμβεβηκὸς, partes chyli temperatas in ſanguinem ardoris purpuræ transformat: calidiores & tenuiores longiore coctura intenſioreq; calore vrit, vt purpuriſſum mutent in flauedinem Sandarachæ: aut ſi μήποτε πυρώδεες ἐχάτως γεγεννημέναι, diluto claroque nitore rufeſcant: frigidiores autem & eas, quæ in aduſtæ & nigricantis picis lenteſcere craſſitiem, aut in duritiem toſi ſolidari incipiunt, tanquam ἀτέλεστα ſiue τὰ ἀδύνατα τελεσθῆναι deſerit: ὅσον αὐτῆς ἱκανῶς παχὺ καὶ γεῶδες μὴ δέξηται καλῶς τὴν ἐκ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἀλλοίωσιν. Iuxta hanc cynoſurā αἱματώσει coronide impoſita, excrementiſque ad haras deturbatis, ſanguis familiaris red-

ditur, quem membra ſugunt, iuuantibus diſtributionem venis ſatellitio fibrarum, quibus contexta ipſarum corpora conſtant. Hoc nutrimentum eſt οἰκεῖα τροφὴ, ἐξ ἧς τρέφεται τὰ μόρια περιέχεται δὲ κατὰ πάντα τὰ τοῦ ζώου μόρια δροσοειδῶς ἐν αὐτοῖς περιεσπαργαμένη. Hic ſanguis vt primum in exiles partium venas ex amplioribus tranſuectus fuerit, ſenſim indole circumſtantis particulæ perfunditur, eiuſque naturam induit: dehinc per oſcula tenuium vaſorum in vniuerſam partis ſubſtantiam irrepens adponitur: adpoſitus concoctione vlteriore cogitur: coactus parti adglutinatur, eiuſq; quidem qualitatem & temperamentum attingit, non tamen prius vſquequaq; adſimilatur, partiſq; natura amicitur, quam accuratiore mutatione optatam nutritio ſortiatur cataſtrophen, quæ omnis concoctionis eſt finis, & ſumma totius functionis naturalis abſolutio: cum homo intra naturæ parietes viuit, & calor materiæ ἀνάλογον ἕψησιν τῆς πέψεως ſpeciem εὐρύθμως καὶ γνησίως concludit. In Scorbuto autem, quia calor ἕψησιν non adſequitur, ſeries coctionum receſſita exulat: ἕψησις enim in μόλυνσιν deſciſcit. Cum vero διακοσμὸς, ſummumque naturæ munus ſit nutritio, quam ex alimento ſubminiſtrato ipſa perficit: (hoc namque illius eſt ὁλοκληρεία & auguſta ſuppellex, in quam omnibus neruis incumbit, quam varie tractans expurgat, conuertit, propriiſque tubis in abſtruſa quæuis extremarum partium pauimenta deriuat:) quid mirum, in Scorbuto corpus atrophia tabeſcere? Μόλυνσις quippe omnes coctiones proſternit, dum humidum cum ſicco iuſta ſubactione non confunditur, ſed temere ſparſum in partes ſic-

cas

cas ſine coalitu firmo fluctuat & fluitat, neque complexu arcto membriſque proportione adaptato, ambo coeunt in ſuccum nutritioni oportunum: vnde, licet ex ſententia Galen. 2. de facult. natur. cap. 8. non paris momenti ſit, vel ſanguinem bonum non gigni, vel nutrimentum in ventre probe in chylum non verti: ſcimus tamen ex Phyſicorum axiomate, labem primæ coctionis non poſſe corrigi in ſecunda. Quare ex chylo perperam cocto, tota ſanguinis κολυμβήθρα euadit impurior, fluidior, ſeroſior, pallidior, frigidior & inæquabilior: hinc nec nutritio optatum nanciſcitur euentum: quippe cum deſtituantur membra ſanguine ad amuſſim elaborato, humidum σύμφυτον ſiue ἐπίκτητον particularum funditus exhauritur, dum nulla calori ſuggeritur ἀναθυμίασις: vnde tandem corpus marcore exareſcit, ob nutrimenti conuenientis penuriam: & ſiccitate illa exſtinguitur homo, quam ſupra in crurum attenuatione ex Galen. 7. Method. medend. cap. 6. & libr. de ſymptom. different. cap. 4. adduximus. Et ſic re vera Scorbutici ἀτροφίᾳ corripiuntur corrumpunturque, adeo exitioſas vitæ inſidias ſtruente: vt vix inſtar θαλλοφόρων Athenis in Panathenæis, oleæ ramos geſtare poſſint. Non autem phthiſis eſt, vt quidam rentur: quam ab ἀτροφίᾳ ſeparat Galen. 1. de facult. natur. cap. 11. Et quam proprie Græci, & præſertim Athenienſes φθόην nominât, hanc Hippocrates φθίσιν appellat, ob pulmonis vlcera inſanabilia, totius corporis cum febre parua extenuatione: ait Gal. 7. aphor. 16. & Aretæ 1. de cauſ. & ſign.

chronic. cap. 8. Nisi ratione nominis habita adfe-
ctus hic φθίσις dicatur ἀπὸ τοῦ φθίνειν: quod Galen. in
Exegesi est, colliquefieri, attenuari, minui, non nu-
triri: vt, qui ea laborat, σκελετὸς potius quam homo
videatur. Quo respectu Gal. 1. de differ. febr. cap. 9.
dicit, talem incipere, quando natiua humiditas,
quæ in vnoquoque dispergitur corpore in spaciis
particularum consimilium intermediis, ex qua pri-
mum nutriuntur particulæ, iam in cordis corpore
aboleri periclitatur. Sic & Cels. lib 3. cap. 22. tres ta-
bis facit species: vnam, qua corpus non alitur, &
naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis
vero in eorum locum subeuntibus, summa macies
oritur, &, nisi occurritur, tollit, ἀτροφίαν hanc Græ-
ci vocant: alteram καχεξίαν, vbi malus corporis ha-
bitus est, ideoque omnia alimenta corrumpuntur:
quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora,
etiam si illo vacant, refectionem tamen non acci-
piunt: aut cum malis medicamentis corpus adfe-
ctum est: aut cum diu necessaria defuerunt: aut
cum inusitatos & inutiles cibos aliquis adsumsit,
aliquidue simile incidit: (quanquam Ioubert. in
lib. 1. Galeni de facul. natur. cap. 11. ex sententia Fer-
nelij lib. 6. de part. morb. & symptom. cap. 8. καχε-
ξίαν ab ἀτροφία quam longissime distare scribat,
quod in hac extenuatum corpus sensim contabe-
scat, in illa ampliorem id molem habeat: & in atro-
phia quod nulla prorsus in cachexia, quod vitiosa
sit nutritio:) Tertiam longe periculosissimam esse
speciem scribit Celsus, quam Græci φθίσιν nomina-
uerunt: quæ oritur fere à capite, inde in pulmonem
destillat, hinc exulceratio accedit. Eandem canti-
lenam canit Gentilis quæst. de phthisi: phthisis, in-
quit,

quit, quadrupliciter accipitur: primum pro qualibet conſumptione corporis: ſecundo pro maraſmo, id eſt, exſiccatione corporis: tertio pro paulatina conſumtione ex reſolutione paulatina in accidentibus animæ, paulatim calorem extra mouentur, quarto pro conſumptione totius corporis ex vlcere pulmonis communitur. Si iſti ὀυρεσιεπέες ſic tabem nominent fruſtrationem nutriendi actionis, vt Gal. etiam lib. de ſympt. differ. cap. 4. accipit: ceſſabimus, ineptorum Bambalionum & χιζογυάνδρων more, καταχριδεύειν.

Eandem κατάχρησιν Reipub. Machaoniæ φιλοτεχνημόνως obtrudunt illi: qui Scorbuticos quandoque dyſenteria vexari inquiunt. Inteſtinorum exulcerationem ſolam nonnulli dyſenteriam nominandã cẽſent, in qua & minutim & exiguo tempore expulſio facta viſitur, alias quidem veri ſanguinis, alias concreti: in qua & puris non raro exiguum aliquid excernitur, etiam vlcerum cruſtulæ, quæ Græce ἐφελκίδες dicuntur: præterea membranoſa quædam corpora, quæ inteſtinorum ipſorum ſunt particulæ: ſed & ſtercus ſuper his collectum ſæpenumero excernitur, ſanguinis in ſe guttas habens: vt Gal. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. ſcribit. Et 2. de loc. adfect. cap. 5. ait: ex doloribus ij, qui mordaces ſunt, à mordaci humore inteſtinum erodente fieri ſolent: vnde dyſenteriam ſemper huiuſmodi dolores præcedunt: eam inquam, quæ cum inteſtinorum vlceratione fit, quam vel ſolam, (id eſt, proprie, vt lib. 6. cap. 2. interpretatur:) tum recentiores medici, tum antiquorum non pauci dyſenteriam nominant. Et lib. 6. aphor. 3. dyſenteriæ, ſiue difficultates inteſtinorum fiunt quidem ... -

mori-

moribus acribus: ſunt autem inteſtinorum exulcerationes primum quidem in ſuperficie abraſorum: progreſſu autem temporis & profundiora habentium vlcera, putrilagini vt plurimum obnoxia. Idem affirmat Aetius ſerm. 9. cap. 43. & Auic. lib. 3. fen. 16. tract. 1. cap. 3. Si quis hæc ſymptomata Scorbuto accommodaret, laterem lauaret. Hic enim omnia ob μόλωωσιν perfrigerata: vnde nec dolores mordaces, quos στρόφους nominant ex Galen. in Exegeſi, nec inteſtinorum exulcerationes ab humoribus acribus bilioſiſque excitatæ viſuntur in cruenta Scorbuticorum excretione, quemadmodum in dyſenteria. Dicimus autem nos ex Galeno, (à cuius nutu pro veritate vbicunque licet, pendemus:) com. 4. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων. aphor. 40. torminum, id eſt, δυσεντερείας vocabulum non pro vlceratione inteſtinorum, vt plerique medici ſolent, ſed pro cruenta ex inteſtinis proluuie ſumere Hippocrates videtur: vt etiam, quando ex iecoris imbecillitate, cruenta deiiciuntur, adfectio ea torminum nomine appelletur: id quod & fieri & dici à medicis quoque videtur. Et lib. 2. de loc. adfect. cap. 5. ex recentiorum & antiquorum medicorum auctoritate dyſenteriam cruentam ob excretorum ſpeciem nominat: cum ſine inteſtinorum vlceratione interdum ſincerus plurimuſque ſanguis, interdum veluti limus & fex ipſius non paruæ quantitatis excernitur: Verum hæc adfectio iecinoris accidẽs eſſe cenſetur. Et lib. 3. de ſymptom. cauſ. cap. 2. ſcribit, à nonnullis nominari dyſenteriam hanc etiam excretionis ſpeciem, cum iecur vbi affatim digeſti in ipſum nutrime[illegible] cœpit, non patitur id amplius apud ſe mo-

ſe morari: cũ ergo id recta progredi quauis ex cauſa nequeat, neceſſe eſt retro ad ventrẽ recurrat: appa-retq; is, qui tũ excernitur ſanguis, & nigrior, quam pro natura, & ſplẽdens, vtpote ex ſanguine & nigra bile cõmiſtus. Eadem ratione Hipp. lib. 2. Epidem. ſect. 6. δυσεντερίαν ꝓ quouis alui ꝓfluuio capit: ideo addit, ἀνώδυνος: vt nẽpe excludat morſum dyſen-tericis proprium, vt paret ex Galen. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. Huic adſtipulatur Gentil. ſuper Auic. lib. 1. fen. 2. doctr. 2. ca. 16. quæſt. 12. qui ait: dyſente-ria eſt fluxus ſanguinis per inteſtina: & eſt duplex: aut quia fluit ab hepate ꝓpter debilitatẽ vis reten-tricis in eo, & hic fluxus ꝓprie vocatur diarrhoea: aut fit ꝓpter excoriationẽ inteſtinorũ. Si hoc ſenſu excretionẽ Scorbuticorũ ſanguinolentã appellant dyſenteriam, nõ tergiuerſabimur; modo differen-tia hæc addatur, ꝙ ſit δυσεντερία ἡπατικὴ: cũ ex im-becillitate iocinoris aquoſus ſanguis deiicitur, quẽ vtiq; loturæ carnis adſimilant: vt Gal. 3. de ſympt. cauſ. c. 2. ſcribit. Hoc dilucidius explicat Idẽ lib. 5. de loc. adfect. c. 7. humida iecoris intẽperantia ma-gis tenues, aquoſioreſq; reddit humores: igitur, cũ alui ſedimina aquæ, in qua nuper mactata caro ab-luta eſt, ſimilia videritis, efficaciſſimum inde adfe-cti iocinoris ſignum elicere, nequaquã dubitetis: ac nominãtur hepatica ea præcipue, quæ ob imbe-cillitatẽ ipſius deiiciuntur: quippe ad iecoris eſſen-tiã pertinent huiuſmodi adfectus. Quantũ autem hæc Scorbuticorum dyſenteria differat à genuina, docet Idem lib. 6. de loc. adfect. ca. 2. dyſenteriæ ab his, q̃ ab hepate profluunt, ita diſcernuntur: nã ab initio tenuis ſanies ſanguinis ab hepate deiicitur, deinde aucto malo craſſus humor, fæcib⁹ vini haud

absimilis: præterea in hepaticis excretionibus nihil abrasum expellitur: atque interdum duorum aut trium dierum interuallo supprimitur euacuatio: deinde rursus redit malum, atque excernuntur excrementa prioribus multo peiora: id vero per intestinorum vlcera haudquaquam apparet: quippe in iis neque affatim, neque ex longis temporum interuallis, laborantes deiicere consueuerunt. Et lib. 5. cap. 7. dicit: Vulgus medicorum errans hunc adfectum, cum scilicet vires hepatis fuerint imbecilles, vnde tenuis sanies & cruenta deiiciuntur, putat esse dysenteriam. Vt ieccirco cum doctis, explosa vulgari & λαχανοπωλείῳ nota opinione, κατακόσμησιν tueamur, concludimus, cruentam Scorbuticorum deiectionem ἄκμητον sequi extremam hepatis delumbationem, quod sanguinem serosum, frigidum & crudum hospitari alteramque nequit: qui cum inutilis sit aquosusque, facilime reserat ostiola venarum, mesaraicarum præsertim, & ramorum venæ portæ: à qua velut à communi quodam initio in resima hepatis parte riuuli complures in ventrem & intestina, ceu à trunco radices aguntur: maxime vero grandior ille tubus, cuius ὀχετοκράνιον in pancreas immersum, mox per mesaræi radicem, quæ dorsuali spinæ adhærescit, in ilia sinistra procurrens, omnem coli intestini productionem irrigat: vt & alter, qui in sinistrum mesenterium, quod colon à lienis regione ad rectum vsque intestinum tergo adligat, porrigitur: vt alias ramorum soboles minime ἀδορυφορήτῳ sileamus, quarum fertilior πολυχειρία in gracilia, quam crassiora intestina disseminatur.

Ne porro lector ceu πυλαίστης latius tanquam in in-

in incognita sylua vagetur, sed dextre προγνώσεις καὶ προῤῥήσεις de Scorbuto exstruat: ruminandum hic, quod in calce 1. Exercitationis in Πρυτάνειον produximus. Τῶν νοσερῶν σημείων tam διαγνωστικῶν quam προγνωστικῶν in Scorbuto παθογνωμονικὰ siue χαρακτηριστικὰ sunt στομακάκη καὶ σκελοτύρβη. Hæc ἀχώριστά ἐστιν, καὶ, ὡς ἄν τις φαίη, τῆς τοῦ πάθους οὐσίας αὐτῆς συνθετικά: atque exserunt sese mox, vbi inualetudo erumpit, eique nexu adamantino adglutinata sunt, tanquam caussæ, à qua dependent, vt nisi auerruncato morbo, cuius ideam referunt, non discedant: quod συνεδρεύοντα vel συνεζευγμένα non faciunt, quæ potius mores constitutionemque morbi explanant, nimirum, an sit de tribu ὀξέων, vel κατοξέων, vel χρονικῶν, vel εὐήθων, aut κακοήθων. At fieri potest in Scorbuto, cum hic morbus sit οὐκ ὂν ἁπλῶς, vt vnum ex istis signis sit ἀχώριστον tanquam ἐφεξῆς ὄν, non vero tanquam ἅμα ὄν. Sic nonnulli sartas tectas habent gingiuas, qui vel ex ore, vel naribus sanguinem eiaculantur: qui si retineretur, στομακάκην creant: nihilominus tamen eius portio in Mæandris membrorum inferiorum cuniculos faciet, & crura defœdabit. E contra idem sanguis vel per hęmorrhoidas, vel lunarem fluxum euacuabitur, & sic nullæ litturæ in pedibus sese prodent, gingiuis multo cruore turgentibus diffluentibusque ob sanguinis eius præsentiam, qui per recensita emissaria educi non potuit. Quæ si quis ad ἀποστάσεις κατ' ἔκρουν, ἢ καὶ ἐκροὴν ἢ καὶ ἔκκρισιν potius, quã καὶ ἀπόθεσιν, posthabita μεταστάσει διὰ ἑτέρου νοσήματος εἰς ἕτερον, referat, per nos illi licet. Huc pertinet, quod Hipp. lib. 1. Epidem. sect. 1. adnotat: ἄρισται δὲ μάλισται, αἱ κάτω καὶ αἱ κατωτάτω κοιλίης, καὶ προσωτάτω ἀπὸ τῆς νόσου, καὶ αἱ

καὶ ἔχρων: οἷον αἷμα ἐκ ῥινέων, πύον ἐξ ὠτὸς, πτύαλον, οὖρον, καὶ ἔχρων.

Deniq; quemadmodum viuentes Scorbutus non iisdem machinis quoslibet adoritur, ita nec morientes. Videas enim in nonnullis liuidas crurũ maculas in agone delitescere, in aliis vberrime efflorescere. Lituras has ad ἐκχύμωσιν, siue τῶν χυμῶν ἔκχυσιν, vt Galen. in Exegesi definit, retulimus. Ab humoribus serosis aucta palam vrgente pernicie, si robur aliquod partium adfuerit, eorum quicquid inquinatum est & copia molestum ex interna scaturigine ad cutem & summa corporis foras ablegatur: quod, vbi nulla est ἀποσκευὴ facilime contingit. At vbi vel irritatorum viscerum languidas vires deprehendimus, vel hasce robustas quidem, sed impeditas vias, diutius humor intro agitabitur, vel partim expelletur, partim vero detinebitur: Sic in scorbuto liturarũ παλινδρομεῖν extremam virium detruncationem, & τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγὴν, (vt Plato in Phædone θάνατον definit:) minatur. ἔστι δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχὴ: sicut Aristot. 2. de anima, cap. 4. scribit: ἐντελέχεια item, οὐσία, forma, λόγος, principium, caussa constituens & perfectio corporis viuentis: cum quo anima ita vnitur: vt merito compositum ex hisce duobus totum, vt vnum quid, & viuẽs vnum esse dicatur. Delitescunt itaque maculæ in Scorbuto: cum ab anima, quæ non amplius βιοτήσιος καὶ βιωφελὴς est, corpus deseritur. vnde non solum expulsio Camarinæ cessat, sed etiam sanguinis ad partes internas regressus fit, maxime vero ad cor, caloris natiui palatium, & præcipuam vitæ caussam & originem, vt Plin. lib. II. cap. 37. nominat: cuius

βοήθος

βοήθοος natura esse vult. Sanguine retracto, maculis commeatus demitur. Simile in metu, terrore Panico & in quouis vehemēti cordis adfectu contingit, vt pallescant externæ corporis partes. Caussam adducit Arist. lib. de vita & morte cap. 2. Καὶ γὰρ οἱ φοβούμενοι καταψύχονται τὰ ἄνω, τὸ δὲ θερμὸν ὑποφεῦγον, καὶ συστελλόμενον, ποιεῖ τὴν κίνησιν, εἰς μικρὸν συνωθούμενον οὕτως, ὥστε ἐνίοτε ἀποσβέννυσθαι τὰ ζῶα, καὶ ἀποθνήσκειν διὰ φόβον. Calor itaq; in hoc adfectu Scorbutico exstinguitur propterea, quod ille simul cum sanguine angustis cancellis coarctatus, prohibita hoc modo euētillatione suffocatur. In omni autem adfectione, quæ ex percepta mali specie oritur, primum adficitur cor, eodemq; desinere videtur: vt sentit Arist. 3. de partib. animal. cap. 4. & Alexand. sect.1. probl.20. Eo igitur primum vndique spirituum omnium confluxus cōfestim fit: vnde membrorum paralysis, de qua idem Alexander sect.1. probl.13. & Aristot. probl. 1. sect. 27. illo enim in loco natura primum occurrit inimicæ speciei, quæ ex visu aut auditu inopinato accessit: hinc nisi repentino illo concursu suffocetur calor per σβέσιν, ad exteriora recurrit naturali propensione: quā Alexand. sect.1. probl. 20. & Gal. lib. de rig. trem. palp. 6. significarunt. Cuius contrarium in insperato gaudio depræhendimus: hic ob subitam voluptatem, impetu quodam quasi sese efferente animo, spiritus quoque ad rem optatam efferuntur, deserto eo, ἐν ᾧ τῆς οὐσίας ἡ ἀρχὴ, vt Arist. lib. 3. de part. animal. cap. 4. & lib. de respirat. loquitur. Corde spiritus destituto, quid aliud, quam τὰ θανατήσια Luciani supersunt? Spiritus hanc distractionem concinne ad μάρανσιν quis referet: dū subiicitur calor natiuo

materia,

materia, qua fouetur, ſuſtentaturque: licet à calore proprio non oriatur.

Cum vero morientibus in Scorbuto lituræ efflorescunt, indicio eſt, tantam fuiſſe μακρονοσίας peſtilitatem, vt ῥυπαρεία quaſi laxatis numellis iugoque excuſſo, pro lubitu hac illac exſpacietur, quæ nuper caloris natiui compedibus catenata tenebatur. Eadem ratione citra ἀμφιβασίαν infallibile peſtis ſignum eſt, ſi mortuo papulæ extuberent, anthracinæ præſertim aut aquilinæ: vt & ſi tumores vita functis ſuboriantur, qui in viuentibus latuerint. Sic Textor refert, cadauera peſte ſublatorum ſi aceto feruenti abluantur, papulas, ſi quæ prius retroceſſiſſent, denuo emittere, & certius facere peſtis indicium. Quod in aliis quoque ſonticis morbis fieri, experientia adſtipulatur. Licet autem in morientibus Scorbuticis calor natiuus πανδαμάτων ſuffocetur: non tamẽ, macularum eiuſmodi ἐξήλασμα abſq; caloris ope cõtingere adſeueramus. Citra ἀφηνιασμὸν hæc πληροφορία eſt, in recẽs exſtincto non actutum omnem calorem abſolere ac euaneſcere: cum videamus quorundam corpora, poſtquam huius lucis vſuram amiſerunt, ad aliquot horas veſtigium caloris reticere. Sic in vaporariis, æſtuariis & furno, calor quidam omni amoto igne, aliquandiu perdurat. Sic φυλλοτήεια fruticeſq; amputati multorum dierum ſpacio frondeſcunt ac floſculos protrudunt, ſi irrigentur aqua: nam inſita eſt vis quædam naturalis coliculis, quam à radice ſunt conſequutæ, quæ vbi euanuit, areſcunt petioli foliorum, floreſque ac alabaſtri dehiſcentes cum vmbellis decidunt. Sic iugulata animalia ad tempus aliquod calere depræhendimus, & carnes manifeſto

nifesto palpitationis motu agitari: dum boues altiles ac buculi post lanienam laquearibus adfixi, pauimentũ sanguinis stillicidio cruentatur. Cuius sententiæ adfine suffragium est apud Paracelſ. qui lib. 2. de natura rerum sic scribit: cum humiditas & caliditas omnia maturent & crescere faciant, nemo miretur, quod homini malefico in patibulo, aut rota post longum tempus, barba, capilli & vngues nascantur, neque pro signo innocentiæ ipsius habeatur, vt imperiti iudicant: hoc enim naturale est, & ex naturalibus causis fluit: nam dum humiditas in homine est, crescunt ipsi vngues, barba & capilli: & quod maius est, homini sepulto in terra ipsa nascuntur vngues, barba & capilli vsque in secundum annum vel putrefactionem ipsius. Nec ab his diffident, quæ lib. 4. de cauſ. morbor. inuisibil. recenset: corpus naturæ in sepulcro retinet naturam planetarum & stellarum omnium, quarum naturam & vires peruestigare nequimus, & quo plus quærimus in illis, eo maiora & mirabiliora opera in ipsis reperimus. Retinet quoque eiusmodi corpus omnes proprietates elementi aquæ, ex quo elemento omnia mineralia oriuntur: quare magnetem illud corpus habet, & idem etiam est ferrum: nam quiuis magnes est de natura ferri, illudque deuorat, sicut & eiusmodi corpora seinuicem deuorant. Quin & omnes vires terræ & omniũ crescentium in ea, remanent in illo corpore: nec non proprietas aeris, ob id etiam manna est. Et: Eiusmodi Mumiæ superioris & inferioris sphæræ virtutes in se contentas habent. Illa autem κρησφύγετα, quæ φλυαρώδης & θεοκάπηλος ibidem adducit, miracula apud Sanctorum reliquias naturaliter à

Mumiæ

Mumiæ magnetica vi fieri, in Thessaliam εἰς κόρακας ablegamus. Sic & calor superstes in Scorbuticis morientibus motum διαμερισμοῦ & expulsionis liturarum continuare nequit, dum longe citius suffocatur, quam vt felicem crisin adipiscatur: tantum nimirum humorum exorbitantium extrudendo, quantum è re animalis sit. Vnde necessario res ἐπὶ ξυροῦ: vt Theocrit. in Dioscuris, & Homer. Iliad. 10. loquitur. Recte iccirco Galen. lib. de totius morbi tempor. cap. 5. ait: nec seruari quis potest, nisi natura morbum superauerit: neque perire, nisi natura victa sit, morbusque ea superior euadat.

Sed, vt πολυφασίας næuos effugiamus, sat multum à nobis operę positum, quo prognostica Scorbuti commodius discuterentur: quibus illud Teognidis aptamus:

Εὖ μὲν κείμενον ἄνδρα κακῶς θέμεν, εὐμαρές ἐστιν:
Εὖ δὲ θέμεν, τὸ κακῶς κείμενον ἀργαλέον.

Ῥάδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι, καὶ φαυροτέροις, ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἕσσαι, δυσπαλὲς δὴ γίνεται ἐξαπίνας, εἰ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένεται: vt prudenter Pindarus hymno 4. Pythiorum.

EXER-

EXERCITATIO VII.

CVRATIO SCORBVTI.

SI IN vllo morbo, hercle in Scorbuto ἀξιομνημόνευτον. Phocylidis præceptum accurate trutina ponderandum:

Ἀρχόμενον τὸ κακὸν κόπτειν, ἕλκος τ' ἀκέσασθαι:

Dum, quemadmodum in verſu prouerbiali apud Suidam dicitur:

Ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λώϊον, ἢ ἐς τελευτήν.

Neceſſario igitur, ex ſententia Diodori Siculi lib. 1. Bibliothecæ ſuæ hiſtoricæ, θεραπεία ἀναιροῦσα τὰς ἀρχὰς τῆς νόσου μάλιστα ἂν παρασκευάζει τὴν ὑγίειαν. Vnde & in Scorbuti confinibus hoſtis arcendus eſt: nam, cum intrauit, & portis ſe intulit, modum à captiuis non accipit: quod Seneca lib. de Ira monet. Morbus porro hic, ſi quis ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδεν, (vt Theocrit. in Bucoliſco loquitur:) olet malitiam, & clamitat calliditatem ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum: hinc præſtantiores deſiderat ſacelli Aſclepiadei Hierophantas, quam Terpandrum & Arionem, Iſmeniam item Thebanum, qui quamplurimos grauiſſimis morbis vexatos concentibus curarunt: adſertore Agrippa lib. 2. cap. 24.

Indicationes curãdi Scorbutum νυνεχῶς petuntur à cauſſa coniuncta, quæ eſt μόλυνσις. Hanc generant ichores: qui, cum à liene craſſis ſuccis turgido attrahi nequeant, in tabernam corporis reſtagnant. Quare omnium primo obſtructiones ſplenis reſerandæ, & ſaburra rebellis demulcenda: cum,

cum, ne causæ continenti pabulum suppeditetur: tum vero, vt promtius humor medicamentis pareat: hinc, quicquid recalcitrat, euacuandum: demum non symptomata duntaxat eliminanda, sed etiam prospiciendum, ne partes elumbes pristino scateant putore. Licet autem πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, iubeat Hippoc. 1. aphor. 22. licet etiam Galen. 11. Method. medend. cap. 4. scribat: vbi abundantia humorum est, hos euacuabis: vbi crassi sunt & glutinosi, tenues eos ac fluxiles efficies: ne humor tamen exorbitans, ventriculo, excetorumque Mæandris infarctus, διαχωρήσει subsequuturæ reluctetur, aluo præsertim obturata: neue idem cum aperientibus in venas transuehatur: è re est, ad communes materias educendas, aliis remediis minoratiuum præmittere. Ideo Hippoc. 2. aphor. 29. ἀρχομένων, inquit, τῶν νόσων, ἤν τι δοκέῃ κινεῖν. Ita felicius succedet illa, quam Gal. lib. 2. aphor. 9. proponit methodum: Si quis extenuet & incidat crassos atque tenaces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat, per quos isti transmittuntur atq; trahuntur à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio recte in omnibus procedit: qui vero istud quidem neglexerint, vomitus autem atque alui subductionem procurauerint, iis difficiles obueniunt purgationes, non sine torminibus interdum & vertigine quadam, fastidioque multo, & malo pulsu, ac dissolutione & difficultate. Ne autem Camarina mota fœteat, validis catharticis hic supersedendum: ne ad scopulum, quem Galenus tanquam in specula collocatus, nobis ostedit, impingamus, & sic fructuarium mereamur. Minoratiuorum porro formulas aliquot in

tyronum gratiam subiicimus. ℞. Medullæ cassiæ pinguis recenter à canna extractæ, ʒ. x. pulueris hieræ picræ Galeni, ʒ. j. Ex saccaro fiat bolus. Vel. ℞. medullæ cassiæ extractæ, ʒ. 10. Cinnamomi acuti, ʒ. j. pulueris sennæ præparatæ Montagn. ℈. vj. Confice cum saccaro bolum. Tutissime quoque exhibetur extractum passulatum: quod aliis minoratiuis in Scorbuto palmam præripit. ℞. hordei crudi manipulum: radicis glycirrhizæ rasæ, ℥. v. Prunor. Damascenor. Sebesten, singulorum numero 10. herbar. adianti: cuscutæ, cuiusque manipulum. Decoque igne lento in lib. 11. Vini Puccini aut rubri Tergestini ad tertiæ partis casum. Hinc ℞. folior. Sennæ Alexandrinæ a stipitibus mundatorum, sescuncem. Polypodij querni non cornosi: Myrobolan. Chebulorum & Emblicorum, ana ℥. v. Radicis Mechoacæ, ʒ 1. 5. Florum thymi: epithymi, ana M. v. Tusa infunde per noctem priori decocto: postmodum saccari quadrantem dissolue, & ad serapij consistentiam decoque, addendo 10 is Syriaci, siue Mannæ Calabrinæ quadrantem: nec non libram passularum minorum optime mundatorum, atq; per cribrum setis equinis contextum traiectarum: Sic enim medullæ, relictis pelliculis, sincerior euadit. Omnibus missis adsperge pollinis Cinnamomi, caryophillorum, macis, ana ʒ. v. Demum in formam electuarij redigito: quod non solum palato ægrorum adridet, sed etiam medicorum expectationi respondet, sescunciæ aut sextantis pondere deuoratum, in colluuie ventriculi, intestinorumque citra vehementem ταραχὴν deiicienda. Vel hac via progredere. ℞. folior. sennæ mundatæ,

℥.ij.S.zingiberis,ʒ.j.S.Cinnamomi,galangæ,ana ʒ.
vini Valturreni aut Ceruicollini libram ciuilem.
Iufunde 24. horas: facta post leui ebullitione per
colum traiice. Cum colatura extrahe per setaceum
cribrum passularum minorum,℥.vj. Adde Mannæ
Calabrinæ, ℥.j.S. pulpæ prunorum Damasceno-
rum aut Vngaricorum,℥.j. Saccari Candi,ʒ.vj.Fiat
electuarium. Hi modi vi benedicta anteeunt illo-
rum compositiones: qui passulas in decocto mace-
ratas Scammonio præparato adspergunt: Vel et-
iam pastillis alhandal melleo illi fructui felleum a-
marorem conciliant. Dictorum vicem subit &
hoc: quod ℞. Roris Syriaci quadrātem. Cassiæ nu-
per extractæ sextantem. Succi rosarum, ℥.ij.S. De-
coctionis sennæ, ℥.ij. Saccari penidij ℥.j. Coque
ad mellis spissitudinem: adiice Dacrydij, ʒ.j. me-
dullæ Semin. carthami, ℥.v. Fiat electuarium: quod
aromatisetur olei anisi, ℈.v. olei nucis myristicæ
destillati, guttis iv. In horũ locũ succenturiari pos-
sunt electuariæ officinarum, diacassia cum man-
na, lenitiuum Florenzolæ, de manna, de sebesten,
diademascenon Nicolai, antitodus catholica, a-
liaque eius farinæ: dum modo fortiora susque de-
que faciat medicus, simulque initio statim iucun-
dis remediorum formulis ægrorum aucupetur
gratiam: nam sic miselli non solum dicto audien-
tes erunt toto inualetudinis decursu, sed etiam ro-
bur ventriculo conciliabitur: quo minus phar-
maca cum nausea deglutiant, qui omnia esculen-
ta propter extremam ἀνορεξίαν respuunt. Alias χα-
λεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι: vt Theocrit. Idyll. 10. In
eundem finem anisum laxatiuum adornari po-
test: quo delicatulis fucum facimus. ℞. Turbith
gum-

gummosi: Radicis Mechoacæ vel rhabarbari, ana ʒ. iij. Hermodactylor. ʒ. ij. Dacrydij, ℥. j. S. Cinnamomi acutissimi: Zingiberis, ana ℈. ij Cariophillor. galangæ: macis, ana ʒ. v. folior. sennæ electæ, ℥. v. Semin. anisi, ℔. j. Saccari optimi, ℔. iv. Decoque saccarum artis norma: inque eius liquati parte dimidia pulueres solue, sedulo agitans, ne materia in grumos coeat. Hoc saccaro sic misto, anisum in pelui ænea εὐστόχως tege: partem vero saccari reliquam cum aniso iam incrustato induc. Vel: ℞. Radicis Mechoacæ: turbith albissimi, ana ℥. v. Hermodactylor. ʒ ij. Rhabarbari electi, ʒ. j. S. pulueris sennæ præparat. ℥. v. Dacrydij, ℥. j. Cinnamomacis: caryophillor. galangæ, ana ℈. j. Cubebar. cardamo. Xylo aloes: spicæ Indicæ, ana ℥. v. Specier. cordialium temperatarum: Diaireos simplicis, ana ℥. j. Semin. anisi, ℔. v. In puluerem omnia, aniso excepto, redigantur: & hinc cum saccari albissimi, in decoctione sennæ clarificati, sufficienti quantitate fiat confectio: Cuius vncia aut ʒ. vj. deuoratæ Scorbuticos faciunt foriolos citra noxam: quod nobis de illis non polliceri possumus, qui vel solum Scammonium cum saccaro anisoque miscent: vel anisum in liquore dissoluti Scammonij macerant: vel etiam agarico, similibusque puluisculis amaris dibaphum obtendere nesciunt. Horum remediorum vires æmulatur sequens medicina: quæ habet, extracti aloes, ℈. ij. extracti turbith, ℈. v. Salis absinthij, vel tamarisci, g̃ iij. Da deglutiendum cum guttis ij. olei anisi, pani azymo inuolutum. Hic modus ἀκίνδυνος est: Hinc Cels.

lib. 2. cap. ait: medicamenta ſtomachum fere læ-dunt: ideoque omnibus catharticis aloe miſcenda eſt. Et lib. 1. cap. 3. Sanos iubet ſumere aloen, cum deiectio medicamento petenda eſt, vbi venter ſup-preſſus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. Vnde liquet, aloë vel ſolam Scor-buticis conducere, ſi aliis deſtituamur minorati-uis. Modo detur opera, ne ſuperflua vel extracto-rum, vel ſimplicium compoſitorumue vehemen-tiorum conglutinatione, virtus aloes aut oblitere-tur, aut depopulandi & ſtercora & vires maligni-tatem adipiſcatur. Quam maculam ſibi inuri non patitur extractum aloes, in baſilica Spagirica con-cinnatum: quod ſi cuipiam ad manus non ſit, præ-paratio hæc ſubſtituatur, omnibus pilulis ex aloe compactis nobilior. Vnciis ſex aloes, calculorum expertis, iocinorisque modo coactæ, poſtquam in puluerem exacte redacta eſt, adfunde aquæ roſa-ceæ libram: hinc tamdiu ſuper ignitabulum ſpa-tula lignea agita, donec aloe ad amuſſim ſit diſſolu-ta: tum pedetentim coquæ ad tertiæ partis caſum. Facta ſubſidentia, quamprimum aloe, olei inſtar, extimam occupauit ſuperficiem, limpidum vitro reconde: fecibus denuo priorem liquoris roſacei quantitatem adfunde: & eodē prorſus, quo antea, tenore coque, ſeparaque. Eundem laborem tertio reitera: poſt ſordes abiice: pellucidum aloes flo-rem ſecluſum in tigillo tanto temporis interuallo coque, quantum ouum ad duritiem elixandum deſiderat: tum ſpuma demta, per coctionem ad ſucci craſſitiem redige. Datur à ʒ. j. ad ʒ ij. Habes balſamum aloes: qui purior, efficaciorque redde-tur,

tur, si in cucurbita vini spiritu essentiam eius elicies. Iisdem propemodum dotibus pollet succus Aloendarius Andernaci lib. de peste: ℞. Polypodij quercini minutissime incisi & contusi, ℥.ij. aquę fumariæ, ℔.j. Coque simul in sartagine ærea modice, vti oua solent: tum per linteum non nimis densum exprimatur. Iuri adde aloes optime ℥. xiij. pulu. masticheſ: thuris: myrrhæ claræ, ana ℈. ij. loquantur omnia, dum tota aloe dissoluatur, & sola pellis relinquatur. Postremo rursus expressa in vase probe purgato, coque ad syrupi violacei consistentiam: & membranulam siue cuticulam in superficie exortam cochleari adimito, & alteram quoque, quæ tum statim adnascitur: posterius illud unito, donec refrigescat, & condatur vase vitreo. Ex hoc drachma semissis cum syrup. rosati solutiui modico deglutiatur. His, licet & in Scorbuto suam mercantur laudem, inferiores sunt pilulæ de aloe rosata, aloe phanginæ, de aloe lota, mastichinæ, de aloe & mastiche.

In alui adstrictione præstat ἔγκλυσμα remediis præmittere. Quippe scimus ex Gal. 1. de loc. adfect. cap. 4. quod proximæ ventriculo partes, exhibitis superne tum cibis, tum potibus: quæ vero non ita multum à sede distant, inferne iniectis medicamentis promptius adiuuentur. Enema blandum sit tale. ℞. Herbar. maluæ, altheæ, mercurialis, brancæ vrsinæ, singularum M.j. Flor. chamomillæ, meliloti lutei, ana M. v. Semin. lini, fœni græci, ana ℥. v. Sem. anisi, ʒ. ij. Fiat decoctio in aqua ad medias. Colaturæ cape ℔. 1. (nam si clyster cum multo liquore fiat, transit ad intestina superiora: vt recte mouet Gentilis super Auicen. lib. 1. fen. 4.

cap. 17.) in qua dissolue, cassiæ pro enemate extractæ, ℥. j. Olei amygdalarum dulcium, ℥. ij. ol. anethini, ℥. j. mellis rosati solutiui, ℥. j. Salis ʒ. j. S. Fiat clyster. Potentius hoc operatur. ℞. Quinque herbarum emollientium, origani, hyssopi, ana M. j. Flor. chamemæli, centaurij minoris, ana P. ij. furfurum, P. j. agarici trochiscati in petia ligati, ʒ. j. Semin. lini, anisi, fœniculi, fœnigræci conquassatorum, ana ʒ ij. Fiat decoctio ad ℔. j. In colatura dissolue, elect. catholici, ʒ. vj. Benedictæ laxatiuæ, hieræ picræ Galeni, diaphœnicon, ana ʒ. ij. Olei anethini, ℥. ij. ol. rutacei, ℥ j. Mellis rosati colati, ℥ j. Salis, ʒ j. Fiat clyster. Vel: ℞. Radicis polipodij querni conquassati, ℥. j. Radic. cyclamini, asari, ana ℥. v. Herbar. hyssopi, maluæ, mercurialis, origani, pulegij, altheæ, parietariæ, ana M. j. flor. chamemæli, meliloti, primulæ veris, genistæ, cuiusque P. j. Semin. anisi, marathri, anethi, carui, ana ʒ. ij. furfurum P. j. Fiat decoctio colata ad ℔. j. In ea dissolue, elect. Benedictæ laxatiuæ, ʒ. vj. Diaphœnicum, Episcopi, ana ʒ. iij. Oleor. anethini & liliorum, ana ℥. j. S. Mellis rosati solutiui, ℥. j. Salis, ℈. iv. Fiat clyster. Quanquam hic asterisco notandum, In Scorbuto aliisque inualetudinibus plerunque illos συγκεκροτημένως medicari, qui clysteribus emollientibus lubricantibusque aluum ducunt, quam qui laciniatim vehementiorum purgantium è lachanopolio συγκολλήσει intestina exasperant & excoriant, inque πάρεσιν artuum ægros præcipitant. Hinc præstant enemata, quæ ex solis oleis cum Saccari rubei salisque modico concinnantur: quibus quandoque cassia pro enemate extracta, & Syrupus ex mul-

multiplici florum chamomillæ infusione, in iure alectorio soluta miscentur. Aliis autem palmam suffuratur hoc. ♃. Butyri Maialis, ℔. ij. Succorum maluæ & parietariæ, ana ℔. j. Olei amygdalarum dulcium ac amararum, cuiuslibet ℥. iv. Olei terebinthinæ, ʒ. iij fol. Sennæ Alexandr. ℥. j. S. Puluer. Semin. fœniculi, anisi, carui: cumini, ana ℥. j. Misce pro vnguento: cuius sufficiens pars in conuenienti liquore, vel decocto herbarum emollientium dissoluatur pro clystere. Vel: ♃. Succi mercurialis trientem. Succi betæ quadrantem. Decocti Centaurei minoris, ℥. iv. Olei communis, ℥. ij. vitellum oui vnum. Saccari rubei, ℥. j. vel sapæ vini, ℥. iij.

Hac ratione omnibus, quæ remediorum ἐνέργειαν remorari possunt, repagulis semotis, medicus se accingat operi, in hoc vnum defigens oculum, vt oppilata lienis incilia reseret: in id vero alterum, ne crudus humor πέψιν deposcens, euacuationi reluctetur. Quando autem de coctione humoris Scorbutici disserimus, non intelligimus absolutam πέψιν, quæ Aristoteli 4. Meteorol. cap. 2. ἐστὶ τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ, ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν: in qua id, quod coquitur, pristinam exsuit formam, vt nobiliorem induat naturam: ideoque ὅταν πεφθῇ, τετελείωταί τε καὶ γέγονε. Sed humorem Scorbuticum concoqui dicimus: cum integra subiecti manente substantia, crassiora attenuantur, tenuiora incrassantur, ὁμογενῆ coniunguntur, ἑτερογενῆ secernuntur. Συμβαίνει δὲ τοῦτο πάσχειν ἅπασιν: ὅταν κρατηθῇ ἡ ὕλη καὶ ἡ ὑγρότης. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ὁριζομένη ὑπὸ τῆς ἐν τῇ φύ-

σει θερμότητος. Hic genuinus est coctionis modus in Scorbuto: quem idem Philosophiæ Deus nobis dilucidius his inculcat: Τοῖς δὲ εἰς ὑποκειμένην τινὰ μορφὴν τὸ τέλος ἐστὶ τῆς πέψεως; ὅταν τοιονδὶ γένηται, καὶ τοσονδὶ τὸ ὑγρὸν, ἢ ὀπτώμενον, ἢ ἑψόμενον, ἢ σηπόμενον, ἢ ἄλλως πως θερμαινόμενον. Τότε γὰρ χρήσιμόν ἐστι, καὶ πεπέφθαι φαμέν. Si hanc τελείωσιν colluuiei Scorbuticæ induxerimus, eam coctam dicemus: artificiose totam rem ad πέπανσιν, quæ est πέψις τις, reuocantes: ἐστὶ δὲ ἡ φυμάτων καὶ φλέγματος καὶ τῶν τοιούτων πέπανσις ἡ ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ θερμοῦ τοῦ ἐνόντος ὑγροῦ πέψις. In eadem sentētia est Paracels. com. sect. 1. aphor. Hipp. 22. Re, ait, immatura nemo vti potest: quid enim prodest immaturum pomum vel pirum? Ita etiam nihil incipi potest cum morbo immaturo: apostema nisi prius maturescat, nullam medicinam accipit: maturatione autem præcedente, sequitur eius cura: ita etiam in toto corpore accidit. Si quis enim apostema aperiret nondum maturum, id non fieret sine magno damno & dolore, præterquā quod multa mala postmodum metuenda essent: ita etiam in toto corpore accideret. Præter modum autem maturationis per attractiua. & horas stellarum morborum, proponit Theophrastus aliam maturationis viam, vt scilicet durum mollescat, hoc est, induratum resoluatur in aquam, sicut ferrum in aquam resoluitur: quæ quidem destructiones sunt naturarum, vt ex duritie in mollitiem tendant, sicut in homine fit, & ea postea per sudorem expelluntur, aut per vrinam, per sedes, prout morbo conuenit suum emunctorium. Talis corruptio quidem bona est & vtilis, si recte intelligatur, vt vera maturatio. Exauguramus iccirco Manardi ad-

seclas

ſeclas: qui ante πέψιν ſiue πέπανσιν in morbis exorbitantes humores cum præſenti noxa catharticis acribus, quin etiam Alcha eſt Paracelſi, plumboue de minera eliminare conantur. Quibus vero medicinis, & humor coquendus, & obſtructiones aperiendæ ſint, videndum. Culpa pol non caret illa, quæ hodie multos inceſſit, libido: qui ἐξωτικὰ domeſticis præferunt. Præterquam enim, quod familiariora nobis ſunt, quæ circa nos ſunt: ita ſuſpecta magis, quæ procul petita. Vnde ſæpe pro remedio venenum, pro vita mortem, nouitatis pœnam luentes eligimus. Scite Plin. lib. 22. cap. 24. nos nec Arabicarum, Indicarumque mercium, aut externi orbis attingimus medicinas: non placent remedia tam longe petita: non nobis gignuntur, immo ne illis quidem, alioquin non venderent. Et lib. 24. cap. 2. Idem ait: hæ ſola naturæ placuerunt eſſe remedia parata vulgo, inuentu facilia & ſine diſpendio, ex quibus viuimus: poſtea fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinis inuenere iſtas, in quibus ſua cuique hominis venalis promittitur vita: ſtatim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decãtantur: Arabia atque India in medio æſtimantur, vlcerique paruo medicina à rubro mari imputatur, cum remedia fere quotidie pauperrimus quiſque cœnitet: nam ſi ex horto petantur, aut herba vel frutex quæratur, nulla artium vilior fiet. Quare, ne Germaniæ fertili grauem infligamus ſecurim, in id intendemus neruos: ne peregrinorum illecebris faſcinati, domeſtica amittamus. Inter cunctas vero remediorum formulas maximopere apozemata probamus: quorum vſu per dies aliquot continuato, materiæ morboſæ co-

ctio ad vnguem perficitur. Cum enim Scorbutus aliquas ferat inducias: præstat humore admodum crudo & infarctibus recalcitrantibus pedetentim naturam Gortari, vt hostis iugum primo quoque tempore excutiat: quam imbellem œconomum inopinato grandioribus Sclopetis & Falconettis pessundare. Eiusmodi porro apozematis quamuis plurimi turgeant codices: quia tamen hæc crassum potius atrabilarium succum, quam ichores genuinam Scorbuti caussam respiciunt, ne hic enorme patretur facinus, in proscenium aliquot producemus. ℞. Radic. fœniculi, apij, petroselini, ebuli, eryngij, enulæ campanæ, iridis Illiricæ, calami aromatici, singularum ℥.ij. Corticum radic. tamaricis & capparum: radic. asari, ana ℥. j. Herbar. nasturtij satiui, M.j. S. Cuscutæ, capilli Veneris, polytrichi, Scolopendrij, chamædris, singularum M. j. Flor. boraginis, thymi, fumariæ, ana P. j. S. Sem. marathri, anisi, ammeos, ana ʒ. iij. Semin. melonum, ʒ. v. vuarum passarum maiorum exossatarum, paria x. Cinnam. electi conquassati, ʒ.iij. Cicerum rubeorum, P. ij. Omnium arte præparatorum fiat decoctio in ℔. iv. aquæ fontanæ ad casum medietatis. Colaturæ fortiter per prælum expressæ adde, Syr. de quinque radicibus, de eupatorio, ana ℥. iij. de absinthio: Oxysaccari compositi: Oxymellis cum agarico, ana ℥.j. clarificetur, & aromatisetur, Ciñamomi acuti, radicis iridis & santali citrini, ana ʒ.j. Fiat apozema: de quo quotidie ꝓpinetur Scorbutico triens, ante prandium & cœnam horis iv. Haustu quolibet sumto, tabellã vnam atq; alteram deuoret: quæ paratur ex extracti calami aromatici g̃. xvj. olei macis destillati gutt. iij. Sac-
cari

cari albiſſimi in ſtillatitio citraginis liquore ſoluti, ℥. iv. Aut conficiantur rotulæ cum extracti agallochi ℈. viij. Saccari optimi in aqua roſacea diſſoluti, ℥. iij. Simpliciores quantumuis hæ prima fronte appareant confectiones, quia nec ſpecies aromaticas, nec alia precioſa contineant: efficaciores tamen ſunt, quam ſi craſſiorum medicamentorum admiſſione & operatio retardaretur, & forma extracti prorſus obtunderetur. Qui mauult, extractorum chymicorum loco vtatur confectionibus aromatici caryophillati & roſati, diacinnamomum, vel dianthon. Oxymellis cum agarico iſta eſt deſcriptio. ℞. Radic. fœniculi, ℥. ij. Radic. aſparagi, cichorij, ſingularum ℥. j. S. Contunde: conquaſſa: decoque in ſufficienti aquæ quantitate ad remanentiam ℥. xviij. adde libram aceti acerrimi: cum parum bullierit, exprime. Decocto colaturæ calido, iniice ℥. iv. agarici optimi & friabilis, craſſe contuſi ac inciſi, inque petra ligati: infundatur horas 24. in vaſe vitreo bene obturato: poſt exprimatur fortiter & abiiciatur. Iterum priorem agarici quantitatem cape: quæ eodem, quo antea, in decocto calido foueatur modo 24. horis: deinde valde calido exprimatur, coleturque. Demum adiice mellis optimi deſpumati, ℥. xvj. percoquantur ſimul ad iuſtam ſpiſſitudinem. Non multum diſſimili ratione aliud concinnari poteſt decoctum. ℞. Cortic. radic. capparũ, ʒ. vj. Radic. fœniculi, polypodij, querni, ana ℥. v. calami aromatici, ʒ. iij. Herbar. naſturtij hortenſis, M. j. S. cetarach. chamædrys, ana M. j. Flor. betonicæ, anthos, ana M. v. Sem. aniſi, ʒ. ij. Paſſularum minorum mundatarum, priuſque inciſarum: (quod aſteriſco notandum

tandum

tandum: nisi enim hæ inciduntur aut conquassentur in mortario ante cocturam, intumescunt duntaxat, nec vis vlla decocto communicatur:) ℥. ij. Decoque in aqua ad ℥. xiv. remanentiam. Colati ℥. iij. S. admisce, Syr. de quinque radicibus, ℥. j. Oxymellis cum agarico, ℥. v. Oxymellis hellobo-rati Iuliani maioris, ʒ. ij. Aquæ Cin̄amomi, ʒ. j. S. Fiat potio vna: eademque lance subsequentes tres librentur, & in aurora & ante cœnam propinentur: nec intermittatur vsus dictarum tabellarum. Cui apozemata ob laborem displicent, stillatitios liquores substituat: veluti ♃. Aquar. fumariæ & petroselini, singularum ℥. j. S. Syr. de eupatorio, ℥. j. Oxymellis cum agarico, ℥. S. Olei fœniculi, gutt. ij. Aut ♃. Aquæ cuscutæ, ℥. ij. agrimoniæ, ℥. j. Syr. de quinq; radicibus, ℥. j. de absinthio, ℥. v. Oxymellis cum agarico, ʒ. ij. Olei anisi, gutt. ij. Misce pro haustu: cui quandoque addi possunt extracti calami aromatici, & iridis Florentinæ, ana g̃. iij. Hæc superant liquores chymici: qui sic adornari possunt· ♃. Radic. fœniculi, ononidis, petro selini, ana sescuncem. Calami aromatici, vnciam. Herbar. nasturtij hortensis, M iij. fumariæ: Chamædrys: capilli veneris: Scolopendriæ, ana M. ij. Semin. erucæ, nasturtij, anisi, ana ʒ. iij. fœniculi, portulacæ, ana ʒ. ij. conseruarū nasturtij, quadrantem: fumariæ, sextantem: absinthij ℥. j. Passularum minorum incusarum, ℥. j. S. Aquar. nasturtij, ℔. ij. S. fumariæ: fragorum. Vini albi, ana ℔. I. S. Macerentur simul per quatuor dies in vase cæco circulatorio Hermatis: hinc destillentur in cineribus, Trienti liquoris admisce Spiritus Tartari correcti, ʒ. ij. Detur bis hæc medicina quotidie:

cuius συνεργία mira erit, si præsertim addantur salis tamaricis & absinthij singulorum grana ij. vel iij. Earundem virium est Aqua Tartarea Paracelsi: quæ sumit, Cinnamo. electi confusi, ℔. j. aq. rosarum, ℔. iv. Liquoris Tartari correcti, ℥. j. S. Misceantur, & macerentur in balneo Mariæ per 24. horas: destillenturque. Idem præstat Quinta eius essentia: cum calx Tartari vini alcoole perfunditur, & per sex dies in fimo ponitur: post cum cohobiis destillatur, vt fere totum exeat. Calx autem sic paratur: includitur fictili crudo, & in furno figulorum reuerberatur ad exactam albedinem. Massa semel calcinata abraditur, & teritur: si non respondet, iterum imponitur. Potest & catino includi, & reuerberio calcinari. Hic vero mouendum, plerosque Galenicos spiritum Tartari ob enormem putorem exsecrari. Paracelsitæ huic malo mederi conantur, dum ex sententia præceptoris lib. de persicaria, tartarum per reuerberatorium in calcem albissimam redactum, in vini alcoole, septem dierum spacio putrefactione soluunt: quo euaporante sal residet in fundo: è quo demum eliciunt oleum, calcem capitis mortui toties spiritu vini impręgnantes, donec vniuersa tartari massa in oleum abierit. Verum cum non duntaxat tædiosi hæc solutio sit laboris ob cohobia, tot scilicet fæcum calcinationibus, tot circulationibus, tot separationibus, tot destillationibus: sed etiam inter calcinandum spiritus efficacissimi dissipentur: pręstat saniorum nos æmulari industriam, qui crudi tartari, prius vino generoso abluti aliquoties exsiccatique, puluerem ampullæ erectæ vel retortæ vitreæ potius quam terreæ indunt, cum amplo recipiente,

cipiente, commissuris diligentissime ferruminatis, & igne primum leni, mox luculentiore, (qualis fere in aqua stygia vel oleo Chalcanti requiritur:) vberem spirituum alborum copiam euocant, qui & in aquam & oleum crassissimum fœtensq; conuertuntur. Refrigeratis porro vasis liquor eximitur, & vel per infundibulum vel, (quod mage adridet,) per rectam cucurbitã in Balneo ab aqua secernitur oleum, in quo mumia quędã inest, quę omne genus manantium vlcerũ curare apta est, dũ ipsorum corrosiuam vim attemperat ac tollit: vt de tartari dulcedine Paracels. lib. 10. de tumor. & vlcerib. Gallic. scribit. Aqua autẽ putorem prorsus exsuit, si per cineres vel arenam cũ colcothare bis terue destillando corrigitur, & hinc cũ spiritu vini in aheno chaldario Mariæ per quatriduũ circulatur, donec tandem separato menstruo euadat spiritus tartari nobilissimus, in contumacibus viscerum obstructionibus hepatis, lienis, cystis fellis & renum, (Paracels. lib. 3. de male curatis restituend. cap. 28.) ictero ac lepræ principiis, (Idem lib. 10. de tumor. & vlcer. Gallic.) hydrope, (ibid. lib. 8. cap. 2.) calculo, apostematibus, (lib. 3. de male curat. restituend. ca. 30. de Tartaro correcto, quod Crepinũ introuersum appellat:) & omnibus morbis tartareis. Illi vero spiritui Tartari in republ. Machaonia igni & aqua interdicendum, quo chrysurgi ad soluẽda metalla vtuntur: dum nempe Samech solum vel cum nitro calcinatum, & cum vrina puerorum vel aceto radicato solutum, per retortã triplici luto munitam igne reuerberij agunt: donec sal totus in aquam abierit: & caput mortuum è fracto vase exemtum aliquoties cohobant, id est, terunt, perfu-

ſum deſtillato macerant, digerunt ac deſtillant. Sicut enim metalla, quis dura, ſpiritus hic trannat: à ſua acrimonia partes corrodit: vnde & Theophraſt. lib. 2. chirurg. Magn. partic. 3. Tartari ſal acerrimum vocat. Non tamē in Scorbuto exauctoramus alkali Tartari, ſi νυνεχῶς cum ſpiritu eiuſdem exhibeatur: dū ſcilicet caput mortuum in aqua calida diſſoluitur, diſſolutum bis terue filtratur: idem ad ignem per aquæ euaporationem coagulatur, donec ſal in fundo vaſis ſubſidat: qui, ſi rurſus diſſoluatur coaguleturq; cryſtallinus euadit, & vitro in cella vinaria alioue humido loco collocatus in oleum limpidum tranſit. Quandoq; loco ſpiritus Tartari ſubſtitui poteſt liquor criſtallorum: quem ſupra demōſtr. 10. inter diuretica in lienis adfectibus adhibenda deſcripſimus. Hæc remedia repetantur tamdiu, donec euidentem humorum coctionem vrina portendat: quæ ad bonitatem accedit. Vrina autem optima Hippocrati in Prognoſt. comm. 2. ſent. 26. eſt: ſi candidum ſedimentum fuerit, leueque & æquale per omne tempus, dum morbus iudicetur: ſecuritatem enim ac morbum fore breuem ſignificat. Quod Gal. 1. aphor. 12. repetit: libro vero de totius morb. tempor. cap. 6. enodat, inquiens: vrina boni coloris & mediocriter craſſa omnium longe eſt optima, quantum ad colorem & conſiſtentiam pertinet: adeſſe vero ei vel ſalubre ſuſpenſū, vel nebulam conuenit, vel ſubſidentiam, vtcunq; morbi natura poſtulauerit: alia enim in bilioſis morbis, alia in abundantiis, quæ ex crudis humoribus proueniunt, reſidere tibi demonſtrauimus. Si itaq; in Scorbuto vrina cruda ad vrinæ optimæ cōditiones declinauerit, coctionis euidēs habem⁹ ſignū. Vrina

autem

autem cruda eidem Galeno citato modo loco est: quæ nec suspensum quicquam, nec subsidens, aut nebulam habet, immo quę nec crassi iem aliquam, vel pallidum colorem adsumsit, sed alba est & consistentia tenuis, aquæ speciem referens. Cocta icirco Scorbutica materia, infarctibusque reseratis, humores delinquentes validioribus debellandi sunt præsidiis: quæ antequam in aciem producamus, præstat herbas nonnullas penicillo adumbrare: quarum vsus & in coctione, & eradicatione humoris Scorbutici passim summis ad cœlum laudibus euehitur. Principem sibi locum vendicat cochlearia: quam viuis coloribus depingit Vierus, cui domestica est, velut inferiori Germaniæ & præsertim Occano finitimis Frisiæ & Hollandiæ frequentissima. Nomen sortitur à foliorum circinata, cauaque rotunditate, cochlearis conuexum, intimamque superficiem exprimente: vnde Germani & Belgi eam Lepfelkraut nuncupant: quo respectu & κοτυληδὼν nominari posset: cum κοτύλη omne cauum denotet. Diuersas cochlearia pro ætatis diuersitate repræsentat formas. Nam quæ folia prima pullulatione à radice cum pediculis protruduntur pyrolæ aut ophioglosso adfinia: ea mox asari vel hederæ æmulentur figuram, nonnihil caua & ambitu angulosa, rorellæ solis modo, sed magnitudine soldanellæ, propiusque ad cochlearis accedunt formam. Hinc quo altius ad vmbellam aut muscarium à radice conscendunt: eo magis striantur, gracilescuntque, flosculis cardamines albidis: quibus in vtriculis siliquosis succedit semẽ subrubrum & compressum, thlaspi tamen minus fuscum. Radix cochleariæ tenuis, albicans, recta,
paucis

paucis fibris conſtat, guſtu acri, herbaceo, naſturtij aut ſiſymbri cardamines. Non autem hic vitiligabimus cum illis: qui cochleariam Plinij lib. 25. Natur. hiſtor. cap. 3. Britannicam cenſent: quod iiſdem dotibus comperiatur, quas Cæſaris milites trans Rhenum promotis caſtris aduerſus luem illam, & dentium, neruorumque noxam, edocti à Friſiis colonis ſunt experti. Nam Britannicæ, ſi folia rimeris nigriora, hirſutioraque, ſilueſtri rumici ſimilia, vt Dioſcor. lib. 4. cap. 2. deſcribit, cochlearia minime reſpondet: & permultæ ſunt plantæ aquaticæ, vt naſturtia & Sion cardamine, eidē perſimiles guſtu, nec admodum diſſimiles habitu, quæ idem remedij dant. Multo vero minus cum Lacunæ adſeclis quid nobis negotij eſt: qui cochleariam cum telephio confundunt. Quemadmodum enim ramuli telephij, (vt Dioſcor. lib. 2. cap. 179. teſtatur: prodeunt à radice cæruleis foliis pleni, craſſis, glutinoſis, carnoſiſque, floreſque illi lutei ſunt aut candidi: foliis item & coliculo ſimilis portulacæ eſt herba: ita vice verſa cochlearia ſaturati eſt viroris, cuius folia non plana, ſed ad cochlearis formam incuruata ſunt cum exiguis angulis, & flos ſemper albus conſpicitur: neq; ſcapum portulacæ agit ſimilē, glutinoſum & rotundum, ſed petiolos duntaxat introrſum anguloſos, extima vero ſuperficie rotūdos. Cochlearia porro vti ſiſymbrij cardamines Diſcoridæ lib. 2. cap. 117. ſiue naſturtiæ aquaticæ acrimoniam veſcentibus refert: ita cum naſturtiis viribus certat: vt alterum in alterius locum ſuccenturiari queat. Hoc autem de ſecunda ſiſymbrij apud Dioſcor. ſpecie intelligimus. Primum quippe ſiſymbrium in familiam potius men-

thæ ac mẽtastri relegandum: cum quibus tantope-
re illi conuenit, vt quasi mutuo naturæ symbolo,
altera in alteram abeat. Noua stirpium Aduersaria
recensent, Anglicæ cochleariæ ope, vehementer
adflictos Scorbuto ægros, iutos. Ea in Anglia ad a-
mænissimi Tamesis fluenta, qua Londinum præ-
terlapsus est, etiamsi in Bristoiæ sinu occidui Occa-
ni, quo allidunt per stata incremenra vndæ, nasci-
tur veræ cochleariæ similis flore, semine & sapore
sed foliis non æque vmbilicatis, aut cochleatis, po-
tius atriplicem aut lapathiolum effigiantibus, vn-
cium latis, inde sesquiunciæ aut vnciarum dua-
rum longitudinem porrectis, crassis, densis &
succulentis, gustu & colore alterius cochleariæ, ra-
dice maiore, vt qualibet sui parte, minus tamen ad-
stringente, nec commoda ad ea, quæ suæ Britanni-
cæ Dioscorides attribuit. Eandem vim in Scor-
buto fugando plurimi doctorum tertio sedi gene-
ri apud Dioscor. lib. 4. cap. 86. imputant: quod
pleriq; portulacam agrestẽ, aut telephium vocant:
Romani vero illecebram, Pumila est herba, quæ
exiguis ramulis parietes, saxosasq; moles & colles
aridos amplexantibus, gracilibus reptat: vnde sci-
te πετροφυὲς dicitur. Flores aureos stellatos habet:
acrem item exulcerantemq; gustum, quasi aronis
aut flammulæ: vnde Germanis piper murale vel
murinum, Mauwerpfeffer indigitatur: item à for-
ma Katzen Träubel vnd Jüden Träubel. Speciem es-
se volunt vermicularis, quę crassula minor est offi-
cinarum, siue illecebra maior, & suam quoque in
Scorbuto meretur laudem. Nequaquam autem de
prosapia sedi est illecebra, licet natales eosdem, fa-
ciemque minori sedo similem habeat, cum contra-

ria

ria prorſus polleat caleſaciendi vlcerandiq; facultate: nec ſemper vireat: quod ſi ponderaſſet Tragus lib. 1. hiſtor. Stirpium cap. 124. facile in hanc iuiſſet ſententiam. Iiſdem ornamentis dotata eſt anagallis, Becabunga Germanorum, quæ ſecus pratenſes riuulos in pigris aquis aut ſubſtilliis naſcitur, fruticoſis, ramulis, carnoſis, portulacæ & numulariæ in humum deflexis, fœtura dit j florũ cœruleorum anagallid s ſimiliũ ſtipata, guſtu naſturtij acriore. Idem de vniuerſa naſturtiorum familia adſerimus. Hæ herbæ vel decoctis miſcentur: vel contuſarum ſuccus propinatur, qui efficacior decocto eſt, ſi præſertim cum ſaccaro, nuce myriſtica, cinnamomo, macere & croco inſtar ſerapij præparetur: vel ex illis liquores organis conuenientibus eliciuntur, & cũ ſpiritibus tartari ac cryſtalli hauriuntur, vel earum cõſeruæ cum vino exhibentur.

Nunc, quibus purgantibus περίτλωμα hoc extrudendum, contemplemur. Nobis, vt prius, ita hic quoq; decocta adridẽt. Ergo ℞. Radic. polypodij, ℥. v. folior. ſennæ à ſtipitibus mundator. ʒ. vj. Mirobalan. chebulor. ʒ. iij. agarici trochiſcati, ʒ. j. Sem. aniſi, ʒ. ij. Cinnam. ʒ. j. S. Caſſiæ ſpatulæ exemtæ, ʒ. vj. Paſſularum minorum, ʒ. vj. S. Herbæ cochleariæ, aut illecebræ, M. j. S. Flor. boraginis, M. v. Præparata infunde per noctem in aquæ fontanæ, ℥. viij. & vini generoſi quincunce: poſtea coque vltra caſum tertiæ partis, & cola forti expreſſione: tandem per filtrum dimitte, vt clareſcant, aliquoties. Colati quadranti admiſce Syr. è Senna, ℥. j. Syr. domeſtici, ſiue de ſpina infectoria. Oxymellis cum agarico, ana didrachmã: fiat hauſtus: cui addãtur eſſentiæ coriãdri, aut olei maioranæ gut. ij.

Syrupi è Senna, hoc eſt, πεχνήδριον. ℞. Radic. Gly-
cyrrhizæ, polixodij: cichorij, ſingularũ ℥. j. Paſſu-
larum minorum inciſarum, ℥. ij. Prunor. Vngari-
cor. numero ix. Decoque in ſufficienti quantitate
aquæ: deinde fortiter exprime. Hinc folior. Sennæ
à ſtipitibus mundatæ quadrantem in cucurbitam
vitream pone, decoctum calidum adfundens: cæ-
co alembico cucurbitæ impoſito, iuncturiſq; nor-
ma Hermetica ſigillatis, ampullam per noctem a-
quæ calenti impone: mane prælo fortiter exprime.
Colaturæ feruenti ſecundo iniice prius ſennæ pu-
riſſimæ pondus. Stet per noctem in balneo calido,
vt antea, & exprime. Tertia demum vice quadran-
tem cape ſennæ purgatæ. Agarici optimi, & rha-
barbari, ana ℥. v. Spicæ Indæ, ℈. iv. Cinnam. Caryo-
phil. zingiberis, ana ʒ. j. S. Flor. boraginis, bugloſ-
ſæ, violarum, roſarum rubrarum, ſingulorum M. j.
Parum contuſa infundãtur decocto calido in ma-
tratio per noctem. Poſt ferueant modice, & valide
exprimantur, colenturque, & adiectis Saccari cum
aluo oui clarificati, ℔. ij. fiat Syrupus. Aliud deco-
ctum. ℞. Radic. polypodij, eryngij, charyophil-
latæ, corticum radic. capparum, ana ℥. j. Glycyrrh-
cæ raſæ, ʒ. vj. Herbar. cochleariæ, aut illecebræ, M.
j. anagallidis aquaticæ, naſturtij aquatici, chamæ-
drys, citraginis, agrimoniæ, cuſcutæ, ana M. S. Flor.
borag. bugloſſæ, fumariæ, ana M. 5: Sem. aniſi, fœ-
niculi, ana ʒ. ij. Sem. Coriandri præpar. petroſeli-
ni. citri, ana ʒ. j. S. Folior. Sennæ electæ, ℥. ij. S. Epi-
thymi, ʒ. vj. Mechoacæ, (hæc enim indubitanter
ſeroſos humores educit:) ℥. v. Agarici trochiſcati,
ʒ. ij. Cortic. ellebori nigri præpar. ʒ. j. S. Galangæ,
℈. iv. Coque in aqua ad tertias. Colaturæ ℞. ℔. j.
S. Syr.

S. Syr. è Senna, ℥. iij. de ſpina infectoria, ℥. j. Diacnicu, ℥. v. Fiat apozema pro aliquot doſibus, quæ tolerantia ægri metiendæ. Vel: ℞. Radic. polypodij, ℥. j. S. Rhapontici pinguis, ʒ. vj. cortic. radic. capparum, ℥. v. Radic. ononidis, petroſelini, calami aromatici, ana ʒ. ij. Herbar. cochleariæ, aut illecebræ, M. j. cuſcutæ, naſturtij aquatici, ana M. ſ. Flor. borag. P. iij. Sem. aniſi, fœniculi, coriandri præpar. apij, ana ʒ. ij. Sem. cnici, ʒ. vj. Paſſular. minor. mundatur. ℥. ij. Coque in aqua lento igne ad caſum fere medietatis. Poſtea ſuperioribus adde ſequentia lege artis præparata, & ſimul omnia infuſa, nempe folior. ſennæ ſiue ſtipitibus, ℥. j. ʒ. vj. Folliculor. ſennæ: Tamar Indorum: epithymi, ana ʒ. ij. Caſſiæ ſpatula extractæ, ℥. v. Mechoacæ, ʒ. ij. S. Corticum Myrobolan. Chebulor. Emblicor. & Indar. Turbith. gummoſi: radic. hermodactyli veri purgati, ana ℈. iv. Agarici nuperrime trochiſcati, ℈. ij. ellebori nigri Syriaci: ſpicæ Indicę, ana ℈. j. Cinnam. optimi, ʒ. ij. Quando in infuſione per noctem ſteterint, ebulliant, ad libræ caſum: colataque expreſſione forti, optime albumine oui clareſiant, & per filtrum dimittantur. Tandem ℞. Colaturæ ℔. j. S. adde Mannæ calabrinæ, ℥. ij. S. Syr. è Senna, ℥. j. S. Syr. domeſtici: Oxymellis cum agarico, ana ℥. j. Diſſolue prius, & cola: deinde admiſtis aquæ cinnamomi, ʒ. vj. fiat potio clara: cuius mane triens, poſt meridiem vero ſextans quadranſue Scorbutico exhibeatur. Ronſſei hoc eſt decoctum. ℞. Cortic. radic. capparum: tamaricis: fraxini, ſingulorum ʒ. ij. Sem. aniſi, fœniculi, ana ʒ. v. Quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ana ʒ. j. Herbæ Britannicæ, id eſt, cochleariæ cum radicibus, M. j. S. Tele-

phei: Sisymbrij vel nasturtij aquatici: absinthij vtriusque, vulgaris & Pontici: chamædrys: teucrij, singularum M.j. Quinque generum Myrobalanorum, ana ʒ j. asari: thymi: epithymi: cassuthæ, ana P.j. florum genistæ, M.v. Sennæ Alexandrinæ, ℥. j. vel v. Facta omnium decoctione, prout ars exigit, in sufficienti quantitate aquæ ad ℔. j & ℥. iv. patienti matutino & pomeridiano tempore, colaturæ eiusdem propinabimus ad ℥. iv. Qui simpliciorem desiderat potionem, misceat Syrupos è senna & Diacnicu cum electuariis, Indo maiore, Diacarthamu, Episcopi, Diaphœnicon & Diaturbith cum rhabarbaro: dissoluatq; in decoctione sennæ, atq; addat guttam olei anisi, aut caryophillorum, aut rorismarini, pro ægri cõditione. Quod apozemata præstant, idem certiùs pollicentur spagirica: vt ℞. Extracti corticum ellebori nigri, in balneo feruentissimo infusorum in aqua anisi, & postea cum spiritu vini infusionis macis per cohobia circulatorum, donec tinctura prorsus sit euocata, ʒ.v. Extracti turbith, & Mechoacæ, ana ℈.v. Extracti calami aromatici, g̃. ij. Salis absinthij, g̃. iij. olei cinnamom. guttam. Cum pane azymo in mero madefacto deglutiatur. Vel: ℞. Extracti aloes, ʒ.v. Extracti ellebori nigri, vel agarici, ℈.j. extracti Dacrydij, vel trochiscorum alhandal, g̃. iij. vel iv. Salis tamarisci, g̃. iij. oleor. cinnamomi & anisi, singulorum guttulam. Formẽtur inde pilulæ. His respondet extractũ Cnicopharmaci apud Andernacum. ℞. Medullæ seminis cnici, ℥.iv. Turpethi albi: folior. sennæ Alexandrinæ, ana ʒ. j. S. Dacrydij, ʒ. v. rhabarbari electi, ℥.j. agarici trochiscati, ʒ.vj. Mannæ granatæ, ℥. ij. S. Myrobolan. Chebulor. ℥. iij.

radic.

radic. polypodij, ℥.ij. zingiberis albi, ʒ.ij. Minutim incidantur, vel crassius conterantur, & in vini spiritum, ex quo pulueris confectionis Diambræ, ℥.j. per dies viij. macerata fuerit, ponantur, sinanturq; stare in loco calidiore diebus 14. deinde sacculo indantur, & sub prælo valde exprimantur: postea id, quod expressum est, ampullæ infundatur, & operculo imposito vinum exstilletur, donec ad mellis spissitudinem peruenerit. Drachma dimidia iunionioribus, adultis integra ex iure, vel liquore peculiari, cũ syrupi rosacei aut violacei solutorij semũcia diluitur, potuiq; datur. Earundem virium sunt extracti Panchymagogi ℈.ij. vel ℈.ij.S. cũ gutta olei cinnamomi sumti. Eius hæc sit descriptio. ℞. Pulpæ colocynthidis, vel trochiscor. Alhandal. ʒ. vj. Turbith. ℥.j. Rhabarb. selecti, ʒ. ij. cortic. ellebori nigri p̃parati, ʒ.iij. foli. sennæ mundatæ, ℥.j. Dacrydij, Elaterij, ana ʒ.v. agarici trochiscati. Mechoacæ, ana ℥.v. specier. Diãbræ, ℥.j.S. Fiat extractũ: cui misce Balsami aloes, ʒ.x. ol. zinziberis, macis, caryophillor. ana ℈.v. Essentiæ croci, g̃.v. Præstans est in Scorbuto, vt & aliis grauibus morbis. Cũ autem de Extractis disserimus, plebeium seplasiariorũ apparatum explodimus: quando medicamentũ stillatitio liquore vinoue competente maceratur: hinc in diplomate, vel aheni caldarij vapore, vase operculo stipato, cõmissurisq; massa frumẽtacea oblitos, tãdiu bullit, donec essẽtia in ius est deposita: deinde p̃ prælũ valide exprimitur, coctioneq; ad mellis coagulatur crassamẽtũ: vel adiecto saccaro fit diuaporatio ad iustã consistentiã. Sed illa exosculamur extracta: cũ Spagirico & solertione apparatu per vini spiritũ, medicamẽtorum soluitur cõpages, occlusa

reſeratur firmitas, aſtralis elicitur ſententia, purum ægris propinatur, ſordes eliminantur. Hæc ſeparatio non duntaxat delicatulis arridet ob doſis exilitatẽ, ſaporiſq; lenocinium: ſed etiam medicis q ἡσύχως, ταχέως, καὶ ἀσφαλῶς curare volũt, admodum neceſſaria eſt. Natura n. fere omnia inquinamẽtis miſcuit. Sin corpore noſtro humores inueniuntur heterogenei. Sic tellus plurima gignit, quæ cruditate offendunt: coctione autem, ſeparatione & calore ignis mitigata, humanæ œconomiæ conuenientiora redduntur. Sic ab acere robus longa trituratione ſecernitur: furfur à polline excuſſorio cribro rudiori primum, ſpiſſiore deinde excutitur: pollinem caſtratum coquimus, coctum mandimus, manſum in triplici corporis furno recoquimus, nec tamen ita depuratur à nobis, quin calor natiuus περιττεῦον τι inueniat, ad imi ventris ſentinam amandandum. οὐδὲν γὰρ ἐκ παντὸς γίνεται, καθάπερ οὐδ᾽ ἐν τοῖς ὑπὸ τέχνης δημιουργημένοις: οὐδὲν γὰρ ἂν ἔδει ποιεῖν: νῦν δὲ τὸ μὲν ἡ τέχνη τῶν ἀχρήστων ἀφαιρεῖ, τὸ δὲ ἡ φύσις: ait Ariſtot. 3. de gener. animal. cap. 11. Simili modo aromata ac omnia miſta impura deprehendimus: dum poſt extractionem & diſtillationem eorum, virtus in minimas, quæ ſuperſunt, partes deriuatur: in quibus quaſi in radicali quodam & ſpirituoſo humido deliteſcit: feces autem eſſentiã aliquot catillis vincũt. Sic chymici in libra croci, dextantem veneni, in libra rhabarbari ſemiſſem tantum, qui aluum moueat, reperere. Hinc tot & tam prolixæ apud Galenicos & Arabes apozematum, infuſionum, correctionum, & infinitarum è diuerſis, & quandoque ἐκ διαμέτρου contrariis miſtionum compoſitionumq; conglobationes: quæ

ideo

Ideo adornantur, vt remedia à ſordibus & inutili aut corrupta parte liberentur, Extracta porro ὁμο-γενῆ καὶ ὁμόφυλα, minime autem ἑτερογενῆ eſſe oportet: quæ cum extrahuntur, à multis fuliginoſis heterogeneis irretita, recte emendari neceſſe eſt. Balſamus ſiue ſeminalis natura Platonicorum, ſiue λόγος mixtionis Ariſtotelicæ, nõ in craſſitie elementari, nec in alimentario herbarum humore hoſpitatur, ſed in radicali humiditate, quæ propter ſummam ſubtilitatem nobilitatemque videtur pene à ſua ſpecie ad æthereorum claſſem defeciſſe. In hac totius herbæ anatomia & poteſtas viget: quæ externis iniuriis impreſſionibuſque gladiatorie reſiſtit: & vtcunque elementa admixta peſſum eant, diſſipenturque feces, ſpecierum tamen vires ſignaturaſq; illibatas, ad nouorum indiuiduorum procreationẽ, fouet. Hæc in aptis naturæ ſuæ matricibus, foliis, ſemine, ſcapo vel radice ceu veſtibus amicta deliteſcit; quas demere neceſſe eſt, ſi ad medicos vſus transferri debeat. Extracta porro, vti ingreſſa ſunt per compoſitionem, ita contrario modo egrediuntur per reſolutionem. Non tamen τὰ μικτὰ, genere Phyſico ſimilia & ὁδόεισα, dum exeunt formam natiuam, & nouam miſti induant, (vnde ille actus ſuperior reſultat:) violenta Syluij deturbatione, aut Anaxagorea συγχύσει in locum definitum cogũtur: multo minus à principiis titubantibus, (quas futiles gerras nugaciſſimis fouent perſuaſionibus Paracelſitę,) ὕπαρξιν habent: ſed quemadmodum prima omnium animalium cęterorumque entium creatio, quæ à primo ente in principio effluxit, ad primam ſpecierum dependentiam atq; productionem, nullo præexiſtente ſubſtantiali

principio cæpit: Sic eorundem successio propaga-
tione perficitur. Hinc Arist. 2. de gener. animal. c. 1.
Τὸ σπέρμα, inquit, ἔχειν ἀρχὴν τοιαύτην, ὥς τε γίνεσθαι ἕκα-
σον τῶν μορίων, καὶ ἔμψυχον. τοῦτο γὰρ πάντος φύσει τελείου ἔρ-
γον, καὶ ζώου, καὶ φυτοῦ. Quod dilucidius restringit, cap. 3.
πάντων γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶ-
ναι τὰ σπέρματα τὸ καλούμενον θερμόν, τοῦτο δ' οὔτε πῦρ, οὔτ' ἀπὸ
πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν. πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῶον: ἀλλὰ ἡ τοῦ ἡ-
λίου θερμότης. Ignis enim non suscipit ὁρισμόν. Calori
autē Solis respondet ἡ τῶν ζώων θερμότης, ἐμπεριλαμ-
βανομένη ἐν τῷ σπέρματι, καὶ αὕτη ἔχει ζωτικὴν ἀρχήν. Huic
mistioni contraria via ingreditur Spagirica resolu-
tio, quæ pistillum & cribrū medici est: quod cras-
sas mixti sordes à tenuibus mundisque partibus se-
cludit. In hac ἐργασίᾳ primas sibi vendicat alcool
vini: quod subtilitate substantiæ omnia indiuidua
corpuscula, omnesque remotos angulos trannat:
& familiaritate crystallinam materiam, siue es-
sentiam astralem, in exilibus etiam misti mæandris
curiose indagat: quam, vbi inuenit, ebibit, tam-
diuque iocundo fouet amplexu, donec æstu A-
thannoris coactum ipsum seponat. Τεχνούργημα ve-
ro extrahendi, hoc est. Res crassiuscule trita, am-
pullæ vitreæ aut Pelicano inditur, & adfuso rectifi-
cato vini spiritu, trium quatuorue digitorum ex-
stantia, commissurisque glutine Hermetico obsti-
patis, tepore aheni caldarij, ventris equini vel for-
nacis, per aliquot dies circulatur, donec essentia
tincta seposita deprehendatur: liquor valde expri-
mitur cum colo: transfunditur in aliam cucurbi-
tam, & menstruum lento balnei igne euocatur,
non tamen ad extremam extracti siccitatem. E
prioribus fecibus spiritu hoc destillato, virtus re-
stans

ſtans aliquoties exhauritur, donec liquor nullo amplius colore rei extrahendo imbuatur: priorique extracto adfunditur, menſtruaque rurſus per deſtillationem abſtrahuntur, dum extracti ſpiſſitudo in fundo mellis aut eclegmatis craſſamentum nanciſcatur: vel ſpiritu vini euocato aquoſum exſtillet. Nonnulli toties nouum alcool vini adfundunt fecibus, quoties maceratio & deſtillatio reiteretur. Vt autem eſſentia illabefacta, nec extorri virtute aut nidoroſis menſtrui reliquiis imbuta ſit, aqua conueniens ſtillatitia frequentiſſime infunditur, abſtrahiturque denuo, donec odor ſpiritus vini prorſus ceſſerit. Eiuſmodi autem res, quæ ob indolem πολυκηδία œconomiæ humanæ aduerſantur, menſtruo cœleſti, tinctura aromatum, ſpecierumq; aromaticarum imprægnato extrahuntur: Vel, quod in purgantibus violẽtis contingit, antequam penitus coagulentur, liquores, olea ac tincturæ corrigentes adduntur. Expreſſæ feces demum igne reuerberij in calcem cõburuntur: ex cinere per aquas alkali extrahitur, quod reiteratis filtrationibus purificatur: aut, ſi quid olei ineſt, id repetitis digeſtionibus in altũ euocatur, luculẽtioreq; deſtillatur flamma: reſiduum in ſalem calcinatur: quo ſi eſſentia ſucculenta nutriatur, euadit Balſamus πολυπόθητ☉, ſonticiſq; inualetudinibus πανήει☉. Strenue etiã in Scorbuticis, q præſertim ad hydropẽ proni ſunt, vires exſerit extractio Gratiolæ: cum huic ſiccæ mũdæ electæq; affundimus vini ſpiritũ, maceramus, ſeparamus à fecibus per filtrationẽ, cũ expreſſione. Liquori infundimus rem nouam, & agimus, vt ante: poſtea miſcemus cum aqua infuſionis Rhabarbari vel Mechoacæ in

balneo

balneo aquositatem cum spiritu destillamus ad consistentiam, tamen adhuc liquidam. Hanc addita pauca mastiche coquimus ad spissitudinē, seu diuaporare permittimus. Ad eadem conducunt pilulæ Assaieret, aggregatiuæ, de aloe & mastiche, de eupatorio, fumo terræ, Indæ, de hierapicra & cū agarico, de Mezereo, mastichine: quas pro lubitu & ægri viribus misceat sagax medicus. Quæ nobiliores euadēt, si massæ ex simplicibus selectis dispēsatæ essentia alcoole vini extrahatur: aut si massa in exiguas partes confracta, conuenientibus digeratur liquoribus, deinde in diplomate coquatur, ac per pannum lineum exprimatur: demumque in balneo ad iustam spissitudinem coaguletur: hincque pilulæ formentur. Iam ad antimonium deueniendum: cuius dextre præparati vsum in Scorbuto minime improbamus, si præsertim vlcera crurum maligna erumpant. Paracelsitæ vitro antimonij perfectam quorumcunque morborum, (in quorum classem & Scorbutum collocant,) curationem pollicentur: & cum Antesignano lib. 3. de vita longa, cap. 6. nullum Spagiricæ artis peritum deprehendere posse vim, atque adeo virtutē antimonij adserunt: & omnia, quæ mineralium sunt, quorum summum ac potissimum arcanum in se claudit antimonium, huic vni tribuunt. Immo hoc medicamenti genus eam habere à natura facultatem scribunt, vt nullum benignum & vtilem in corpore humorem adoriatur, sed noxios tantum expellat, idque aut per sudorem, cui, si quidem appareat, locus dandus est, aut per vomitum, aut per secessum. Tales in norma præparandi stibium enormiter hallucinantur, licet se in ignota Galeni-

cis Pa-

cis Paracelsi hypogea surda ingressos iactitent. Tot hic sunt ambages: vt dicamus non esse in Cretam nobis nauigandum, si Labyrinthi visendi desiderio flagremus: hic enim sunt viri, plus quam Dædalei. De gemma antimonij innumeræ ostentãtur cartę, & quidem secretæ, quibus secretum Augiæ stabulum eluere conantur parachymici. Plerique stimmi oblongis striis præditum, & in ruptura ad citrinum declinãs, super lapide pictorum, aut marmore molitum, cum sale simplici, vel Armoniaco, (quem ad balsamum antimonij extrahendum, Paracel. lib. 10. de tumor. & postul. Gallic. probat:) vel petræ, cũ scilicet difficulter fluit, vel calce tartari liquant picis instar in crucibulo vel catino fusorio, indesinẽter agitãdo cũ rutabulo vel cochleari ferreo, donec in nodos concrescere incipiat: tum rursus in porphyritide tabula læuigatum, nouo igne tamdiu mundificant, quoad puluis cineris subalbicantis vel leucophæi coloris faciem adsequatur, & micantia corpuscula splendore suo spoliata fuerint: tandem carbonibus fictile trium digitorum exstantia prorsus obruunt, donec stimmi calcinatum non amplius super igne fœteat, aut fumiget, etsi prunis inspergatur: (liquescit vero stibium, dum ei aliquid impuri inest:) hinc bacillo ferreo eius vitrificationem explorant, vel exemtum, inq; pelui aurichalcea diffusum, sat calcinatum rentur, si regulo antimonij remoto, διαφανὲς est, & transplendens more vitri, colore hyacinthino, vel rubicundo, vel croceo. Vstione quippe sæpius repetita, spiritus infuscantes secedunt: &, quo diutius in igne manet, eo rubicundiorem sortitur tincturam. Quanquam si cum sale petræ liquefiat, nisi

prius ſtimmi accurate eluatur, nigrum fit vitrum, tritum vero erubeſcit. Aliqui antimonium initio aceto quotidie mutato per decendium aut dimidium annum lunarem, aut muria, aquaque dulci lauant, exſiccatumque iterum terunt: nonnulli inſuper poſt calcinationem aqua feruente aut aceto radicato illud à ſale aliiſque innatantibus mundant, ſubſidentemque calcem vi ignis parui ac vitri conſiſtentiam coagulant: & ſic fumos virulentos abigere conantur. Sed hic deſideratur perfecta puri ab impuro ſecretio: vt & fuſio ſpiritualis: quæ Spagiricorum mancipi eſt. Argumentum eſt ab antimonij gemma vomitus & deiectionũ trucitas: quæ quandoque tantopere graſſatur: vt animam nonnulli citius exſpirent, quam vitrum operationibus ſuis coronidem imponat. Alij id arſenici veneno acceptum ferunt: quod in ſtibio latere autumant. Ideoq; tales in mero non exhibent: quia ab hoc, quicquid arſenici ſubtilis ineſt, extrahi facilius dicunt, quam ab aqua. Alij vino quidem macerant, ſed priores duæ abiiciunt infuſiones, tertiam propinant. Quidam, vt diaphoreticum fiat, ſuauiuſque vomitu ac alui reſeratione ægros adoriatur, pollinem vitri ſæpius aceto deſtillato, & tandem aqua cœleſti abluunt, exſiccantque. Alij regulum antimonij cum halinitro calcinant, addito nouo toties, donec figatur & albeſcat: hinc triduo calcem figunt in reuerberio in colorem citrinũ: nonnulli eandem ob cauſſam calcem coquunt ex aqua chalybeata, & cũ ſpiritu vitrioli corrigunt. Hoſce indoles antimonij vt fugit: ita ij pro medicamento venenum obtrudunt. Elumbine ablutione arſenici virus, quod ignis fortiſſimi actionẽ eluſit, de-

ſit, delebitur? Apageſis. Nō itaq; mirū: ſi tot, ſumto antimonij vitro, in libitinariorū capulos deturbentur: cum vel ipſi vitriarij citra vitiligationem fateantur, enixe cauendū: ne inter agitādum fumi ſulfulrei arſenicales hydrargyrei in os & nares inuolent, cum hi paulo minus quā lethales ſint: vnde & quidam coriaceum velamen cum ſpecillis, vel veſicam porcinam vultui obtendunt, vel hauſtum vini infuſionis zedoariæ præbibunt: alij à vento auerſi, ſub dio calcinant. Ab his aūt fumis rariſſime vitrū immune eſt: quod facilime ferro candente, vel ſi vitrū authepſæ iniiciatur, probari poteſt. Cati naturæ libratores obſeruarunt, in ſtibio Mercurium latitare adeo immaturū: vt, licet coagulatus ſit, cū tamen ſulfur minerale nequaquam ipſius radici, ſed externæ dūtaxat ſuperficiei adhæreat, huius Mercurij virus argenti viui cruditatem ſuperet. Sic Paracelſ. lib. 5. chirurg. Magn. partic. 3. ſcribit, antimoniū liquore Mercuriali magis, quam reliquas Marcaſitarū ſpecies abundare. Hoc ex antimonij inimicitia liquet: dū, prȩter aurum, omnia metalla, quibus adiungitur in igne, per liquationem euolando ſecum in auras rapit: (Paracelſ. lib. 3. chirurg. Magn. part. 2. cap. 5.) immo, ſi cum ſtibij Mercurio aurum impaſtetur, vel ludicro ignis calore, hunc citius ab auro recedere videmus, quam hydrargyrum: qui aliquando frigidior eſt Mercurio ſtibij: quia amalgama ex auro cum hoc concinnatum, nunquam coagulatur calore: quod ſecus cum argento viuo accidit. Mercurius itaque crudus, imperfectus & veneni particeps, digeri in ſcoriis ſtimmi, inq; ſuam perfectionem transferri, arſenicales etiā humiditates

& ter-

& terreum ſulfur, quæ Mercurij iſtius perniciem augent, ad frugem reuocari debent. Hoc autem ἐνέργημα vitriariorum calcinatione non abſoluitur. Nam in hac tantum id aufugit, in quo latet forma metallica: hæc minime ſecludi à Mercurio, neque per ignem eliminari debet, cum ſit integræ digeſtionis cauſſa: ſed ſolum à centro ad ſuperficiem elici: ne feces terreæ cū vtili ſulfure permiſceantur, ſed ſubſidant. Hoc iubet Paracelſ. lib. 3. de vita longa cap. 6. Vide, inquit, ne corrumpatur antimonium, ſed totum hoc, quantum eſt, ac integrum maneat, citra vllam amiſſionem formæ: ſub hac enim delitescit antimonij arcanum. At calcinando nihil horum præſtatur. Quin mineralis terra magis cum balſamo antimonij confunditur: & ſic penitus medici actio interturbatur. Gemma icirco ſtibij merito Dogmaticis ſuſpecta eſt: cuius tamen vſum cum multorum funeribus in rem pub. Aſclepiadeam Paracelſitæ introduxere. Ergo ſolertiore modo ſtibij præparatio adornanda: ne, dum eo nonnunquam in ſonticis morbis vtimur, fuſtuarium mereamur. Contra formicas & mures belligeranti, ſufficiunt Stilponis atque Pygmei vires: at cum leone aut apro Ætolico certanti opus eſt Hectorea haſta. Id, vt de aliis magiſteriis chymicis, ita & de antimonio dicimus: in cuius ſublimatione ſtibij puluis minime liqueſcat: aſcendat nihilominus, quemadmodum pollis parietibus molarum adhærere cernitur. Hunc modum Paracelſ. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 3. cap. 5. his verbis proponit: Recipe antimonij in ſubtiliſſimum alcool. redacti, quantum ſufficit, in clauſo reuerberatorio ad ſpacium vnius menſis reuerberetur, & euadet volati-

volatile leue, primo album, mox luteum, dein rubrum, postremo purpureum seu violaceum: quo facto ab ipsius Lilio essentia sua per spiritum vini, qui viginti digitis supereemineat, extrahatur, dein separetur: separatus iste vini spiritus namque nobilissimam, pretiosissimam, & tantum non diuinam Lilij essentiam ad omnes morbos percurandum præsentissimam continebit. Et lib. de persicaria sic componito, Recipe antimonij, quantum videbitur, in alcool facti: hoc in suos flores ad quartum ignis gradũ reuerberabis igne leui, primum deinceps aucto secũdum artem. Scite autem, Dornæus in fasciculo Paracelsicæ medicinæ tract. 2. de atcanis, alcool antinomi in volatilem suam substantiam à suo naturali colore non immutatam, solo ignis & caloris regimine reduci vult, vt postquam vulgariter contritum est, philosophice tandem atteratur sublimationibus, quæ pistilla sunt philosophorum & mortaria. Sublimatio autem ex mente Paracelsi, lib. 3. de vita longa, cap. 6. per retortam fieri d bet sine omni capite mortuo. Sic demum euadit sulphur antimonij cum proportionato Mercurio, quod verum Lilium dicitur. Plerique ignem primo lentum parant, vt phlegma euapores: post aludelem seu cucurbitam sublimatoriam Hermetice perlutant, ignemque reuerberatorium fortiter augent, & tribus diebus plerunque opus absoluunt. Et hic modus per sublimationem simplicem magis probatur nonnullis, quam qui cum sale petræ, tartaro vel aliis additamentis per sublimationem stimmi philosophicam perficitur. Flores rubri purpureique aliis præstant: nam albi, qui primo eleuantur, veneno non vacant: (quan-

quam Paracelſ. tract. 2. de contractur. cap.3. cos in colica, cum aq. meliſſæ, vitæ circulata, & ſucco che-lidoniæ: item cap.4. in eſſentia quinta florum Sul-phuris cum ſucco auri & aqua vitæ circulata, in contracturis commendet:) citrini licet aliquan-to plus malitiam exuerint, non tamen cum inte-gritatis gradum ſunt ſortiti, quem rubei, maxi-me vero purpurei. His floribus antimonij rubris in phiala acetum deſtillatum ad duorum digito-rum ſupereminentiam adfundunt, circulant, vel in cineribus calidis decoquunt, quotidie agitãdo, do-nec acetum ſub citrino tingatur colore: tum per colum cartaceum deſtillãt in excipulum vitreum, in quo tamdiu ſubſidet, donec ſaturatum vini à fe-cibus eliquati ruborem acquirat: idque in peculia-re vas vitreum effundunt: hinc feces relictas nouo inundant aceto, & ebullitionem, clarificationem ac ſeparationem toties iterant, donec in aceto nul-la amplius depræhendatur tinctura, hinc fecibus abiectis acetum coloratum balnei tepore elicitur, & ſanguis antimonij in fundo reperitur. Si vero acetum in retorta deſtilletur, &, quamprimum li-quor albus, claruſque rubeam adipiſcitur tinctu-ram, vas recipiens mutetur, & fortiori igne deſtil-latio vrgeatur, conſiſtentiam pulueris rubri nan-ciſcitur, & blande per aluum ac ſudorem purgat. Qui deſtituuntur floribus, gemmam ſtibij ſubſti-tuunt: ſed parum congrue. Alij idem opus ſpiritu vini feliciter abſoluunt. Et hæc nobilis illa an-timonij tinctura: de qua Theophraſt. lib. 2. chi-rurg. Magn. tract.3. cap.9. ſcribit: vt eius vncia di-midia, vindemiarum tempore, muſti ſextariis ſiue menſuris viginti infundatur: quo omnia defer-

ueant. Hoc vinum hodie εὐτυχέστατα plurimi propinant in periculosissimis adfectibus: qui leuiora remedia aspernantur. Hæc antimonij tinctura tuto sumitur in febribus, (Paracelſ. in appendice lib. de vita longa, vbi de Laudano agit:) quartana maxime: lue venerea, lepra, morbo Herculeo: (lib. de persicaria:) paralysi, aqua intercute: (lib. de præparat. metallor. tract. 5.) cachexia, aurigine, scorbuto, melancholia hypochondriaca, mania, dolore ventriculi, asthmate, veneno, cephalæa, arthritide: (lib. de Persicaria:) & aliis chronicis sonticisq; ægritudinibus: sic tamen: vt Dogmaticorum methodus præluceat. Et sicut hi flores ἀκίνδυνοι sunt: ita vitrum plures interimit, quam curat: aut si curet, eam post se relinquit calamitatum farraginem, vt vix longo temporis spacio pristinas vires recuperet æger. Gemma stibij, si præsertim non sit γνησίως præparata, truciter concutit corpus: purgat tantum stomachum, intestina vicinasque partes: nec videtur ad remotiora meare. Qui exhibent, videant: ne corpus eneruatum sit, ne exta extenuata, ne pectus pulmonesq; coangustati, maleue habentes, ne ventriculus difficulter vomat & similia. Lubricātibus item prius corpus ad laxationem præparandum: quo minus laboriose excrementa cum per vomitum, tum per aluum deturbet. Quod etiam Hipp. 4. aphor. 13. monet: πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηιδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προυγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει. Quod etiam nōnulli ex his vitriariis obseruant: qui, cum sentiant, vomitum sine cibo esse laboriosum, sumto antimonio, quoties vomendi desideriū vrget, ius alectorium pingue, aut decoctum cicerū ægros

ſorbere iubent: vt praui ſucci, quos in capacitatem ventriculi ſtimmi allexit, cum iuſculo permixti, ſine tædio reiiciantur. Pauciſſimos autem hæc perpendere, deierare poſſumus: dum plerique volunt, vt cibus ab antimonij ſumtione per horas 6. aut 7. differatur, & ante aſſumtionem per horas 10. aut 3. ieiunarint. Simili modo in Scorbuto exulet antimonij vitrum: tincturam vero eius modo deſcriptam deſideramus, de qua vino miſta Scorbutici per integrum menſem bibant, habita virium ratione, & exacto victu ſeruato. De hac Paracelſ. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 3. cap. 9. ita ſcribit: Miram illius in repurgando, mundificando, incarnando ac claudendo vlcere virtutem experieris: nam vlcus, ceu vulnus ipſum eſſet, inſtar potionis vulnerariæ perfecte conſolidat: nec opus eſt extrinſecis, niſi vulgato emplaſtro vti. Cui adſtipulatur experientia: ſi purgans floribus antimonij præmittatur. Recte enim Theophr. libri citati cap. 5. inquit: antimonij natura cathartica eſt, ſiue fecum ac excrementorum reiectione: etenim illud ſolum pellit ſupra omnia reliqua arcana, quod immundum hominem reddit, eumq; expurgatis omnium morborum ac vlcerum cauſis, ad ſummam ſanitatem reducit. Et cap. 8. facile per Antimoniales Tincturarum virtutes quemuis hominem ad ſummam ſanitatẽ exaltari poſſe, ſcribit. Et lib. 2. Archidoxor. ait: antimonij virtus à corpore ſeparat omne, quod ex humore radicali naſcitur, corpuſque penitus renouat ex vero fundamento. Inſigne præterea encomium exſtat apud eundem, lib. 2. de contractur. cap. 3. Eſſentia antimonij eſt purgatio præter ſeceſſum, quæ purgat hominem excellentiſſime ſuper

alia

alia quæuis arcana, radicitus euellit auferendum, ac omne, quod immundum reddit humanum corpus, hoc in ſupremum vſque ſanationis gradum purum efficit, ac ab omnibus ægritudinibus mundat, etiam illis, ex quibus oriuntur vlcera. Quicquid penes hominem fuerit impuri, delet, ac magis omne, quod in homine per hominem indecentis inueniri poteſt.

Iiſdem dotibus Turpethum minerale pollet in Scorbuto, eiuſque vlceribus: ſi ex præſcripto methodi quis eo vtatur: vt Mercurius Panthera vel Tigride ferocior, cicuretur, immortalis iuguletur, pernicioſæque aquarum fortium impreſſiones abſint. Funeſtam eſſe argẽti viui perniciem, ex ipſius inimicitia liquet: dum medulla quæuis reddit friabilia, in paſtam redigit, iis malleationem ſuffuratur, & rubra albefacit: ſic quoque vt nec aciei, nec ferro parat. Adfricata namque duriſſima inſtrumenta ferrea vel chalybea Mercurio, non minus quam vitrum rumpi, ſciunt ciniflones. Immo, ſi attigerit magnetem, ipſum adeo eneruat: vt longo poſt tempore ferrum non attrahat. Vaſa etiam omnia exeſt: præter vitrea, candida ac nigra, plumbea & fictilia vitro circumlita, atque pixides ligneas reſina terebinthinaque intus oblitas. Hinc illa apud chryſurgos nominum ſuppellex: dum Mercurium Dominum elementorum, Draconem, qui exurit, punitque omnem rem, & interficit omnia veneno ſuo, ſerpentem venenoſam, aquam mortis, immo mortem ipſam indigitant. Dioſcor. lib. 5. cap. 64. ſcribit: lethale potum argentum viuum eſt, pondere ſuo interanea diſrumpens. Et lib. 6. cap. 28. ait: nocere argenti ſpu-

mæ pariter, potum argentum viuum. Scribit autem capite præcedente: ſtomachum, aluum & inteſtina graui pondere cum grauiſſimis torminibus prægrauat pota argenti ſpuma: pondere etiam inteſtina aliquando diſrumpit, & vrinam compeſcit: tumet his, qui eam hauſerunt, corpus, & plumbeo colore decoloratur. Quid multis? Virus eſſe argẽtum viuum, vel veterinariis notum eſt. Id etiam fabri experiuntur auraríj. Quæcunque enim inaurantur, hydrargyri interuentu aurum mordicus retinent, alioqui vix admiſſura. Et videmus pudendagra vexatos, ſi vnguento Sarraſenico Arabum inungantur, item qui minium effodiunt, vel argentum viuum in puteis legunt, vel alio quouis modo virulentum hydrargyri aut cinnabaris ſuffitum ore naribuſue excipiunt, neruorum reſolutione, ſtrumis, aſthmate, conuulſionibus, tremoribus prǽhẽdi: alios liueſcẽtes dentes exſpuere, nonnullas vngues, columellam, capillos perdere: innumeros diris perioſtij diſtenſionibus & tofis excarnificari. Nam cerebrũ neruoſaſq; partes Mercurius adoritur, articulorum robur diſſoluit, partiũ ſubſtantiam colliquat, familiaremq; ſuccum eliciens, continuata mucoſi ſputi profuſione vacuat, quandoq; cũ ſuffocationis metu: vel trucia alui tormina cum cruore inuehit. In gingiuis etiã & aliis calidis humidiſq; locis putorem intolerabilem excitat; & κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν, effreni refrigerãdi vi calorẽ inſitum exſtinguit. Paracelſ. lib. 3, de male curatis reſtituend. cap. 16. Si hæc hydrargyroſis præſtat, ob partium tenuitatem, qua vel ſolidiſſima metallorũ & lapidum corpora trannat: quid de Mercurio in corpus deuorando ſperandum? Contra Paracelſitæ Tur-

tæ Turpethum Minerale, ſingulare ἀλεξιφάρμακον Coſmopoliticæ luis decantant: cuius potio ſalutari quadam vi ſpiritum vna cum arteriis peragrat: ſanguinem cum venis & humores toto corpore fuſos, itemque medullam cum oſſium intimis peruadit cauernis: &, quicquid vitij neruos occupauit, aut inter carnem & cutem irrepſit, corrigit vniuerſum: Sic principes corporis partes, cerebrum, cor, pulmo, iecur, lien, fel, renes, tam expurgari, quam roborari ſolent conuenienter, & vt ad primam conſtitutionem, natiuamque ſymmetriam citius perueniant, nec in integras labis atque cœni quicquam inpoſterum influat facile. Hæc ſcribit Georgius Phædro lib. de Aquila cœleſti, ſiue correcta hydrargyri præcipitatione cap. 3. vbi etiam cœleſtem Aquilam in deſperatis humani corporis adfectibus vniuerſis remedium eſſe præſentiſſimum adfirmat. Matthiol. libr. de curandi morbi Gallici ratione commendat mirum in modum, præter vlcera & luem veneream, in peſtilentia non confirmata, lymphaticis, melancholicis, quos à cacodœmonibus incurſari vulgo credunt, quartana, coli & iliorum doloribus ex ſententia Æginetæ, faſcino. Sic Nicolaus Maſſa libr. de morbo Gallico, & Thomas Philologus, Mercurium præcipitatum puluerem angelicum vocant. Nos hic inculcamus, vt ſtatus ægri εὐστόχως prius ſub incudem methodi reuocetur, leniora que tententur remedia: quam eiuſmodi metallicis morbi debellentur. Fatemur quidem citra ἀλυκτοσύνην, ſcite cenecatum Mercuriũ non recrudeſcere, non putrefacere, non rodere, nõ corpus reſoluere, ſed luis venereæ contagiũ radicitus exſtirpare: Verũ in appa-

ratu tanto plus est difficultatis: quanto plus in eo variant auctores. Alij hydrargyrum ex mineris auri vel argenti in lixiuio coquunt, exemplo Theophrasti libr. de persiccaria, qui hoc ex calce viua præparat: purgant cum sale, aceto & aqua, donec crystalli instar pelluceat: deinde chrysulcę miscent, & aceto fortissimo destillato subactum in altum euehunt: tum per aluminis calcem nitrique salem eleuant. Hoc Magisterium alcoole vini circulant: quod tandem abstrahunt, donec in fundo oleum albissimum subsidat: quod exsiccatum teritur, & in porphyritide tabula loco vdo liquescere sinitur: denique rursus exsiccatur, & metallorum theriaca nominatur. Alij in cineribus Mercurium sublimant, donec confractus puniceum aut pene rubeum colorem adipiscatur: hinc aquæ bulliunt ad calendulæ vsque tincturam: postremo cum aqua forti incensa corrigunt, vt dulcedinem acquirat. Quidam per stillatitiam albuminum & calcis ouorum aliquoties infusam & abstractam iterum præcipitatum edulcorant ac figunt: alij per aquam vitrioli phlegmaticam. Verum hæc cum nimium rudiorem hydrargyri massam sapiant, nec venenositatis eius, vt & aquarum fortium scintillæ iis ablatæ sint, quod Paracels. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 2. cap. 19. requirit: (licet forsan nec suis destituantur effectibus, ob volatilitatem Mercurij:) minus tamen secure intra corpus exhibentur. Alij iccirco Mercurium purgatum in lixiuio coquunt aliquoties mutato: hinc mundificant cum sale & aceto, donec omnis fuligo abierit: demum cum aqua limpida calida abluunt: hinc addunt vitrioli salisque calcem: omniaque aceto destillato incor-

porant

porant pistillo ligneo: & primo ipsum sublimant simpliciter, mox addito alumine Rochæ & sale nitri, donec prodeat in Salamandram rubicundissimam. Hinc circulant cum vini spiritu, quem separant in balneo: vt remaneat oleum instar niuis album & dulce: quod super lentis prunis igniendo exhalare sinunt, congelant, læuigant in marmore, atque loco vdo, vt soluatur sponte, recondunt: post rursus insolendo coagulant: idque tertia vice reiterant. Hoc secretum vt multis secretum est, ita cum mitrhidatio ad theriaca exhibitum mira in contumacibus morbis præstat. Paracels. lib. de persicaria, soluto Mercurio addit antimonij pollinem, sal nitri purgatum, & tartarum calcinatum: liquefiunt omnia in vrceolo fusorio, ferreoque stylo, dum canduerint vt prauæ, concutiuntur, vt regulus in fundum cadere melius valeat. Frigefacta materia frangitur fusorium vas, à massa regulus separatur, & per se conteritur: postmodum huius pulueris drachma in vas vitreum oris ampli posita, Cæsaris aqua vel regis irrigatur, & super cineres calidos exsiccatur, irrigatur & siccatur, idque sexies.

Tandem in dicta aqua soluitur aurum laminatum. Nonnulli Mercurium purificant capitello ex calce & talco calcinato, & sublimationibus reiteratis figunt: deinde eum soluunt cum regali fœtido & proprio menstruo: hinc seorsim soluunt regulum antimoniatum, & acuunt per stibium præparatum: solutiones ad pelluciditatem digerunt in matratio lento igne Athanoris: post destillant aquam quater, ad capitis mortui siccitatem, semper refusa destillata. Tum noua fixatoria aqua digerunt per triduum: destillant: hinc igne sublima-

tionis volatile eleuant. Fixum puluerem flamma reuerberij torrent, donec rubeſcat: demum cum ſpiritu vini rectificant. Nec minoris efficaciæ eſt: quando Mercurius purgatus cum ſpiritu ſaleque vitrioli in cineribus coquitur, donec figatur, & in albam pulueriſabilem maſſam reducitur: quæ trita, ſi diligenter eluatur aqua, fit puluis ἄποιος & flaueſcens: qui in quibuſdam ciet vomitum & ſudores, in quibuſdam aluum: in nonnullis nihil tale operatur: inſigne alioquin morbi Gallici ἀλεξητήριον. Sequens apparatus πολύφημος quoque eſt. In chryſulca macera flores Salis Armeniaci: poſt à ſale aquam in cineribus extrahe. (loco aquæ ſtygiæ prudenter nonnulli vtuntur oleo colcotharino rubeo, quod ſit ſale vitrioli exaſperatum: nonnulli ſpiritu Salis.) In hac ſolue aurum, & Mercurium ſeorſim: ſoluta infunde in cucurbitam perlutatam, quæ nutriatur aliquot diebus in cinere. Cauendum, ne liquor in cappa aſcendat. Elapſo tempore deſtilla: vt feces reſtent, non penitus tamen ſiccæ. Materiam exemtam læuigia in marmore cum extracta aqua, vt fiat amalgama: hoc opus quater vel quinquies repete, impaſtando ſcilicet, & deſtillando in cineribus: tandem vltima fiat deſtillatio pellendo fortiter, vt cinis in catino excandeſcat. Quicquid ſublimatur, aut albedinem acquiſiuit, abiice: quia Salis Armeniaci fixi vitio fit. Materiam relictam minutiſſime tere: coque in deſtillata aqua cœleſti, vel cordiali, vel theriacali, vel aceto Bezoartico, vt ſalſedo & acredo aquæ Cæſaris dematur per filtrũ aliquoties repetitum. Exſiccatur hic Mercurius ſuper ignem ad colorem ſubfuſcum vſque, non tamen cande-

ſcat.

ſcat. Hinc in lancea vitrea affundatur alcool vini tartariſatum, huicque ignem inferas: poſt adfuſione hac ter repetita, ſpiritum ſemper extrahe in arena. Præſtantius euadet, ſi in aqua ouorum prius ebulliat, quam vinum ſublimatum addatur. Nobilior præparatio eſt ſi liquori Mercurij, liquoris Solis & Lunæ ſubduplum commiſceatur, addaturque tincturæ ſtibij reſolutæ pars tertia. Hi liquores coagulentur debita digeſtione in maſſam, quæ circulando per quintam vini eſſentiam figatur. Hæ Mercurij præparationes ægros nequaquam in Sarcophagum præcipitant: quod de ſuperioribus polliceri non poſſumus in Scorbuto, aliiſque ſonticis morbis. Ita plerunque τῦ τεχνίτυ σφάλματα νομίζεται εἶναι τῆς τέχνης. Et Spagirica remedia peritum artificium ἰσόθεον, rudem aliptam ἰσοδαίμονα reddunt. Licet autem Paracelſ. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 1. cap. 8. Mercurio abſtinere pręcipiat in vlceribus, cum nullum manifeſtum morbi Gallici ſignum apparet, etſi Veneris vſu vlcera quodãmodo immutata videantur: eadẽ tamen ratione in Scorbuto illius vſus p̃ſtat, qua de ipſo Idẽ ſcribit eodem libro tract. 3. cap. 8. quod Mercurius omne vlcus curat radicitus, ipſe enim purgat, ipſe reiuueneſcere facit, ipſe inuertit, ipſe renouat: atq; propter has cauſas ipſum curare dicimus, non quia virtus incarnatiua illi inſit: illam namque balſamo naturæ acceptã ferimus: ſed quia illũ ipſum purificat, renouat, ab omnibus ſordibus expurgat: quo expurgato, purificato, renouato, vera ſeq̃tur curatio. Sic Idẽ li. de Perſicaria, in peſte ex Mercurio parat potionẽ, quę venenũ exſtirpat, medicamentum nẽpe diaphoreticũ ad excitandos ſudores. Eundem

dat

dat in hydrope, & podagræ quacunque ſpecie ad dolores radicitus tollendæ. Recte itaque præparatus Mercurius pro perſonarum & neceſſitatis reſpectu, in aqua theriacali aut mithridatica adminiſtratur: ſic tamen, ne nimia doſi ægri tolerantia abutamur. Hac medicina, teſte Paracelſo, modo adducto loco, principalia corporis membra purgantur: nam vt argentum viuum non, aut male præparatum per ſolam ſublimationem, in corpus adſumtum, iſtud per ſingulas eius partes in perniciem & perditionem eius penetrat: contra quidem ad verum modum præparatum, in ſummam ſanitatem & curationem. Quiſquis iccirco Mercurij cicurandi accuratum non callet artificium: ille abſtineat eius vſu. Alias ad tres ſcopulos à Paracelſ. lib.3. de male curatis reſtituend. cap.3. monſtratos, grauiſſime impinget: qui ſcribit: Sciendum, triplicem argenti viui naturam eſſe: prima ea eſt, quæ purgat: ex purgatione virium deiectio oritur, vel totius corporis, vel principis alicuius partis: etenim ſiue ſuperne, ſiue per aluum purgatio procedat, vbique imminutarum virium occaſiones reperiuntur, namque naturalia ſimul ac præternaturalia, noxia æque ac vtilia propelluntur. Altera Mercurij natura eſt, vt principalia viſcera, pulmones, hepar, lienem ac ventriculum ſubiens, magnas illic putredines efficiat, quarũ difficilis admodum curatio eſt. Tertio ab argẽti viui refrigerãte qualitate duplex morborum genus cauſſari ſolet. Vnum, cum pinguedo, ac adeps intrinſecus in corpore noſtro cõgelatur: ſic in pulmone, eius adipe congelato, tuſſes & peripneumoniæ generantur: in hepate & liene pinguedine meatus obſtruẽte, incogniti &

inau-

inauditi antea morbi fiunt. Alterum morborum genus fit, cum nerui ac ligamenta, oſſa ac perioſtion refrigerata doloribus adfligunt. Hi errores facilime in Scorbuto, à pecore præſertim Paracelſicorum Arcadico, committi poſſunt.

Siluæ purgantium coronidem imponat remedium εὐπόριστον & πολύχρηστον, πολυΐστορος καὶ πολυΐδριος noſtri præceptoris, Theodori Zuingeri, Catholicum: quod ille multis aliorum catharticis, ipſo vſu edoctus prętulit, ad exhauriendam humorum ſentinam accommodatiſſimum. Sumit corticum ligni Gaiacini ſextantem: aqua fontana depurgatum, ne quid ſordium inhæreat, & phiala vitrea in iuris alectorij ℔. ij. vel iij. per noctem maceratum, ad dimidias tertiaſue decoquit. Colat. loco frigido adſeruat. Vbi reſtrixerit, quadranti vel trienti, folior. ſennæ puræ, ℥. v. plus minuſue infundit: mane colat & exprimit: Syr. roſati ſolutiui, ℥. v. addit: aquæ item betonicæ, iuæ, ſaluiæ, aut conſimilis alterius, ℥. j. aut ℥. v. miſcet: nec non quandoque aquam cinnamomi, odoris gratia, adſpergit. Vel ſic parat. ℞. Cortic. ligni Sancti ſextantem. Zarzæ parigliæ: radic. glycyrrhicæ, ana ℥. v. Minutiſſime pulueriſentur. Huius pulueris ſeſcunx maceretur primo, inde bulliat in iuris pullaſtri, vel aquæ, vel, ſi morbus ſit chronicus, malignus aut Gallicus, vini menſura ad dimidium. Hinc ℞. Folior. Sennæ, ℥. ij. herbæ meliſſæ: vel flor. roſarum Damaſcenarum: vel cinnamom. didrachmam. Saccari, ℥. v. Redigantur quoque in puluerem. Singulis noctibus in quincunce decocti ſuperioris frigidi macerentur pulueris poſterioris, ʒ. vj. Mane per pannum laneum, linteo tectum colato: Syr. roſacei momentum addito. Vt

to. Vt vero sarta tecta seruatur vis decocti, maneat super fæces. Possunt aromatisationes fieri, vt peregrinorū fallatur odor & gustus. Hoc catholico in grauissimis morbis ꝓsperrime Zuingerus vsus est, paralysi, epilepsia, catharris, arthritide, ischiade, atq; lue venerea: quod per aluum saburram exorbitantem, quæ in abstrusissimis etiam mæandris latitat, sensim educit, nec vires prosternit. In Scorbuto igitur, vere & autumno, per 20. 30. vel 40. dies mane hoc continuato: purgationibus vniuersalibus præmissis, & elisa prius vena, si oportunum videatur, victusque proba ratione institutata. Vesperi vero, vt res ocyus procedat, tribus ante cœnam horis folius decocti quadrantem, absque senna, cum syrup. de pomis, aut fumaria, aut succo boraginis, ℥. v. & aquæ fumariæ vel agrimoniæ, ℥. j. exhibe. Si frigidum decoctum propinaueris, acceptius erit calido vel tepido. Aliquando Zuingerus loco corticum ligni decoctorum succenturiauit liquorem Gaiaci stillatitium. Quidam radicem chinæ admiscet: & decocto cum senna addit Elixyr proprietatis Theophrasti lib. 8. Archidoxor. siue oleum ex myrrha, aloe & croco elicitum: quod nonnulli Eccrisin Ruffi nuncupant: in quo virtutes omnes Balsami naturalis exsistunt, & virtus conseruatiua sensuum amplius, quam adsignare sit licitum. Hoc catholicum, si præscripta methodo in Scorbuto adhibeatur, cura maiore, quam vocant, non erit opus.

Ad venę sectionem iam properamus. Gal. lib. de curand. ration. per sang. mission. cap. 16 quamuis quidam medici lienosis sanguinem detrahere neglexerint, ingentem perpetuo vtilitatē prouenire conspe-

conſpexit, ſi vel libra duntaxat vna detracta foret. De tempore phlebotomiæ omnes non ſunt σύμψυχοι, qui de Scorbuto ſcripſere. Nos purgato prius corpore venam tundendam cenſemus. Nam licet Hippoc.com.4. de victus rat.in acut.aphor.21. (vt Valeſij lib.7.controuerſ.Medicar.& Philoſoph. ca. 9. ictum eludamus:) lienis grauitatem ſolui non poſſe ſcribat, ſi quis primum purgãte medicamento aggreſſus fuerit:nam venæ ſectio hic præferenda venit, deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens & magnus fuerit morbus:ſi vero non,& poſtea medicamento opus ſit,ſane id poſt ſanguinis miſſionem ſecure & mediocriter porrigendum: hic tamen aphoriſmus in Scorbuto minime locũ habet. Nam Hippoc.de lienis inflammatione loquitur:ſiue,(vt Gal. vocem φλεγμαίνοντα interpretatur,) de omnibus flammantibus & calidis morbis. De his recte pergit Hipp.aphor.22.Quicunque ea, quæ inflammantur, ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolum ab incenſa, inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat,obſequaturque,quæ adhuc cruda eſt adfectio: Verum quoque & quæ morbo reſiſtentia & ſana ſunt,abſumunt,colliquantq;, ductoq; ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit. In Scorbuto igitur commodius ſanguis minuetur poſt purgationes: alias plurimũ noxæ ægro impendet. Gal.3.method.medend. ca.21.crudi humoris copiã ſanguinis miſſionem prohibere ſcribit.Et li.9.ca.5. iubet, ſi præcedat ciborũ cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem, quantum ſatisfacere tum ad eorũ concoctionẽ, tũ vt excrementa deſcendãt, videbitur. Licet autẽ Idẽ lib. de curãdi rat.per ſang.

missiõn.

mißion. cap. 13. velit, morbi magnitudinem cum virium robore primos esse mittendi sanguinis scopos, quibus ambobus præsentibus cõstat nullã esse crudorũ humorum tantã talemq; plenitudinem; quæ hoc inhibere auxilium possit: Ventriculi tamen primarumque venarum cruditas facit, vt exinanita vena crudi succi plurimum in sanguinis locum rapiantur: quod Gentil. quoque super Auic. lib.1. fen. 4. cap.20. quæst.34. obseruauit: Botallus vero lib. de curat. per sang. mission. ἀλογιστὶ subsannat. Sic & compressa aluo, si venam elideris, venæ iecoris exhaustæ sordium colluuiem ex Augiæ stabulo sugunt. Eadem noxa ex corrupto humore in ventriculo, iecore, liene, vicinisque partibus imminet, qui maiore detrimento, quam cruditas, in venas pertrahitur: vnde vel nouæ obturationes, nouiue scaturiunt morbi: vel, ij, quibus mederi conamur, sæuius ingrauescunt, igni nimirum oleo suggesto, flammaque ventilata: dum ἀποπατήματα in corpore prius delitescentia, nunc concitata excandescunt, & partes principes vellicant, truculentioraque inuehunt symptomata. Quoniam iccirco Scorbutici eiusmodi vexentur accidentibus; quæ non tardant, sed præpediunt phlebotomiam: è re est, prius ἀπόλυμα, illorum seminarium nempe, è corporis caula deturbare, quam scalpellum infligamus: sic enim minus ex mesenterij venis in maiores, aut ex his in corporis habitum, Camarinę fiet traiectio. Nunc, quę vena in Scorbuto sit tundenda, contemplemur. Gal.lib.de curandi rat. per sang. mission. caput 16. sic auspicatur: adfecto liene æque adiuuerit, (adfirmatiue ita legunt Græci codices:) circa annularem digitum sinistræ manus

incisa

incisa vena, atque si internam cubiti secueris. Multum enim iuuat adflictum lienem sanguinis ex sinistro brachio detractio. Et 13. Method. Terapeut. cap. 11. vbi lienē phlegmone inuadit, venas, quæ in sinistra sunt manu, secare iubet. Et lib. 3. de Anato. administr. cap. 5. scribit de vena, quæ paruum digitum adit, dum obliquum cubiti appendicem perreptat, ramum quendam exilem ad posteriora medij digiti transmittit: mox bifariam scissa, altera parte digiti medij, & annularis regionem ingreditur: quam venam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentesque sanguinem ex ea fluere, quousque vltro sistatur, lienem ex tali euacuatione iuuari adserunt. Etsi autem hinc videamus, priscos venam, quæ annularem mediumque digitum interiacet, in morbis splenis aperuisse: nostri tamen eam, quæ inter annularem atque minimum aliquanto amplior visitur, ab eadem radice profecta, hodie elidunt: quam Paul. etiam 40. cap. 6. lib. agnoscit. Hæc Scylen Arabibus indigitatur: quod nomen Salvatellam vertunt Auicennæ & Rhasis interpretes. Toties opinionis cardo vertitur in κατ' ἴξιν Hippocratico. Galen. lib. de cur. rat. per sang. mission. cap. 15. & 16. Et lib. 2. ad Glaucon. cap. 2. ait: quod ab ipso Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, hoc ipsum est secundum rectitudinem: interiores autem venas incidere oportet: hæ enim viciniores, magisque è directo sunt patientibus membris. Nam si splene inflammationem patiente, sanguinem vis euacuare, interiores in manu sinistra venas secato, & si hepate, eadem ratione in dextra. Hac igitur rectitudinis lege societatem membrorum seruant auctores, dextrorum scilicet cum dextris, sinistro-

rum cum sinistris. Istud partium συγκακούργημα e-
lumbe habet ὑπόδειγμα. Quid rei est spleni cum
venis sinistri lateris potius, quam dextri? Venæ ca-
uæ, postquam cor prætergressa, recta tendit iugu-
lum versus, remittens in quatuor costas superiores
venas, fruticatio & εὐθημοσύνη vtriq; corporis par-
ti communis est, & eodē iure vena interior dextri
brachij iuncta est lieni, quo interior sinistri. Cum
iccirco nulla vena à liene in sinistrum potius bra-
chium, quam dextrum porrigatur: cur in Scorbu-
to non ęque venę dextri, ac sinistri lateris sunt tun-
dendæ: quandoquidem sola vasorum continuatio
& rectitudo ductus illud κατ' ἴξιν vel κατ' εὐθυωρίαν ef-
ficiat? Eadem ratione illorum βαταρισμοὺς exau-
ctoramus: qui, spreta anatomica inspectione, in
Scorbuto splenicam siue basilicam sinistri brachij
venam tundunt, aut medianam vocatam, quam
basilica, vbi elatiori interiorique humeri tuberis
sedi incumbit, & oblique deorsum ad mediam cu-
biti articuli flexus sedē repit, à se traiicit tanquam
surculum. Si quis vero humerariā siue cephalicam,
quæ & externa est, in Scorbuto secaret, tales eum
crabrones irritare clamitarent, cum hęc in adfecti-
bus partes duntaxat superiores vrgentibus aperia-
tur. Id Gal, lib. de curat per sang. missiion. cap. 16 his
adstruit verbis: tres sunt loci mittendi sanguinis ex
cubito, interior, exterior, medius. Igitur interior
vtilis est in iis, quibus inferiores collo partes patiū-
tur: exterior vero in iis q̄bus q̄ his superiores sunt,
vt facies aut caput: medius locus interdum vtrasq;
habet diductas venas in vlteriorem brachij par-
tem tendentes, ac deinde hic coeuntes: interim ve-
ro celeriter in vnum mutuo congredientes, in ipso

vide-

videlicet iuncturæ flexu, ac nonnunquam obscuram earum alteram, claram vero alteram. Itaque, vbi vena, quæ parti adfectæ propria est, obscurior fuerit, & ad mediarum aliquam accedas, conare; quæ à propria diducitur, potius incidere. Ne porro qs æstimet, eos ex arena funiculos nectere, diuersum basilicæ à cephalica originẽ adscribunt: quod nẽpe hæc gracilior ab externa iugulari sub summo humero, ipsaq; adeo clauicula in externam superiorem brachij sedẽ procidat: illa vero crassior amplioue per axillã internamq; brachij sedem prorepat: & hic in prima distributione scaturigineq; nõ coeant, sed diuisæ appareant: cephalica quidẽ iugulo & capiti propior: humeraria autem brachio interno & thoraci vicinior. Quantopere hi fascinati sint posteritatem: αὐτοψία sectionum sat loquitur: cui reclamare, dementis est, ὠμιαῖα siue externa vena nequaquam ab externa iugulari exoritur, sed eodem ductu, eadem distantia à vena caua, quamprimũ hæc ex thoracis capacitate emergit, in summum humerum prosilit, qua interior & cõmunis. Et hæ tres venæ vnius parentis sunt soboles, vnius propagationis, vnius prosapiæ, vnius indolis: nisi quod, postquam è summa humeri sede, brachij superficiẽ attingit, patrimonio diuiso, cephalica externã, basilica internam, media mediã brachiorum regionem occupat. Ne autem hac hęreditatis diuisione ius consanguinitatis violetur, subinde vna vena alteri innumeros surculos ceu obsides transmittit, propter quos adamantino vinculo connectuntur tres recensitæ venæ. Id Vesalius quoq; vidit: cui in Anatomia ἀναντιῤῥήτως eruditi palmã tribuũt. Hic, postquam Galenicorũ opinionẽ, quam

primo mordicus defenderat, cum rei veritate con-
sentire minime, cerneret, lib.3. de humana fabrica,
in tabula capiti 6. præfixa, palinodiam canit his
verbis: Verum, quando hanc tabulam delineaui,
(loquitur de humerariæ exortu ab externa iugula-
ri:) profecto meis oculis fidem derogans, & Gale-
no nimium credens, hunc ortum humerariæ venæ
tribui, quum alioquin hãc à vena L. insignita ad ex-
ternũ latus characteris N. debuissem deducere: v-
ti in sinistro latere eius figuræ factum cernis, quæ
ad finem huius libri posita, post præsentem est pi-
cta, iam me in propria sententia aperienda auda-
ciorem. Vnde & hunc meum errorem meæ in Ga-
lenum pietati adscribet: quæ etiam præter senten-
tiam, nimium profecto in fibrarũ historia ad ipsius
censa non semel produxit. Eodem barbito ludit
Fallop. in obseruat. Anatom. Anatomicus Vesalio
non inferior. In humeraria vena, (inquit,) hoc
notato: quod axillaris vocatæ propago est in ho-
minibus, atque omnibus, quæ iugulum habent. In
iis vero, quæ iugulum non habẽt, ramus est oriun-
dus à vena iugulari externa. Quam rationem or-
tus nunquam, quamuis studium addiderim non
leue, in hominum cadaueribus inuenire potui. In
his suffragiis si quis non acquiescit, ille prima qua-
que sectione scrupulũ sibi eximat. Quare oportu-
ne in Scorbuto, quæcunque vena cuiusque brachij
euidenter apparuerit, fodienda est. Quod & quan-
doq; necessitas flagitat, cum vel venæ confusę sunt,
vel in carne latitantes oculorum obtutum effu-
giunt. Vere Fernel. lib. 1. Physiol. cap. 11. Venarum
in brachium & manus distributio in nõ paucis va-
riari cernitur, & nonnunquam eiusdem hominis
in dextro

in dextro ac ſiniſtro diſpar. Plerunque vena nulla exſiſtit media: eſt, qui cephalicam, eſt, qui baſilicam in apertum nō proferat: depræhenſum quandoque eam, quæ pollici adſiſtit, à baſilica, eam autem, quæ minimo digito accumbit, à cephalica deriuari: tanta videlicet in iis oſtendit naturæ varietas, ad quæ nulla neceſſitatis lex cogit: atqui non in venis, (vt neque in ſtirpibus,) vna ſemper & ſimilis eſt neceſſaria fruticantium ramorum proiectio. Quo alio, niſi Ariadnes filo à nobis eruto, ex hoc Labyrintho remeandum? Hinc quoque liquet: quid ſentiendum ſit de iis: qui cum Paulo 40. cap. 6. lib. in lienoſis tantopere eam venam laudant, quæ inter minimum digitum proximumque medio ſita eſt. Quanquam Paulus in hoc excuſandus, quod reuulſionis gratia hanc ſecat: extremorum autem euacuatio, quæ è longinquo præcipue fit, efficaciorem reuulſionem facit: in hoc vero accuſandus, quod inquit: quando vena aliqua ſecundum rectitudinem eſt remotior, tanto reuellit potentius: igitur cum hæc vena cum hepate aut liene habeat eandem rectitudinem, quam interna cubiti, & remotior ea ſit, commodior videtur fore ad reuellendum. Reuulſionis igitur cauſſa Saluatellæ ſiue ſalubris venæ eliſio in Scorbuto inſtitui poteſt, cum gingiuæ cruorem ſtillant, eadem, qua aliarum in manu, norma. Quanquam hoc habeat incommodi: quod ob anguſtam inciſionem tenuior ſolum effluat ſanguis, craſſiore relicto: ex quo parum emolumenti ad ægrum redundat. Ipſe amplius Galen. lib. de curat. per ſang. miſſ. cap. 14. non adeo approbat hanc phlebotomiam, vt iſti ſomniant: ait enim, ex venis, quæ ad magnos oculo-

rum angulos conſpiciuntur, aut ſub lingua, q̄ certe mentione dignum ſit, effluere nō ſolet: ſicut nec ſi quis ſumma in manu aut pede venā ſecet: quemadmodum putant, qui lienem curari aiunt a venæ ad ſecundum paruum digitum ſitæ ſectione. Quæ de venis brachiorum diximus, eadem de crurum pedumque venis inculcamus. Vena caua iuxta poſtremam vertebram, ſupra oſſis ſacri initiū, in duos truncos, litteræ Græcorum Λ. aut Latinorū V. inuerſo, haud abſimilis finditur, in crura prolabentes: quod Galen. etiam fatetur lib. de diſſect. venar. & arteriar. cap. 8. Hinc innumeræ illæ propagines in ψόας interiores lumborum muſculos, peritonæum, os ſacrum eiuſq; muſculos, anū, veſicę ceruicem, teſtes, locos, ſumen, lacertos pectinis, naturalia, muſculos crurum interiores, malleolum atq; ſuram. Hi ſurculi ab externo trunci venæ cauæ ramo ſupra os ſacrum factæ partitionis proſiliunt, eiuſdem naturæ, conditionis & ſortis omnes. Qua igitur fronte Gal. lib. de rigor. tremor. palpit. cap. 5. ſcribit? quod venam vtero adfecto circa talū aut in poplite diuidere conuenit, niſi prius venarū communiones ex anatome didiceris, haud poteris id, quod dico, adſequi: alia enim alij corporis parti vena cōmunicat, oportetq; euacuationes ſemper ex communibus moliri: nam ſi venas, quæ nihil adfectæ parti cōmunicant, incideris, neq; adfectæ medeberis, & ſanā ſemper offendes. Et lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. ca. 11. ait: menſiū vacuationem ciere poſſunt in malleolis aut poplitibus inciſæ venæ. Et ca. 18. memini me iſchiadas ſiue coxēdices vno die, facta ex crure euacuatione, curaſſe, nimirū vbi non ex frigore, ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt,
venis,

venis, ꝑuenissent: quare secta in poplite vena commodior ita adfectis est, quam in malleolo. Eandem cramben coquit Gentil. super Auic. lib. 1. fen. 4. ca. 1. quæst. 20. Hæc ἀπομνημονεύματα pleriq; hodie, ceu è tripode, prolata, obseruant. Ratio nulla est, cur in retento fluore lunari saphena potius, quam ischiatica fodiatur: vt eo hæc vena in dolore ischiatico, non autem illa. Ambæ à vena caua scaturiunt: nec saphena propius, quam ischiatica, vtero iungitur. Ideo rectè scribit Fallop. in obseruat. Anatom. idē in crure accidit, cum extremæ propagines venæ, ab istis saphenæ appellatæ, ita in pede ac sura cum ramis ischiaticæ dictæ copulentur, vt non à variis principiis, sed ab eodem omnes exoriri videantur. Idem Vesal. lib. 3. de hum. fabr. cap. 10. fatetur: præter compendia, nostræ ætatis medici vix quicquam perlegunt, prolixe interim de superficiariis pedem adeuntibus venis, si quādo earum aliquam aperiendam existimant, perinde disceptantes, ac si illæ ab vno trunco inguina subeunte tandem non deriuarentur, sed peculiares, sibiq; non cōtinui essent riuuli, ex priuatis visceribus corporisue trunci sedibus educti. Quū enim alicubi quatuor venas ad pedis superiora pertinere, in Gal. lib. de dissect. venar. & arteriar. ca. 8. legerunt, totidē venas pedi tribuūt, singulis rarū propriumq; sanguinis educendi munus adscribentes. Ac primā statuunt, quæ internū perreptat malleolum, & saphena, & matricis vena, & virginalis ipsis vocatur. Secundā exteriori adsignant malleolo, Schiaticam illam nuncupātes. Tertiā in superiori pedis sede recēsent, ex venarum ramulo quopiā pollici porrigendo eductam, illiq; popleticæ venæ nomē accōmodant. Quartā rena-

lem vocant, ipsam ex ramulis quibusdam confingentes, qui minimo digito sunt proximi. Verum interim venas in poplite & sub genu, in sanguinis missione magis, quam pedis venæ, aperiendas negligunt, vti & omnes in corporis alto reconditas. Huic Vesalij cõsilio in Scorbuto pareamus, quando lituris & vlceribus crurum præsentibus, vena pedum aperienda est. Ea diligenda, quæ maxime oculis conspicua, in poplite & sub genu præsertim. Porro hic religio sit, Scorbuticos exsuccos sanguinisque inopes, qui ad hydropem inclinant, ac in quibus iam lues callum contraxit, pauperare sanguine. Ita monet Gal. lib. de atra bile cap. 9. Si hydropicis sanguinẽ mittas, tantũ abest, vt languentes iuues, vt etiã grauiter lædas. Caussam subiungit lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 6. Si natura hominis frigidior fuerit, ei per sanguinis missionem & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nonnulla, quæ ad grauem sequuntur refrigerationem, symptomata: quocirca, qui sic adfecti sunt, eos sanguinis missione vacuare non conuenit.

Hactenus de phlebotomia in Scorbuto: cuius loco ex sententia Celsi lib. 2. cap. 10. Si ex vena sanguinem mitti vires non patiantur, cum cucurbitulæ substitui possint, de his agendum. Galen. lib. 1. de humor. com. 12. & aphor. 17. lib. 2. euacuationi omnium humorum exquisitissimæ per venæ sectionem, proximam esse ait, quæ per malleolorũ scarificationem. Cucurbitulæ autem euacuatis prius corporibus vtiles sunt: nam vbi ea plethorica sunt, cucurbitulis non vtimur: vt ex Galen. scribit Oribas. lib. 7. Medicin. collect. cap. 15. Idem Galen. 13. Method. medend. cap. 19. monet. Vacuari prius totum

tum corpus expedit: nam si refertum sanguine corpus sit, in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipsum implebis. In Stoi buto, cum gingiuæ cruorem fundunt, cucurbitæ interscapilio apponantur, epidermide minutim scalpello discissa. Hic Galenum sequimur, qui loco citato ait: generandis adhuc vitiis, minime ipsis membris, quæ laborare incipiunt, sed iis, quæ continuata his sunt, cucurbita imponi delebit, auellendi in contrarium caussa. Exemplum aptum adfert hoc Galenus: cucurbita in occipite defixa efficax est remedium ad oculorum fluxiones. Quemadmodum autem cucurbitæ scapulis auocandi à gingiuis sanguinis gratia applicantur; ita & cruribus, cum lituræ se produnt, affigendæ, & naturæ motus promouendus. Id Gal. loco adducto quoque indicat: hac ratione & cucurbitula, strenuum plane auxilium, est inuenta, vt foras euocentur, quæ sunt in alto. Cum eo tamen vt sciamus, hic vt nullum periculum, ita leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere: vt Celsus cap. 10. libri 2. concludit.

Quibus Scorbuticis hæmorrhoides fluere consueuere, aut si materia ad venas ani deturbatur, his maximo emolumento aperiuntur remediis, vel hirudinum applicatione. Fomentetur initio locus origani maluæque decocto: deinde inunguntur venæ puluere veratri nigri subacto cum ceparum succo: Vel aloe distemperetur cum felle bubulo & aceto. Hinc imponatur hoc, quod habet, fellis tauri stercoris columbini, ana ℥.j. S. Semin. Staphysagriæ: lupuli, ana ʒ.j. S. amygdalar. amarar. ʒ.j. pulpæ colocynthidis, ʒ v. succi cyclamini, ʒ.ij cum ol.

amygdalar. amarar. & absinthiaco redigantur in formam emplastri. Idem præstat suffitus primum aquæ calidæ, & adfrictus ex foliis ficus: deinde pessulus imbutus succo cepæ acris, felle, colocynthide contusa, & aloe. Proderit quoq;, si vena pedis secetur. Hirudines sic applicantur. Hirudo sit teres, iecoris colore, ventris subrubescentis atq; aureis lineis micantis: vt monet Auic. lib. I. fen. 4. cap. 22. Degat hæc in aqua pura per diem, nec manibus attrectetur: hinc sanguinis momentum de columba cellari vel gallina vernacula exhibeatur, vt virus euomat: postmodum in aqua tepida sordes detergantur spongia: demum denuo in aquam limpidam proiiciatur, in qua seruetur ad vsum: qui talis est, vt locus prius panno aqua tepida madefacto probe abstersus, linteo calido fricetur, donec affluente sanguine venæ erubescant. Deinde cruore pullastri aut columbi locus illinitur, vt gutta sanguinis parti adhęrescat: quam hirudo, linteo mundo admota, ore persentiscens, morsu trifidum vulnus infligit. Sic aliæ apponendæ, dimittendæq;, donec ob tempestatem commessationis turgidæ procidant. Vt sanguis liberalius fluat, vel lecticariæ sindones calidæ parti circumponendæ, vel æger in sede familiarica vaporem aquæ calentis excipiat. Vbertas quoq; profluuij augetur, si hirudini caudam forfice incidas: nam sic quo plus è se effluit, plus haurit sanguisuga sanguinis. Si diutius hæreat, quam è re sit ægri, adsperso sale, cinere & aloe, extemplo decidet. Sanguis pro morbi magnitudine, vt fluat, permittendus: qui, si limites transsiliat, restringendus. Demum, ne virulenti quid relinquatur, locus aqua salita abluendus. Si inopinato

dolor

dolor hæmorrhoidũ intolerabilis oriatur: ℞. Pinguedinis gallinæ villaticæ, ℥. v. Pulpæ pomi cocti ſub cineribus, ℥. j. croci oriental. ʒ. v. Vnguenti populeon. ℥. v. vitellum oui vnum. Fiat linimentum. Fortius eſt hoc. ℞. vng. populeon. oleor. crinini roſacei: chamemælini: anethini: lini, ana didrachmam ol. ouorũ, ʒ. iij. Axungiæ anatis, ℥. v. Mucilagin. ſeminum lini, fœnigræci, citoniorum, altheæ, maluæ, cum aqua verbaſci extractæ, ana ʒ. j. S. Mixtis adde opij Thebaici in aqua maluæ diſſoluti, ℈. ij. croci, ℈. j. ceruſſæ albæ: lythargyrij: Boli Armeniæ præpar. ana ʒ. j. Sem. hyoſciami, ℈. ij. Maſtiches: bdellij, ana ʒ. v. Cum cera alba paretur vnguentum.

Obſtructionibus reſeratis, & exorbitante materia è corpore deturbata, iam non ſolũ næuus, quem μόλυνσις, cauſſa Scorbuti cõtinens, partibus adſperſit, eluendus: ſed etiam in Naturæ liturgia leges figendæ, ne exta putidæ colluuiei ſentina largius attracta, iterũ limites ſanitatis tranſſcendant. In quibus lues altius radices nõ egit, reliqæ morbi recenſitis remediis ꝓmte cedunt: ſi præſertim ipſorũ vſum Scorbuticus aliquãdiu non faſtidiat. Quandoquidẽ vero ea eſt mortalium ſocordia, vt medicus non niſi confirmato morbo vocetur: aliis præſidiis reſiduum Scorbuti exſtirpandum. Maximi autem momenti hic ſunt ſudorifera, διαφορητικὰ & διουρητικὰ φάρμακα: ſi cum primis & ea iungantur, quæ cõtagio aduerſẽtur. Humor Scorbuticus tenuis eſt, crudus, frigidus & aqueus, qui ocyſſime ſeſe in artuũ latebras inſinuat. Propinãda iccirco hic remedia, calida, exſiccãtia, abſorbẽtia, & tenuia, quę eaſdẽ artuũ rimas penetrent, & ſingulari monomachia cũ hoſte

inibi latente digladientur. Hic inſignem meretur laudē ligni Gaiacini decoctū, atq; zaryæ parigliæ, quæ medulloſis eſt flagellis, ſolida, minime ſtigoſa, candida intus & habitior: lignum item Saſſafras, ex Florida noui orbis prouincia ab Hiſpanis ad nos transportatur: quod, ſicut guſtu aromatico ad fœniculi ſaporem tendit: ita eidem quodam modo poteſtate reſpondet: dum ob ingentem ſiccitatem moderatumque calorem non ſolum omnis generis frigidos morbos, defluxioneſque abſumit, vrinas ciet, obſtructiones aperit, concoctioni opitulatur, & partibus internis fulcrum ſubdit, ſed etiam contagio reſiſtit: quod illi experiuntur, qui fragmentum huius ligni aſſidue odorantur in peſte. Iiſdem dotibus pollet aſpalathus roſeus, quem officinæ lignum Rhodium nuncupant, & hactenus pro ſantalo vendidere. Eo potiſſimum vtimur, quod albidum foris, intus torulo ſubflauo, aut citreo, ſantali albi & citrini ſimilimum, roſam odore adeo fragrante ſapit, vt totum cœnaculum imbuat, nullamque guſtanti manifeſtam exhibet qualitatem. Hæc vel ſeorſim ſingula, vel coniuncta decoqui poſſunt, accurata temperamentorum adhibita ratione. Ineptiunt illi, qui in mero coquunt iſtiuſmodi ligna. Nam ſpiritus ſiue balſamus vini, qui ſpiritibus corporis alimoniam ſuggerit, longis ebullitionibus tantopere perit, vt nullum eius veſtigium ſuperſit: vnde pro vino phlegma inſipidum, ſubacidumque heluantur miſelli, cum præſenti ſanitatis iactura. Iſtud inſuper diligenter obſeruandum, vt vires horum remediorum exacte coctura euocentur. Quod fiet, ſi ligna iſta & radicem zarzæ in aſſulas inciſæ, non ſolum prius aliquan-

aliquandiu in liquoribus in Pellicano maceremus, sed maiori etiam quantitate decoctum paremus. Lignum enim, vt & radicis medius torulus, qui lori instar est, duriora sunt, quam vt tam cito bulliendo vires deponant: quæ non subito quoque euanescent, si in diplomate opus absoluatur. Quod vel maxime lignis Sassafras & Rhodio contingit: quorum fragrantiam hoc stratagemate sartam tectam retinemus: vt &, si eorundem ius feruens farinæ lignorum adfundamus horis aliquot. Si quis herbas hisce commiscere vult, preterquam quod efficaciam medicamentorum non parum retundat, iniocundius quoq; reddit decoctum, alterum præsertim, quo in mensa vtuntur. Hoc enim, vt necessario requirimus in Scorbuto, cum semine coriandri & rore marino præparatum, aut cum aromatibus & saccaro aliquoties per manicam Hippocraticam traiectum: ita ægros non prorsus à vino arcemus: quod si aqua ligni Sassafras aut aspalathi rosei diluerint, & saporis odorisque gratiam, & colorem rubicundum mero conciliabunt. Limites tamen hic prescribimus: ne in merenda vel prosœnio nimia temeti ingurgitatione obsint sibi Scorbutici. Hoc loco nec vlcus id cacoëthes intactum relinquere possumus, quo etiamsi plerique medicorum & agyrtarum lethaliter laborent, nihil tamen aliud veluti Ammonij discipuli, optabunt, quam vt in transgressionis pœnam, horrendo pediculorum edulio hanc ob caussam consumamur, quod, testibus Potphyrio & Agrippa lib. 3. cap. 2. instar Plotini, violato iuramento Ammonio præstito, sacramenta publicemus. At grauis hic error, qui in perniciem mortalium è specu Trophonio

prodiit,

prodiit, nos vrget, vt cum Paracelſ. lib. 3. de male curat. reſtit. cap. 15. exclamemus: Salis vſum quod interdicitis, hoc vero eſt, quod medicinæ nomen nunquam mereri poteſt, cum veneni inſtar ſit: namque ex ſalis defectu neceſſario corpus corrumpitur, bonaque eius temperies perit. Ne quis vero Paracelſum inſulſe contra inſulſos cibos iſta blaterare dicat, & rationes adducit, & ad experientiam confugit, dum inquit: Nos eius incommoda in tres claſſes diſtinguere ſolemus. Primo enim ſine ſale concoctio abſoluta fieri nulla poteſt, neque in ventriculo, neque in hepate: vnde corporis humidior conſtitutio, ad hydropem, catarrhos, paralyſin, apoplexiam, ſubitamq; mortem ſuſcipiendam apta ſubſequitur. Secundo, corpori ſubtrahitis id, quod ſanis ac valentibus membris deputatum eſt: hoc eſt, alimenta exhibetis, quæ corpori aduerſantur. Iam vero ſi quid corpori aduerſum ſit, quam ad nutricationem ineptum ſit, non puto quenquam eſſe, qui non intelligat. Namq; curatio omnis in eum modum fieri debet, vt nulli mẽbrorum ſuum aptum nutrimentũ ſubtrahatur, ne ſcilicet vires imminuãtur: eæ namq; ſemel deperditæ, vix poſthac in integrum reſtitui poſſunt. Tertio, quod tenuem victum præſcribitis, id quidẽ efficitis, vt, cũ hoſtibus omnibus, qui vna cũ morbo vobis reſiſtunt, vires ſubtrahitis, eos ſubegiſſe quodãmodo videamini: verũ vbi corpus vires receperit, tũ vna cum augmẽto viriũ, morbi quoq; recrudeſcunt, multoq;, quã antehac fuerint, grauiores euadunt: nãq; ex imodicis iſtis exſiccationibus ſanguis refrigeratur, vireſq; adeo debilitantur, vt cibũ potũq; poſthac imperfecte cõcoquãt: vnde deinceps neceſ-

necessario sanguis, caro, adepsq; frigidiora generãtur. Eadẽ ante Paracelsum inculcauit Plin. lib.31. cap.7. salsissimus, inquit, sal siccissimus est, & pulmentarij vicem implet, excitat auiditatem, & inuitat in omnibus cibis, cœpitque tandem innumeris generibus ad saporem gulæ tabescere. Pecudes etiam armentaq; & iumenta sale maxime sollicitantur ad pastum, multo largiore lacte, multoq; gratiore in caseo dote. Adeo, vt vita humanior sine sale nequeat degi: adeo necessarium condimẽtum ac elementum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoq;. Nam ita sales appellantur, omnisq; vitæ lepos, & summa hilaritas, laborũq; requies, nõ alio magis vocabulo constat. Honoribus etiã militiæq; interponitur, salariis inde dictis magna apud omnes auctoritate, sicut apparet ex nomine. Maius itaq; regiũ ex eo est vectigal, quam ex auro & margaritis. Et ca.9. salem torpentem vẽtriculi appetentiam excitare ait. Quod in columbis Idem lib.10.cap.34.obseruauit, quæ pipionibus primo salsiorem terram, collectam gutture in ora inspuunt, p̃parantes tempestiuitatẽ cibo. Et pastores eandem ob caussam pabula pecorum sale conspergunt, teste Plutarcho, lib. de caus. natur. quæst. 3. contra Apolloniũ Herophili filiũ. Inconsulto igitur medici hac memoria omnem salis micam ligno Gaiacino vtentibus interdicunt, ὄρεξιν vẽtriculi exstinguentes, maxime vero Scorbuticis: quibus totũ corpus humore crudo fere diffluit. Sal insuper, iuxta Gal.lib.11. de simpl.medic.facult. quicquid in corporib⁹ humidũ inest, id quodãmodo absumit, & quod reliquũ est substantię solidę, adstrictione sua cõtrahit: ac proinde etiã cõditura sua carnes seruat, & à putredine

tredine tuetur. Quippe quę putrescunt. excrementitium continent humorem, substantiamque tum dissolubilem, tum minime compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorsum est humiditas superflua, ceu melli optimo, & corpus solidum & compactum est, ceu lapidibus, ea vt putrescant, est impossibile: ac proinde in his salis non probatur vsus, verum in iis, in quibus suspecta putredo. Et 1. de temperam. cap. 4. censet, salem à putredine præseruare exsiccando. Insulsi iccirco cibi insulsis stomachis stomachum faciant: nos salinum mensæ Scorbuticorum imponamus: nam ex sententia Scholæ Salernitanæ, non sapit esca probe, quæ datur absque sale. Optimo quoque successu in Scorbuto vtimur vino Gaiacino Matthioli: quod ℞. Ligni Guaiaci præstantissimi, lima in scobem tenuissimam attriti, ℔.iv. (Si addetur ligni Sassafras, & Rhodij dimidia libra, excellentius euadet:) Cortic. Guaiari, ℔.ij. Cardui benedicti, ℔.j. S. Adianthi. aspleni, (aut cochleariæ. vel nasturtij,) flor. boragin. ac buglossæ, ana ℔. j. Cassiæ odoratæ, ʒ. vj. Sem. anisi, ℥.j. S. Saccari, ℔.v. Coniiciantur omnia in cado vinario mundo aptæ capacitatis, desuper adfusis vini albi quam optimi & feruentis libris CL. mox diligenter vas operculetur, omniaque sic macerari triduo dimittantur. Post triduum vero linteo percolentur, adserueturque huiusce macerationis vinum in alio vase ad ægrotantium potum. Siquidem bibitur hoc tam in prandio, quam in cœna, secundi Guaiaci decocti loco: non mane, neque vesperi, serapij vice, quemadmodum temere multi facere consueuerunt. Hoc idem vinum longe etiam melius, & maiore quantitate, vinde-

miarum tempore confici poteſt, admixtis ligno, cortice, cæteriſque aliis recentibus vuis albis in muſtum compreſſis: ibiq; tamdiu dimiſſis, quouſque muſtum efferueſcere deſinat, & pellucidum clarumque reddatur: Veruntamen multiplicanda ſunt omnia, quę conueniunt medicaméta pro vuarum quantitate. Earundem virium eſt Muralti vinum, ſi in primis Scorbutico aqua interius immineat & cachexia. ♃. Radic. quinque aperientium: Radic. Glycyr. raſæ: cortic. radic. capparum: cortic. mediorum fraxini, ana ℥. j. Radic. iridis Florent. calami aromatici: cinnam. ana ℥. v. Herbar. capilli Veneris: cetarach: cortic. tamariſci: Flor. cordialium, ana M. j. Herbar. abſinthij Pontici: cardui benedicti: hyſſopi: praſſi, ana M. v. Sem. aniſi, apij, ameos, fœniculi, ana ʒ. j S. Folior. Sennæ mundatæ, ℥ ij. Ligni Guaiaci limati ℔. j. Saccari, ℔. ij. vini generoſi, ℔. XL. Miſce, & ſerua in vaſe obturato. Cui magis adrident chymica, hoſce paret liquores & Scorbuti contagio, & cauſſæ coniunctæ gladiatorie reſiſtentes. ♃. Raſuræ ligni Gaiacini, ℔. ij. Radic. enulæ, ℥. iij. S. Radic. iridis Florent. cyclamini: bardanæ, ana ℥. ij. Cortic. radic. ebuli, ℥. j. S. Cinnam. ℥. j. Theriaci Andromachi: Rob de baccis ebuli, ana ℔. v. Vini antiqui fragrantis, menſur. v. Macerentur prius: hinc eliciatur aqua igne cinerum. Huic ἰσοπαλὴς eſt hæc aqua. ♃. Herbar. cochleariæ, fumariæ, cichoreæ cum toto, ana M. iv. Baccabungæ: naſturtij aquatici: vermicularis: chamædrys: abſinthij: veronicæ: cardui benedicti, ana M. ij. Radic. heleni: myrrhidis: fœniculi: polypodij: lapacij acuti, ana ſextantem. Sem. aniſi: fœniculi: naſturtij: aquilegiæ: erucæ, ana ℥. v. Herbæ

& radices recentes incidantur,& contundãtur: ad-
ditiſq; lactis caprilli, & vini rubelli, ana ℔. iij. per
horas 24. macerentur, poſtea per arenam deſtillen-
tur. Præſtantiſſima quoq; eſt hæc aqua, quæ habet
æquale põdus cochleariæ, ſcordij, naſturtij, aquati-
ci, ſiſymbrij, ſimilacis aſperæ, vel ligni Gaiacini. In-
cidendis inciſis, terẽdiſq; tritis adfunditur vinum
generoſum: circulatur tepore caldarij per biduum:
liquor elicitur, deſtillatũ aliquoties ſuper feces tu-
ſas reducẽdo. Liquor poſtremus cũ oleo ſulphuris
& vitrioli ꝓpinatur. Si vegetiorẽ deſideras aquam,
adde lupũ ſalictarium, erucã, ſinapi, zarzam pari-
gliã, aquam raphani, & mel deſpumatũ. His cãcel-
lis & hunc includimus liquorẽ theriacalẽ. ♃. Sco-
bis ligni Gaiacini beſſem. Lignor. Saſſafras & Rho-
dij, ana ℥.j. vini albi, ℔.ij.S. Aquæ fontanæ, ℔.iij.S.
ſtillatitiæ aquæ naſturtij dodrantẽ, fumariæ: Ver-
micularis, ana ℔. v. Digerantur ſimul per tres no-
ctes & dies ſuper cineres calidos. Hinc adde radic.
Polypod. querni: Enulę cãpanæ, ana ſeſcuncẽ. Peta-
ſitidis: iridis Florẽt. ononidis, ana ℥.j. cõſeruar. na-
ſturtij aquatici: fumariæ: abſinthij: citrariæ, ana
quadrãtem: Epithymi, ℥.j. Theriacę Andromachi
ſextãtẽ. Mithridatij, ℥.j. Deſtillẽtur in arena: & poſt
adde ſpiritus Tartari rectificati, ℥.j. liquoris cry-
ſtalli: ſpiritus vitrioli: Ballami ſulphuris, ana ʒ.j.S.
vel ij. Aut raſura ligni Gaiacini, poſtquã hanc in a-
ceto per biduum balnei tepore in Pellicano circu-
laueris, effuſo aceto, quouſq; omnem acorem ex-
uerit, aqua dulci abluatur: ablutio hæc vna cum
aceto in balneo euaporet, primo phlegma, poſt a-
cetũ exſtillabit, donec in fundo cernas extractio-
nem, quæ, ſi filtretur, fit coloris ruberrimi, maxi-
mi eſt

mi est valoris in morbis, q ligni vsum desiderãt: vt & in Scorbuto, cũ vlcera putrida & gangrænosa se prodũt, in aq̃s appropriatis dissoluta. Aut, si quis simpliciorẽ requirit modum, doletur in minutissima fragmenta lignum Gaiacinum: & destilletur in cineribus arenaue inde aqua & oleũ, quę duo separanda: aqua ꝓpinatur. Ex reliquiis βάναυσος salẽ ligni congelatũ extrahet. si igni vehemẽtiore eas vrgeat, eiusdẽ cum extracto virtutis. Horũ liquorum vsus mire conducit Scorbuticis: si bis quotidie sumãt, & in lecto sudent ꝓ virium tolerãtia. Quibus virtus vitalis cespitat, iis tinctura florũ cordialium, Lychnidis pręsertim coronarię, cum soluto saccari exhibenda. Cuius præparationẽ artificiosam ex Eleusimis sacris in περιπάτου citra poppysma producem⁹. Pollini saccari clarificati in phiala vitrea adfunde spiritum vini alcoolisatum: quem incensum siue flagrare, non tamẽ ad extremã siccitatem: alias saccarum spissescet. Sic habes oleum seu potius liquorẽ saccari: quem alij saccarum potabile nuncupant, & cum aceto stillatitio parant, minus tamen ꝓspere. Sume iccirco folia florum colorata, abscissis petiolis versus coliculum, eademq; recentissime sudo ante solis ortum lecta: pone in matratium vitreum, ac liquore saccari calido adfuso, superpone cæcum alembicum, cõmissuris Hermetice ferruminatis: insoletur per octiduum: hinc saccarũ potabile tincturam florum cum odore mordicus attrahit, & phlegma, durationem suffurans, in sublimem alembici limbũ eleuatur, vnde euacuandum. Vt vero tincturę vigor intendatur, flores ex cucurbita apto instrumẽto exẽtos, exprime per linteum mundum, aere frigido, ne spiritus florum impense

tenuis dissipetur: nouos flores liquori commisce, & repetatur apricatio. Quamprimum flores tinctura spoliatos à saccaro depræhenderis, procede, vt prius: & renoua sic flores ter quaterue. Demum vltimos flores exprime diligenter in veterem liquorem: obtura, vt ante, & serua vsui. Alij flores ante expressionem succi tundunt in mortario lapideo: sed sic nonnihil decedit fragrantiæ. Aquam iccirco stillatitiam florum calefactam quidam floribus in apto vase adfundunt: obturant è vestigio accurate: inuoluunt culcita plumea vel puluino per diem postea effusa aqua, (quæ ad destinatos vsus iam præstantior est,) flores potenter in liquorem saccarinum exprimunt: & insolant. Flores autem siccentur nonnihil antequam soluto saccari misceantur, intra duas phialas vitreas: sic enim tinctura nobilior & formosior euadet. Danda tamen opera, ne comperendinatione, dum humidum aqueum consumitur, pingue, in quo vires omnes & pulcritudo consistunt, putrescit, & sic tinctura corrumpatur, eueruetur que. Pharmacopæi, succum florum expressum continuo transferunt in saccarum clarificatum coctum, tepidum, coquuntque ad spissitudinem. Spuma supernatãs inter coquendum si non dematur, manet succo color, sed facile perit: si vero auferatur spuma, color quoque aufugit: vnde auguramur, in spuma delitescere tincturam. E floribus rubris colorem nonnulli vberius extrahunt, si saccaro tuso misceantur aceti optimi aliquot cochlearia spatha lignea in cucurbita vitrea. Digeruntur vna vitro clauso in lento cinerum igne per septendium, quoad saccarum euadat rubicundum. Ex hoc per vini spiritum extrahitur
essentia

eſſentia rubra in balnei digeſtione ſpiritus abſtrahitur vſq; ad oleoſitatem. Plurimum quoq; laudis muntur in Scorbuto remedia, quæ à chalybe deſumeretur. Hæc enim non ſolum lienis obſtructiones, tumorem ſuminis ac cachexiam auerruncant, vt mutato habitu ægri εὐεκτικοὶ fiant, & bene carnoſi, coloratique: Sed partes etiam internas roborant, ne humore nimio diffluant amplius. Limaturæ chalybis, (quem στόμωμα, ſiue batituram vocant:) ℥.iij.S. infunduntur dies viij. in ℔.iv. vini albi generoſi, vitreo vaſe bene clauſo, apricando & quotidie aliquoties agitãdo. Huius vini dantur ℥. vj. vel viij. quatuor horis ante prandium: quo aſſumto ambulandum per horas duas citato greſſu. Hoc per aliquot dies continuatur, etiam bis quotidie, ſi neceſſitas vrgeat, vinum exhibendo, prius bene ſemper concuſſo vaſe, vt ſubſtantia chalybis melius vino permiſceatur. Idem præſtat ſecretum Geſneri lib. 3. Epiſtolar. quo in ictero, cachexia & ſcirrho iecoris eum principio hydropis vſus eſt. ♃. Carbonum è quercu tritorum & cribratorum: Limaturæ chalybis aut ferri cribratæ, ana ʒ.j. Iniiciũtur in ℔. iij. vini albi: & in eodem exſtinguitur portio ℥. iv vel v. chalybis ardentis, ter vna vice poſt alteram ſtatim repetita: quarta vice exſtinctum chalybem in vino relinquere oportet. Colati accipiuntur ℥. ij. vel iij. tepidæ mane, veſperique tribus ante cœnam horis. Aliquando additur cinnamomi, iridis, choris vſti aut ſpodij aliquid, omnia illigata linteolo ſerico. Quinto quoque die ſudandum eſt in labro obtecto, vel Laconico paruo, ita vt corpus non tangatur aqua: & in balneo ponatur lebes, in cuius aqua ebulliant auenæ & fa-

bæ culmi cum Man.v.cineris. Continuetur hoc ad duos vel tres menses. Huic nec cedit istud electuarium: quod capit limaturæ chalybis in pollinem tritæ cum aceto & exsiccatæ, sexies sic repetita præparatione, ℥. vj. specier. aromatici rosati, ʒ. vj. Rhabarb. præstantis, ʒ.ij. Cinnam. nucis myristicæ, ana ʒ iij. Mellis optimi: Saccari albi, ana ℔.j. & ℥.j. Ad lentum ignem mista redigantur in formam electuarij: de quo Scorbutici horis 4. ante cibum sumant pondus nucis castaneæ, paulatim ad maiorem dosin ascendendo; subsequaturque exercitium. Huc reuocamus electuarium Rhasis è scoria ferri, aut chalybis, in Pharmacopœia Augustana descriptum. Vel è calce, chalybis & sulfuris sanguinem extrahe aceto destillato: hoc toties itera, donec nulla amplius adsit rubedo: aceto euaporãte, spiritus vini adfundatur per dies aliquot: hinc fiat destillatio ad crassamentum extracti: quod aqua pluuiali abluatur. Sacra est hæc anchora in desperatis: cui par est crocus Martis: qui in Scorbuto vel conseruæ nasturtij misceri, vel in superioribus chalybis præparati vice fungi potest. Idem de Balsamo Martis intelligimus; cum elimatam ferri vel aciei scobem in furno reuerberij calcinamus; calcem aceto destillato acerrimo digerimus in cella caldaria, donec rubescat: abstracto aceto, aqua stillatitia macerant, vt omni prorsus acrimonia destituatur, filtrant, coagulant, coagulum destillant per retortam in oleum rubicundissimum. Atque hic modus in medicina securior est, quam chrysurgorum, qui calcem ferri vrina imbibunt, vel abluunt cum murie vel oleo salis soluunt, & tandem more aquæ stygiæ destillant, ad citrinandum argentum,

gentum, aut lamellas cuiusuis metalli, Solis colore fucandas. Sic Balsamus sulphuris θαυμαστωθεὶς in Scorbuto est, cum præsertim vlcera praua gingiuarum, dentium corrosio & casus ingruunt. Floribus sulphuris in cucurbita stricti osculi superfunde spiritum therebinthine ad 3. vel 4. digitorum exstantiam. Obturatum vitrum in arena colloca, ne tamen oleum floribus innatans plane contegatur. Ignem moderatum subiice, quousque flores oleum sanguinis colore inficiant: tinctum effunde: &, si flores in fundo matratij subsidentes non perfectam nacti sint solutionem, processum cum nouo therebinthinæ liquore repete tamdiu, donec nihil tincturæ amplius extrahi videris. Feces subnigras elimina: tincturam vero sulphuris in arena subiecto igne adeo vrge, quoad oleum terebinthinæ putidum, superstite in fundo tinctura sulphuris, exstillauerit. Enixe hic danda opera, ne igne luculentiore cum oleo tincturam per rostrum alembici exigamus. Solutio florum vt omnis fœtoris sit expers, alcoole vini loco calido aliquamdiu circulanda: sic enim spiritus ruberrimo colore imbuetur. Hæc cohobia tamdiu repetuntur, donec nihil amplius rubedinis extrahi queat. Postea secreto mẽstruo per balneum, residet in fundo Balsamus vel Rubinus sulphuris. Etsi autem variis modis sulphur in sublime agatur: probatur tamen nobis sequens: dum sulphuris libra, myrrhæ item ac aloes succotrinæ quadrans contundũtur in bocca vitreata cũ capitello simili; post fecib' à sublimato seclusis, sumitur florũ vna, myrrhę & aloes quarta pars, sublimãturq; denuo bis vel ter, donec ab omnibus sordibus ventus citrinus sit

mundatus. Si huius Balsami, scrupulus dimidius in quadrante vel triente superiorum liquorum Scorbutico propinatur, & nõnihil Spiritus Tartari additur, non solum humores radicales renouat, sed etiam hydropi & cachexiæ imminenti vnice auxiliatur, vlcera instar balsami glutinat, hepatis splenisque obstructiones potenter reserat, Scelotyrben arcet, lituras delet, & gingiuas corruptas certissima experientia sanat: sic tamen, vt sudor Balsami vsum aliquandiu excipiat: Eiusdem prosapiæ est acetosa mineralis seu spiritus Vitrioli, qui omnis sensibilis corrosionis tardæque austeritatis est expers: cum post primam destillationem, modo triuiis noto, in retorta igne furni reuerberatorij flãmeo noctu diuque peractam, paulatim aliquoties liquor cohobãdo ac destillãdo rectificatur, relicto in fundo ambullę incuruatę capite mortuo: deinde in Pellicano fimi calore per duos menses digeritur: donec aciditatem quidem acquirat, non tamen tantam, quæ in stuporem dentes trahat, sed aquæ pelluciditatem, & odorem violæ præbeat. Oleum enim vitrioli subrubrum, quod ex colcothare post spiritus extractionem relicto, cum spiritu vini tartarisato exigitur, corrosionem nondum penitus deposuit: vnde cum impermissum, vti prior spiritus, intra corpus tuto sumi nequeat, non tantopere conducit Scorbuticis: cum farragine aliorum remediorum vires eius gnauiter infringantur. Quanquam oleum vitrioli dulce non omnino aspernemur: qnod ex chalcanti calce ad rubedinem vsque sublimati ventris ęquini tepore soluitur, & rursus in arena per alembicum destillatur, coagulaturque iterum in Balneo, fluxile alioquin in loco

vdo.

vdo. Adulterio vero non caret illud: in quod austerum expolitæ chalybis laminæ coniiciuntur: donec in iis non amplius rubedo cuprosa appareat. Omnibus autem Oxelæum seu spiritum Vitrioli subacidum præferimus: dulcedo enim, si naturam chalcanthi perpendamus, isti metallo adscititia censetur; cum acor à vitriolo nunquam seiungi possit: &, si dulcis sit sapor, olei potius sulphuris indolem imitetur: quod etiam agnoscit Paracels. lib.2. chirurg. Magn. tract. 2. cap.9. Quanquam Idem lib.10. de tumor.& vlcer. Gallic. scribat, summam dulcedinē illi vitriolo inesse, quod ex cupro atte chymica paratur. Ronssæus longo vsu didicit, plurimū prodesse in Scorbuto absinthij, aut telephij, aut chamędrys essentiā arte chymica elicitam: Si quotiidie pōdus granorū plus minus xv. ieiuno stomacho quis sumat, aut per se, aut cū Syr. de epithymo. Laudat idē prædictarum herbarum tincturam, aut quintā essentiam ex pscripto Iohannis de Rupe scissa, cum æthere aut alcohol. vini elicitam. Langius & Vierus obseruarunt absinthiū vulgare conducere plurimum: cui adiunxit Vierus sępe fumariā & chamædrin: vt & nummulariam ob dissolutas compages. In hāc classem reponuntur omnis generis Salia siue alkali, quę in Scorbuto maximam reportant laudem, si dextre præparata fuerint: cum scilicet herbę vel radices in cineres vel calcem reuerberantur, (sic tamen, ne radicalis humor comburatur, nec arenescat aut virescat cinis:) commissuris vasis maltha diligenter stipatis, vt nempe volatilia cum fixis remaneant. Cineres cum aqua propria stillatitia modice calefacta perfunduntur, & extrahuntur in lixiuium essentiale, di-

gestione triduo post fornacem calentem peracta: quod nõnulli in diplomate coquendo perficiunt. Liquor aliquoties filtratur per chartam in linteo positam super vase. Hæc reductio repetitur, donec in cineribus nulla sentiatur acredo, aut salsugo. In eodem liquore noui macerantur cineres, quousq; aqua euadat acerrima. Tandem lixiuia coagulãtur diuaporãdo in vitro, super prunarum igni, qui, ne sal volatilis pereat, lẽtus sit. Cum vero iam in mellis consistentiam coagulascere incipit, olei proprij destillati, (ob efficaciam vegetiorem, saporemque euidentiorem:) item olei salis, (ob salsedinem alkali acceptiorem:)guttulæ aliquot adiiciũtur: tandemq; superflua humiditas apricatione vel furni calore sinitur difflari ad salis corpulentiam. Hac ratione colores, sapores & odores rerum eiusdẽ speciei in salibus conseruãtur melius, quam si per imbibitionem propriorum succorũ seu tincturarum, hoc fiat, siccando lentissimo igne, & terendo. Facile enim talia mucescũt, & eliquantur in aere, si non seruentur in vitreo vasculo, cum præsertim herbæ oleaginea substantia præditæ sunt: vt è contra salia, quæ optime filtrata sunt, indurescunt & pellucent crystalli instar. Vsus salium est ad ℈.j. aut ʒ.v. vel in superioribus liquoribus ad sudorem ciendum, vel in cibis, vel, vt Paracels. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 3. cap. 6. vult, singulis matutinis cum mica panis torrefacta. Salia, si in calcem igne luculentissimo redigantur, calx insuper super porphyrio lapide læuigetur, & post in cella vinaria, alioue loco vdo collocetur, soluuntur in substãtiam oleosam, eiusdem cum salibus vigoris. In Scorbuto hęc salia pręstant: absinthites inprimis, hoc enim aquam intercutem

cutem eliminat, vrinam ciet, vētriculum, hepar ac lienem roborat, ſudorē elicit, coctionem extorum promouet, viſcerum obſtructiones aperit, vt vere catholicū dici poſſit: gentianæ, gratiolæ, ob auſpicia hydropis auerruncanda, ononidis, ebuli, chelidoniæ, fumariæ, liguſtici, pimpinellæ, chærefolij, eupatorij, cochleariæ, naſturtij, parietarię, ſcolopēdriæ, tamariſci, & eius farinæ alia. Vierus ingratam & fere abominabilem potionē in Phryſia orientali, velut certiſſimā Scorbuti curationem refert, ex radice raphani maioris, & ſtercore taurino, anſerinoq;: de qua quotieſcūq; ſitit æger, large bibit: nec aliam vſurpat potionem, donec integram fuerit conſecutus ſanitatem. Phryſia, cū ſit taurorū & anſerū feraciſſima, ſibi retineat ſtercora: ad cuius harā ablegabimus Aſclepiadem, cui cognomentum erat Pharmaceon, aut Xenocratem, quorum Gal. 10. de ſimpl. medic. facult. meminit: vbi addit hęc: eſt probrum grauius homini modeſto audire κοπρεσφάγον, hoc eſt, ſtercoriuorū, quā fellatorem, aut cynædū. Et licet Paracelſitæ ſtillatitiæ ſtercoris humani aq̃ ſingulares adſcribant dotes in potu datæ ad morbum Herculeum, calculū, hydropem, morſum animalis rabidi & venenoſi, venenaque, ex ſententia Bertapaliæ: frequentior tamē eius vſus eſt in fiſtulis, cicatricib⁹ indecoris, rubore, caligine, lacrymis & maculis oculorū, alopecia, vlcerib⁹ corroſiuis, cācro & ſcabie. Quicq̃d etiam Dioſcor. lib. 2. cap. 72. ſcribat. Antequā vero ex hac tribu diſcedamus, neceſſum eſt, vt & de aq̃s mineralibus Scorbuto aptis quid dicam⁹, quarū in deploratis maxima dep̄henditur efficacia. Ronſſeo ad Scorbutum fontes ij adrident, quæ in Arduenna ſilua viſuntur: ſunt acidi,

& ferri

& ferri naturam, cum aliqua ſulfuris portione ſapiunt: conducunt intro abſumpti, & foris admoti. Sic enim inquit Ronſſeus: ſi remedium ſpleni in ſcirrhum ſit præſentiſſimum, ferrum aqua, aut vino aut poſca exſtinctum, vt docet Aetius tetrab. 3. ſermon. 2. cap. 8. quanto magis prodeſſe cenſebimus eam aquam, quæ natura duce, in primis venis ferri naturam ac facultatem imbiberit: cuiuſmodi ſunt ſcaturigines eorum fontium, qui ferri venas aut mineram præterlabuntur. Docet enim experientia, aquas non tantum vini & energiam metallorum, quæ præterlabuntur, lambendo ad ſe allicere: ſed & eorundem ſaporem, vt in acidis ferrum ſapientibus: nonnunquam etiam odorem, vt in ſulfuratis & bituminoſis. Credendum igitur eſt acidos fontes, non tantum excreſcentiæ lienum, ſed & vlceribus inde natis profuturos: cum videamus ſcabiem & fœda vlcera ſolis balneis & lotionibus acidorum fontium in Arduenna ſilua ad ſanitatem reduci. Theodor. Tabernæmont. libr. de thermis, varios acidos fontes Scorbuticis vtiles prædicat; qui à minera ferri & vitrioli maxime, antimonij quoque, ſalis nitri, aluminis & ſulfuris ſuas ſortiuntur virtutes. Ferrum autem primas hic tenet, eadem exſiccationis ratione, qua crocus Martis & chalybs: vt rectius ſentit Gentil. ſuper Auic. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 16. quæſt. 19. quam Ronſſeus, qui in nodo hoc Gordonio, nunc ad vim acidam incidentem, nunc ad frigiditatem, acrimoniam humoris peccantis obtundentem, nunc adfectæ parti robur addentem, nunc ad acidum ſaporem obſcure quodammodo calfaciētem, tanquam in Oceano inter Syrtes fluctuans, confugit: quo

vero

vero anchoram iaciat, animo hæret. Cæterũ indubitata experiẽtia Scorbuticis prosunt thermæ, sulfuratæ, ferratæ, cupreæ, salsæ & aluminatæ: quales sunt Badenses Hercyniæ & Heluetiæ, Carolinæ, Elbogenses, Cellenses, piperinæ, ferinæ, vulgo Wildbadt & Wembdingenses. Quibus calidius est iecur, aut quos febris lenta erratica vexat, iis acidulæ conducunt: ea præsertim, quæ præter calcanthum & ferro, & fulfure inficiuntur: quales maxime sunt fontes Ebenhusanus, Goppingensis, Geislingensis & Rotẽburgensis. Hæ omnes aquæ Scorbuticis succurrunt: cum præsertim vlcera maligna erumpunt, quæ vel validissimis emplastris non cedunt. Nec terret nos: quod Theophrast. lib. 2. chirurg. Magn. tract. 3. cap. 8. scribit: sciendum, eos solum vlceratos ad thermas mittendos esse, qui vlcerum radicem non intrinsecus in visceribus, sed in ipsa adfecta parte habent, hac distinctione, vt aluminosum vlcus aluminoso balneo curare velimus: nisi enim ista concordantia obseruetur, frustra omnis curatio attentabitur. Videmus quotidie mineralibus aquis exhauriri humorum sentinum, qui vlceri fomitem suggerunt, à partibus nempe interioribus subrogatum.

Restat iam, vt ad symptomata præcipua accedamus. Hic primum in conspectum prosiliunt gingiuæ cruentæ, fœtidæ & liuentes. Vierus gingiuas laxas & putridas lauat cum decocto foliorum & corticum oxyacanthæ vulgaris, cochleariæ, sisymbrij cardamines, nasturtij hyemalis, & rosarum rubrarum immaturarum, in aqua fontana præparato: in cuius colatura expressa aluminis pauxillum fuerit dissolutum: si præsertim saporis & abster-

sionis

sionis ratione admisceatur mel crudum vel rosaceum: siue vt conseruentur, confirmenturque magis gingiuæ, & feruor restinguatur, diamoron. Ronsseus hoc gargarismate vtitur. ℞. Bistortæ cum radicibus: tormentillæ cum radicibus, ana M. ij. malicorij, ℥. ij. Rhois obsoniorum, ℥. j. Decocta in aquæ pluuiæ ℔. ij. ad ℔. j. colo transfundantur. Colaturæ adde, aluminis scissilis, ʒ. ij mellis optimi, ℥. ij. Præstantissimus insuper est hic gargarismus: qui ℞. Sem. Sumach triti diligenter, ʒ. ij. folior. rosar. rubrar. ℥. v. flor. balaustior. radic. tormentillæ, ana ʒ. j. Cardopatij: bistortæ, ana ʒ. ij. Cortic. citri: mastiches: Gallæ Turcicæ, ana ʒ. ij. Vini austeri, ℔. j. Aquar. plantaginis: veronicæ: fortis purissimæ, ana ℥. iv. Coque ad casum quartæ partis. Refrigerata cola forti expressione: per filtrum dimissis adde Diacaryon: mellis rosati colati, ana ℥. j. S. aluminis vsti, ʒ. j. Ista maximopere principio corruptionis gingiuarum subueniunt: quibus cum certant sequentia. ℞. Ligni Gaiacini selecti, ℥. j. S. Herbar. Saluiæ: pilosellæ: vermicularis, ana M. j. plantaginis: nasturtij aquatici: folior. myrti, ana M. v. flor. rosar. rubrar. P. iv. Fiat decoctio in vini rubri & aquæ fontanæ aut chalybeatæ, ana ℔. j. S. ad casum medietatis. Colato admisce, mellis rosati: rob nucum, ana ℥. j. S. Oxelæi, seu olei vitrioli, ℈. v. Fiat gargarismus. Idem præ reliquis pollicetur nobilissima hæc aqua: quæ habet, folior. myrti, ℥. v. Saluiæ, ʒ. ij. flor. pruni siluestris: consolidæ regalis: rosar. rubrar. ana ʒ. iij. radic. fragariæ, ʒ. v. radic. orchidis: (hæc Dioscor. lib. 3. cap. 133. in ore excedentibus & maleficis vlceribus medetur:) Basilici, ana ʒ. ij. S. myrrhæ

rubræ:

rubræ: bdellij, ana ʒ.j. maſtiches: cortic. thuris: piſtaciorum, ana ʒ.j. S. Sanguinis Draconis: nucis myriſticæ, ana ʒ. ij. Laccæ præparatæ, ʒ. j. S. raſuræ cornu cerui: eboris; ſantali citrini & rubei, ana ʒ.j. Inciſa infundantur in aquæ ex nodis roſarum immaturarum: aquæ item myrtillorum, aut chalybeatæ, aut vermicularis, ana ℔. j. S. vini cytoniorum: aquæ nucum & calamenthi, ana ℔. j. Deſtillentur. Item ℞. Saccari, ℔.j. Salis, ℔. v. aluminis, quadrātem. Deſtilla lege artis aquam: qua vel laua dentes, vel lana impoſita perfrica. Huic par eſt, quæ ℞. Salis Ammoniaci & gemmæ, ana quadrantem: aluminis ſaccarini, ſeſcuntiam: Salis communis, vnciam. Trita deſtillentur in alembico vitreo. Extracto liquore dentes fricentur: deinde abluatur os modico vino albo. His aquis ſordes etiā in dentibus ſtabulantes deterguntur: læuorque & candor ac firmitas dentibus reſtituitur. Quidam in Scorbuto hac collutione feliciter vſus eſt. ℞. Aq. vermicularis: chelidoniæ minoris: plantaginis: aceti ſcillini: myrrhæ rubeæ: albi Græci: nucis moſchatæ conditæ: oxymellis ſimplicis, æquales partes. Bulliant ſex feruoribus. Colentur bis per duplicem pannum. Cui probatur puluis, accipiat Boli Armeni pręparati: ſanguinis Draconis: corallorum rubrorum præparator. ana ʒ.j. maſtiches: margaritarum ſelectarum: Sem. plantaginis, ana ℈. iv. cinnam. electi, ʒ. j. myrrhæ: radic. iridis Florent. ana ʒ. j. S. Fiat omnium puluis ſubtiliſſimus: applicetur gingiuis & dentibus cum pauco vino electo, colluendo poſtea os. vel ℞. Tartari p̄parati, aqua roſata aliquoties abluti, exſiccatiq;, ʒ. j. Pumicis albi, ʒ.j.S. aluminis ſaccarini: maſtiches: corallorū albo-

alborum & rubeorum præparat. myrrhæ: xyloaloes; cyperi rotundi, ana ℈.v. Salis communis tosti, ʒ.j g̃.x. Cornu Subulonis præparati, ʒ.j. S. Ossis sepiæ, ʒ.v. radic. iridis Florent. ʒ.ij. flor. rosar. rubrar. & albar. ana ʒ.j. Margaritar. præparat. ʒ.v. Carneoli præparati, ʒ.j. Fiat puluis præstantissimus ad dentes roborandos & dealbandos: cuius pars cum melle rosato quoque commisceri potest, dentesque eo illiniri. Ronsseus hoc linimentum conficit. ℞. Succorum telephij: Britannicæ aut tormentillæ, ana ℥.ij. mellis optimi, ℥.iij. aluminis, ℥.7. Cadmiæ, ℈.iv. Lemnij sigilli, aut terræ sigillatæ Silesię, ℈.ij. Conterenda conterantur, & ex vsu artis in modum eclegmatis crassioris consistentiæ decoquantur. Earundem virium sunt, oleum è myrrha in ouis resolutum, & destillatum: olea item alia Spagirica ex ligno Gaiaco, sulfure, vitriolo, ferro, & liquor corallorum rubeorum. Si venæ sub lingua, aut in labiis extuberent, eædem post vniuersalem purgationem commode tunduntur. Sordes instar tartari interstitio dentium adnascentes, vt & luxuriãs caro, si superioribus remediis, acrioribus præsertim, non cædant, scalpro aut volsella & forficula demantur: & reliquiæ vnguento Ægyptiaco inungantur, aut oleis destillatis, vitrioli inprimis, aquaue forti coherceantur. Vierus in extrema gingiuarum putredine, malignis item vlceribus, hanc aquam tanquam eximiam laudat, si spongiola eo liquore imbuta confricentur gingiuæ. ℞. Arsenici sublimati, ℈.ij. aluminis vsti, ʒ.ij. S. in puluerem contusa simul bulliant in aquæ plantaginis ℔.j. ad horam in vase duplici. Caute tamen hac vtendum. His remediis non duntaxat

corruptio

corruptio gingiuarum abolebitur funditus, ſed etiam dentes ſtabilientur, priſtinum item candorem acquirent, & turpis oris putor auerruncabitur. Qui fœtor, quia magnam creat moleſtiam, ſi obſtinate reluctetur, orbiculi ſub lingua retinendi tales fingantur. ℞. Trientem ſaccari albiſſimi: radic. iridis odoriferæ, ʒ.j. Moſchi, g̃.vj. muccaginis gummi tragacanthi cum aqua roſacea extractæ, q. v. fiant orbiculi. Si autem hi non reſpondeant exſpectationi, liquor moſchi ſubſtituendus, qui non ſolum remedium eſt efficax in vertigine, cerebri ac memoriæ debilitate, ſed etiam fragrantiſſimum odorem habet. Moſcho in vitro forti ſuperfunde ſpiritum vini ad trium quatuorue digitorum exſtantiam: obtura vitrum Hermetice, paniſque medullæ cum pinſitur, incluſum, furno immitte, quem, cum ſat excoctus eſt, exime, & conſcinde, vt vitrum liberes: ex quo quicquid ſolutum eſt per infundibulum, cui nonnihil inſit bombacis ob pilos moſcho admixtos, in aliud vitrum transfunde: hinc in balneo alcohol vini euoca, donec in fundo extractio moſchi remaneat: cuius g̃. iv. vel v. dantur in vino Maluatico. Earundem virium ſunt olea nucis myriſticæ, macis, maioranæ, roriſmarini, caryophillorum & cinnamomi deſtillata.

Vnum παθογνωμονικὸν Scorbuti ſymptoma tractauimus: occurrit alterũ lituræ nempe crurum. Hæ ſi vſu ſudoriferorũ, Spagiricorum præſertim, non euaneſcent, balneo ſeu vaporatiuo & fomentatione exigere diſſipareque debemus malos humores in habitu corporis contentos, & maculas extergere. ℞. Flor. chamomillæ: meliloti citrinæ: maluæ: bis maluæ: anethi: bliti: boraginis: fumariæ: cimarum

lupuli: serpilli, ana M. ij. Fiat balneum vel vaporatio: post quam partes corporis, in quibus sunt petechię, abstergantur sapone veneto, dissoluto in lixiuio: postea iterũ smegma à partib⁹ cum superiore balneo abluatur. Vierus addit baccas iuniperi cõtusas, sisymbrium, nasturtium, cochleariam, arthemisiam, melissam, absinthium, rorẽ marinum, maioranam, thymum, hyssopum. Ex his calidis & spõgias exprimit, inferioribusq; tibiarum partibus applicat, ad maculas sub cute delitescentes eliciendas, vt efflorescant. Idem hoc linimento vtitur. ℞. Butyri Maialis, ℥. ij. S. baccar. iuniperi contusar. ʒ. vj. vini puri, ℥. ij. Coque in fictili ad vini consumptionem: expressione vehementi colato: vngantur crura mane & vesperi.

Nunc aliis quoque symptomatibus prospiciendũ. Pro liene & sinistro sumine adornetur hæc fomentatio. ℞. Herbar. maluæ: bismaluæ: parietarię: brancæ vrsinæ: cuscutæ: scolopendrij: squinanthi: cetarach: cimarum lupuli: absinthij, ana M. v. rutę, M. j. folior. fraxini, M. j. S. Sem. agni casti, ℥. v. fœniculi: fraxini, ana ʒ. ij. carui, ʒ. ij. S. radic. capparum, ʒ. ij. enulæ Campanæ, ℥. j. S. cortic. radic. tamarisci & fraxini, ana ℥. j. incidantur herbæ & radices: contundantur parum: infundantur per noctem in ℔. viij. aquæ coctæ, colatæque, & in ℔. j. S. vini albi non adstringentis. Mane bulliant ad casum tertiæ partis. Colentur cum expressione. Foueatur hoc latus & hypochondrium sinistrũ cum spongia. Peracta fomentatione dicti loci vngantur sequenti linimento. ℞. oleor. liliorum alborum: amygdalar. dulcium: enulati: de capparibus, ana ℥. j. S. Sem. cumini: marathri, ana ℈. j. agni casti, ℈. ij. ra-

dic.

dic. capparum, ʒ.j. filicis, ℈.ij S. fœniculi, ʒ.v. Incidantur: contundantur grosso modo: adde aquæ polypodij trientem. Aceti vini albi, ℥.j. Stent simul omnia in infusione, ne quid exspiret, per noctem. Mane bulliant ad cōsumptionem aquositatis. Colentur cum expressione forti: quibus adde bdelij in aceto dissoluti, colati, depuratiq;, ℥.j. & cũ cera alba modica fiat linimentum. Si malum contumax est. ℞. Gummi Ammoniaci, ℥.j. S. bdellij mollis, ℥.j. Comminuta hæc dissoluantur in aceto, & percolentur: oleor. de absinthio & capparibus, ana ℥.v. rutacei, ʒ.iij. enulæ campanæ, ʒ.ij. medullæ crurum boum insolutæ, pellucidæ, ℥.v. Spicæ Indicæ & Celticæ, ana ʒ.j. Sem. rutæ, ℈.j. cumini, ℈.ij. costi amari; centaurei minoris: gentianæ, ana ʒ.v. Scolopendrij, ℈.j. Sem. capparum, ʒ.j. Puluerisata cum oleis incorporentur: & cum cera formetur magdaleon: de quo extendatur supra alutam formam lienis repræsentantem: tegatur sindone. Huc referimus oleum ex ligno fraxini per descensum destillatum. Quæ omnia prosperrime succedent, si guttulas aliquot olei Solis, aut auri potabilis exhibeamus Scorbutico. Hoc quãuis egregie vires vacillantes in morbis desperatis restauret: quia tamen genuinã eius ꝑparationem in Orchestra collocati nõ callẽt, cachianis omnes hos ceu Pythionicos ꝓsequuntur: qui auri soluti vsum in medicinã introducere tentãt. Arnoldus Villanouanus lib. de vino scribit: Vinũ exstinctionis auri habet virtutẽ confortãdi cor: & desiccat superfluitates omniũ aliarũ fecũ à sanguine: & substantiã cordis & spiritus sua claritate illuminare potest, sua soliditate confortare, & suo tẽperamento tẽperare & præseruare, san-

guinem purgare, & ſua grauitate ſuperfluitates ad partes expulſionum inclinare: & iuuentutem conſeruare. Virtutes partium principalium in ſuis actionibus conſeruat, & temperie ſoluit vrinam denegatam: ſanat epilepticos, & inſenſatos, & confert leproſis. Similiter medici auri ſegmēta ac bracteolas carnibus elixis admiſcere, atque huius liquamen, ad vires & vitales ſpiritus erigendos, valetudinariis exhibere ſolent: vt macie tabeque confectis, aut immoderata Venere exhauſtis ac delaſſatis. Alij in matratium coniiciunt capum minutatim conciſum, aut vitulinas carnes, cum luteo ouorum: hiſque lacte bubulo perfuſis admiſcent auri coacti, ſiue obryzi ſegmenta, aut torquem aureum: addunt præterea radices & herbas efficaciſſimas, morbo accommodatas, cum dactylis, vuis paſſis & mitibus pomis: & liquorem ſtillicidio extrahunt pretioſum. Sic obſeruamus etiam folia vel puluerem impalpabilē auri, aqua mellis prægnantem, & in ventre equi digeſtum, ſi ex eo cum palea triticea & melle paretur amalgama, & gallinæ pro cibo exhibeatur, hanc virtutem habere: vt non ſolum ſaginæ ritu pinguedinem, ſed ruffum etiam & quaſi aureum colorem gallinę conciliet: quæ ſi cocta detur ægris in tabe, hectica febre: ac deliquio animi ſopitis, validiſſime eos & nutrit & roborat. Eodem modo auri lamellas hodie miſcemus electuariis, tragematibus & epithemetibus cordialibus: immo panes Marſicos, morſulos & rotulas iis velamus: vt inde firmentur debiliores. Quin ſolum auri Vngarici raſuram in plurimis morbis, maxime vero comitiali, exhibemus magno cum ſucceſſu in deſtillatione quoq; elixirium & aqua-

rum vitæ aurearum, aureos Vngariæ cataphractos equites, aurique folia imponimus cucurbitæ, vt ſic animentur eſſentiæ. Si tanta vis eſt auri crudi: an non plus de liquore Solis ſynceriore, virture ignis reſoluti, ſperandum? Eius præparandi modi proſtant plurimi: quorum plerique ideo ſuſpecti ſunt: quod corroſionem aurum potabile retineat: aut minus artificioſe ſolutio inſtituatur. Quidam folia auri in ſucco limonum perſpicuo macerant: poſt in cineribus deſtillant: abiecto phlegmate, in fundo remanet ſubſtantia butyro recenti æqualis: quæ cum vino Cretico & ſucco mali medici diſſoluta, aurei coloris & acetoſa fit: & ob inſignes, quibus pollet, virtutes, auri potabilis nomine dignisſima cenſetur. Alij in vini alcool ſine deſtillatione macerant: exhibentque cum Maluatico. Alij ſuccum limonum deſtillant prius, quam aquam vitæ addant: & demum rurſus eliciunt ſpiritum igne mediocri. Alij idem aceto cum euphorbio deſtillato tentant. Alij ſuccum limonum cum fauo ac ſale, ad ſpumæ abſumptionē feruere ſinunt, hinc deſtillāt: feces luculentiſſima flamma calcinant: tritis mannam ac ſaccarum Candiæ addunt, & cum extracto liquore ac aqua regia, ſale fecularū vini albidarum exaſperata, denuo, moderato primum, mox auctiore igne deſtillant: hac aqua calcem auri ſoluunt. Alij ſtillatitiam vinam, alij ſuccum berberum atque chelidonię cum ſpiritu vini deſtillatum laudant. Alij per ſpiritum ſalis gemmę, vel ſalis tartarei, vel vitrioli, vel aquam ſalis antimonij ſolutionem Solis moliuntur. Alij cauernæ citrei mali indunt lamellas auri: ſuccū pomi expreſſum foliis iiſdē adfundunt: malum ſuo operculo operiunt:

ſicque tamdiu loco calido adſeruant: donec aurum in oleum reſoluatur: à quo ſuccũ ſeparant, oleum vero cum ſpiritu vini alcoliſato commiſcẽt, quem poſt aliquoties ab oleo ſecernunt: eſtq; opus probe abſolutum: quod ita experiuntur, ſi oleũ crudo carnis fruſtulo illinatur, ſiquidẽ id non deauretur, ſed ad ꝓfundas partes penetrauerit, vt auri ſpecies nuſpiam appareat. Hoc oleum omnibus aliis ob facultatem inſignem præferunt. Nonnulli auro Vngarico, vel coronatis, ſpiritu ſalis, aut lẽto cinerum igne, aut apricatione, omnem ruborem extrahunt: quẽ à corpore albo diligenter per filtrũ diſcriminant: ex extracto liquorẽ eliciũt: hinc aqua dulci in calidis cineribus acrimoniã aquæ ſalis, & amarorẽ metallicum eluũt: aurum ſpiritu vini per quatuordecim dies macerant: quo tandem euocato, vel oleum, vel puluis puriſſimus, ſi deſtillando perrexerit, reperitur. Fierauantus Capric. lib. 2. cap. 22. peculiarem proponit modum conficiendi liquorem diuinum: qui eſt quaſi altera anima, immo vita ipſa noſtra. Gallinam mundatam, in multis partibus, præcipue carnoſis, aperit ferro: has auro infarcit, vt penitus cooperiatur. Hinc in locum calidum per dies triginta ſex ponit, vt aurũ ſoluatur in aquam: (Plin. enim in 29. ita ſcribit: auro liqueſcenti ſi gallinæ carnes admiſceantur, ab illis rapi: itaque auri venenum eſſe.) poſt carnem exacte lauat aqua mellis rectificata, vt nihil de auro relinquatur. Tum aquam loturę carnis gallinę permiſcet cum aqua vitæ, & cuilibet librę drachmam addit ſalis Armeniaci: quæ omnia per tres menſes fimi digerit calore: ſic tamẽ, vt quolibet menſe aquã clariorem è bocia effũdat, relictis fecibus: quib⁹ elapſo tẽpore adfundit:

dit aquam vitæ, & deſtillat in arena: extractũ commiſcet cum aqua clara: reliquum rurſus in balneo Mariæ extrahit: tum in fimum reponit diebus viginti quinque: & fit aurum potabile, quod ſua mirifica facultate mortuos quaſi reſuſcitare ait Fierauantus: ſi cum Iulepo violaceo, aut alio liquore propinetur. Præſtans eſt & hæc ratio nobilẽ auri liquorem conficiendi: ſi ex laminis auri, melle & ſale in porphyritide tabula, paretur calx Solis, quæ abluatur aqua calida. Hinc aqua ſaccari Candi prius calcinati, cum ſpiritu vini extracta, & liquori deſtillato ex malis Punicis coniuncta, ſecundo eliciatur per balneum: in cuius aquæ partem coniiciatur ambra: quæ digeſta in putrefactione deſtilletur, & reliquæ aquæ commiſceatur. In hanc immergitur puluis ſolaris. Tandem exit liquor: qui vinum ſanguineo inficit colore, & fragrantiſſimum ſpirat odorem. Hi auri liquores in vſu medico non ſunt ſuſpecti: ac, licet Paracelſitæ acrimoniam retundere conentur, circulatione cum vini alcoole & crebris cohobationibus, figitur tamen aurum, & in oleoſitatum metallicarum claſſem transmigrat. Aurum vero potabile miro cum ſucceſſu propinant medici in omnibus caſibus, qui roboratione indigẽt, morbis contagioſis & epidemicis, febribus, veneno, hydrargyroſi, ſudore Britannico, melancholia, cordis palpitatione, hepatis & lienis adfectibus, vteri ſuffocatione, elephantiaſi, lue venerea, epilepſia, apoplexia, lipothymia, partu difficili, & ſimilibus. Nam cunctos morbos ſonticos depellit: calorẽ natiuũ vnice auget: ſenectutẽ remoratur: omnes corporis partes illęſas tuetur, dolores cõſopit: phthiſi & atrophia conſumtis

mirifice ſubuenit: ſermonem reſtituit deperditum: & alia pene ἀδύνατα præſtat. Vnde & eius vſus in Scorbuticis ſymptomatibus præſtantiſſimus eſt.

Ventriculi præterea habenda ratio. Libram granorum iuniperi coque in aqua horis duabus. Cola per cribrum tenue, vt amoueantur cortices: hinc adde tantundem ſaccari, & coque ad maiorem ſpiſſitudinem, admiſcendo zinziberis, ℥.j. calami aromatici: macis, ana ʒ. ij. Cubebarum, ʒ. j. Pone ad Solem vitro clauſo per menſem. Vel: ℞. Cinnam. craſſiuſcule inciſi, ℥.v. Caryophillor. ʒ.j. S. ſpecier. aromatici caryophillati, ʒ.j.S. Diacinnamomi: diagalangæ, ana ʒ.v. Nucis moſchatæ Luſitanæ maioris conditæ: cortic. citri conditi, ana ʒ.j. Conſeruæ flor. tunicæ, ℥.j. amygdalar. dulcium recenter excuticatarum, ℥. ij. Saccari in vino Maluatico diſſoluti, ℔.j. Fiant morſuli. Aut: ℞. Caryophillor. conditor. ʒ.ij. zinziberis Indici conditi, ℥.v. Cortic. citri conditi, ℥.ij. Nucis moſchatæ Luſitanæ conditæ ℥. j. S. conſeruæ anthos, ʒ. ij. roſarum veteris, ʒ.vj. flor. tunicæ, ℥. j. Syr. è flor. tunicæ infuſione: de mentha, ana ℥.j. S. Fiat electuarium: addendo ſpiritum vitrioli, quantum ad euidẽtem acorem ſufficit. Vel: ℞. Extracti calami aromatic, g̃.xv. olei macis deſtillati, gutt.iij. ſaccari albiſſimi in aqua citrariæ diſſoluti, ℥.iij. S. Fiant rotulæ. Earundem virium ſunt tabulæ ex extracto agallochi: vt & auri potabilis, liquoriſq; corallorum rubeorum & margaritarum guttulæ aliquot cum vino Maluatico ſumtæ: nec non eſſentia roriſmarini: & olea caryophillorum, macis, cinnamomi, piperis, nucis moſchatæ, abſinthij, ſpirituſq; maxime vitrioli. Item: ℞. Extracti radic. iridis Florent. ʒ. v. cortic. citri

conditi,

conditi, ℥.j. S. Olei nucis moſchatæ deſtillati, gutt. iij. Saccari albiſſimi in vino Maluatico diſſoluti, ℥. iij. S. Fiant morſuli. Idem præſtat hoc claretum. ℞. Vini firmi menſur. j. S. cinnamom. acuti, ʒ. vj. Nucis moſchatæ, ʒ. j. S. Macis, ℈. j. g̃. v. xyloaloes: galangæ, ana ℈. j. zinziberis albi, ʒ. ij. Sem. coriandri præpar. ʒ. iij. Croci orientalis integri, ℈. v. Saccari electi trientem. Tabular. ex extracto agallochi, vel Manus Chriſti perlatæ. ſextantem. Species incidantur & contundantur groſſo modo: circulentur in Pellicano, balnei calore per noctem: deinde poſt modicam ebullitionem filtrētur ſæpiſſime per manicam Hippocraticam, donec virtus aromatum extrahatur. Item vnice prodeſt Syr. è nuce moſchata: qui ſic paratur. Nucis myriſticæ quadrans cum ſpicæ celticæ ʒ. iij. maceratur per triduum in ℔. ij. Vini Cretenſis: poſt coquitur in diplomate paulatim (alias cryſtallos fundit:) & cum ſaccari libra conficitur Syrupus. Scutum quoque præclare opitulatur ſtomacho: quod ℞. Ladani puriſſimi, ℥. j. maſtichas, caryophillor. ana ʒ. iij. calami aromatici: galangæ: cinnam. xyloaloes, ana ℈. iv. flor. roſar. rubrar. ſpicæ Indicæ: folior. menthæ ſiccæ: cimar. abſinthij pontici, ana ʒ. ij. Sem. carui: aniſi, ana ʒ. j. myrrhæ, ℈. j. Sem. coriandri præpar. macis, ana ʒ. ij. S. Santali rubei & citrini, ana ʒ. j. ceræ, ℥. ij. reſinæ mundæ: gummi Tacamahacæ, ana ℥. j. Fiat ceratum: extendatur ſuper corium rubrum, manibus oleo nardino & pauco liquidambare probe inunctis propter malaxationem faciliorem: & huic adſpergatur portio ſpecierum ſeorſim ſeruata: tandem ſindone tegatur: fiat ſcutum. Si cardialgia, dirique ventriculi aut inteſtinorum cruciatus adfli-

gant: ad Laudani opiati grana v. vel vj. tanquam ad asylum confugiendum. Hoc medicamentum, licet diuinis polleat virtutibus, ab ineptis tamen Parachymicis, cum enormi valetudinis iactura: prostituitur, iuxta Senarium: νικᾷ γὰρ αἰεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα. Theophrasto geminum Laudanum fuisse familiare, pro explorato est: instaurans vnum, opiatum alterum. Vero consonum est de primo: quod ex metallis & aliis quamplurimis oleum per resolutionèm aut alio modo extraxerit: quod, cum morborum caussas exterminat, dolores quoque obliterat, & sic morbos sanat: cui si etiam opium iusta mensura misceatur, euadet anodynum: quo in cruciatu intolerabili, aliis auxiliis desperatis sagax vti potest. Eius quidem descriptionem Bodensteinius in libror. Paracelsicor. calce de vita lõga vt genuinam subrogauit, sine opio tamẽ, ex auro, margaritis, floribus antimonii, asphalto, croco, myrrha, aloe: cui similis etiam ista est, quæ ex vitriolo constat, mastiche, saccaro Candi, succino, oleo solis & antimonij, moscho, margaritis, atque auro potabili: verum hæc, vt adulterina, à plerisque Spagirici sacelli Hierophantis repudiatur: vt & altera ibidem allata, quæ febres expugnat, ex antimonio, saccaro Candi, aloe, ambra, croco. Cum autem hæc Laudani nomen vix mereantur, quod per se non consopiant dolores: alterum, opiatum puta, in tribu anodynorum iuste collocabitur. Huius virtutem nemo dignis laudibus ad cœlum euehere potest: si modo non, (vt hodie fieri solet:) periculosa præparatione ex anodyno reddatur ναρκωτικὸν: quod nempe stuporem & lethum inuehat: dum colorem natiuum, spiritumque exstinguendo cor-

do, corpus ſenſu priuat. Laudanum cum tinctura hyoſciami nõ laudamus. Vt vt enim omne philonium ſit impurum, ſi cum tincturis & extractis compares: non tamen tantum vulnus ſanitati infligit. Craſſarum namque eſt partium: propter quas obicis inſtar, vis ſtupefacientium non tam valide in abdita lithurgiæ humanæ penetralia irrepere poteſt, vt tinctura hyoſciami: quæ vehiculum ſubtile, & clandeſtine in omnes corporis cauernas ſeſe inſinuans nacta eſt, ſpiritum vini tenuiſſimum. Ptæterquam, quod in ſolutione hyoſciami omnes peſſuli remoti, vt balſamus alterci vel minima quantitate adſumtus, potentiſſime frigidiſſimam lethalemq; ἐνέργειαν ægro cõmunicare poſſit. Non igitur mirum, ſi nonnulli hoc Laudano accepto vltra Epimenidem dormiant: quin etiam amentes reddantur, & furioſi. Nam hyoſciamus ναρκωτικὸν eſt vehemens, adeoque δηλητήριον: vt non tantum in hominibus inſaniam, capitis vertigines, heluco perſimiles & veternum gignat: verum etiam, (vt Aelianus prodit,) paſtu illius reſoluantur apri: vnde & ſuilla faba nominatur. Iure igitur cum Plin. lib. 25. cap. 4. & Perotto Sipontino lib. 1. comm. Linguæ Latin. Epigramm. 6. temerariam hanc vocamus medicinam: cum præſertim oleum ex hyoſciami ſemine, auribus ſaltem inſtillatum, tentet mentem: & teſte Dioſcor. lib. 4. cap. 67. ferant quidam, ſi quis vlcus in craſſiore inteſtino, quod colon dicunt, habenti clyſterem ex foliis hyoſciami infuderit, inſaniam fieri. Idem animaduertit Rõdeletius, q, ne ad hos ſcopulos impingeret, c. de Colica in ſuis pilulis ad dolorẽ conſopiendũ inſignibus, ſolũ opiũ diligentiſſime cõtuſum

ſum piſtillo ferreo calido, diſſolutumque cum vino Maluatico, abſque hyoſciamo poſuit. Magna igitur circumſpectione eiuſmodi narcoticis vtendum, eaque addenda, quæ vim ſtupefacientem obtundant, principeſque partes ab omni noxa vindicent: quod in hoc anodyno chymico videre eſt: quod habet eſſentiarum ex hyoſciamo, ʒ.iij. ex papauere, ʒ.ij. ex opio, ʒ.j. ex lolio, ℈.j. ex mandragora, g̃.vij. auri potabilis, ℥.v. Liquoris corallorum, ʒ.vj. Dantur eius tantum guttæ iv. vel v. in vino generoſo. Quamuis autem & opium non procul à quarto frigidorum gradu abſit: non tamen cum hyoſciami deleteria indole conferri poteſt. Sic apud Turcas Aſiaticos, Ianniceri, quibus ſumma militiæ virtus commiſſa eſt, in Natolia ſiue Aſia minore præparant copioſum opium, quod vernacula lingua Maſslac vocant: quo in prælia ruituri, non pro ſomnolentia, ſed animoſitate comparanda vtuntur: quod cum hyoſciamo non fit. Mitigando dolori ideo remedia adhibemus: vt, dum hic ceſſat, vires eneruatæ reſpirent, quo & morbo reluctari, & curationis ſpacio ſufficere valeant. Si autem calor natiuus vacillet, corpus etiam cacochymia ſcateat: exhibita ſtupefaciente tinctura, facilime calor puſillus exſtinguentur per σβέσιν. Nec extracta calidiora, quæ in Laudano concurrunt, exceſſus noxam emendant, niſi prorſus obtundere velimus eius naturam, nimia corrigentium conuaſatione: quod in Laudano locum non habet. Quare exulet à laudato Laudano illaudata hyoſciami tinctura: cui medici felicius Philonium ſubſtituere hactenus: quod, licet non ſemper euentui reſpondeat, minus tamen, propter ſemen hyoſciami tri-

mi tritum modo, abſtruſos corporis mæandros trannare poteſt, quam eius eſſentia. At Laudanum, quo tuto vti poſſumus, neceſſario ſit opiatũ duntaxat: in quo tinctura opij Thebaici principatum obtinet, ſine ſucco vel ſemine alterci: quæ ipſe etiam Theophraſt. in ſuo ſpecifico anodyno libr. 7. Archidox. omittit: quod paratur ex opio, ſuccis malorum aurantiorum & cidoniorum, cinnamomo, caryophillis, moſcho, ambra, croco, ſucco corallorum, magiſterio perlarum & quinta eſſentia auri. Tinctura opij extrahitur à ſpeciebus Diambræ per infuſionem & depletionem. Nam adulterio non caret deſcriptio Andernaci in 2. comment. in qua à ſpeciebus tantum Diambræ, & non ab opio, (quod vel maxime deſiderabat,) fit puri, impurique ſeparatio. Hæ tincturæ corriguntur rubedine corallorum, magiſterio margaritarum, tinctura croci, ambræ, chryſeæ & moſchi, vnicornu vel lapide Bezaar orientali. Vis eius intenditur, ſi auri addatur liquor, cum oleis deſtillatis & extractis morbo partique adfectæ analogis. Hic modus parandi Laudanum eſt tutiſſimus: cui perbelle illud Homericum quadrat: quod ſit Νηπενθὲς ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Et re vera, ſi quis dextre hoc Laudano vtitur, habet Panaceam & theſaurum plus quam Attalicum, anodynum ſpecificum ad obliterandum quoſcunque cruciatus internos & externos: ad quod in acie nouaculæ quis tanquam ad ſacram ſalutis anchoram confugere poſſit: quemadmodum miram eius virtutem in venenis etiam à morſu & punctione beſtiarum, morte quoque imminente, commendat Paracelſ. lib. 1. chirurg. Magn. tract. 3. in præfat. Somnum adeo leuem,

uem non profundum ſoporem conciliat: vt vigilia ſubſequẽs nullum marcotici veſtigium relinquat. Quod Theophraſt.quoq; 7.Archidox.in ſpecifico anodyno requirit: notandũ,(inquit) vtiq; hoc loco, dormire non debere neceſſario hominem, ſed morbũ ipſum: quare ſpecificũ, quod contra morbum ſolũ ſit, componimus, & non contra plenum hominẽ. Nos vero dicimus in pleno homine mortalia fore ſomnifera, ſed in pleno morbo ſalutifera. Item: quod quieſcit, vel dormit, non peccat. Nõ intelligitur naturaliter aut iuxta naturã, ſed paroxyſmus dormit, quo fit, vt impediatur eius operatio, frangaturq;. Quod de philonio non ſperari poſſe, experiũtur illi: qui in inopia Laudani eo vti coguntur in colica, lũbagine, vigiliis, deliriis, cardialgia, febrium inquietudine, vomitu, pleuritide, morbis articulorum, torminibus, calculo, vteri ſuffocatione, morbo Herculeo, & aliis quamplurimis adfectibus: quos omnes Laudanum feliciſſime ſedat.

Ad σκελετύρβην ſiue ambulandi impotentiam ob mollitiem nimiam, referente Langio, lib. 2. epiſt. 13. ſalutare eſt in columbario verſari. Et adfirmat Gal. 10. de ſimpl. medic. facul. quod ſtercus columbinum ſit medicamentum excalfaciens: quo in inueteratis coxẽdicum, laterum, ſcapularũ, ceruicis, lumborum, & artuum doloribus, quando videlicet in articulis eorum nondũ conſtiterint tophi ſiue pori, eſt vſus. Partes iſtæ etiam fomẽtari poſſunt lixiuio, in quo ſulphur decoctũ ſit. Aut ℞. radic. ebuli & acori, ana ℥.ij. ſulfuris ignem non experti, ℥. iv. Salis, ℥.iij. aluminis, ℥.j. Herbar. betonicæ, ſampſuchi: rutæ: ſaluiæ: ſummitat. lauri, ana M.ij. Flor. chamæmeli: meliloti: roriſmarini: ſtęchadis, ana P.

j. fur-

j. furfurum, P. ij. Caryophillor. contusorum, ℥. v. Fiat decoctio in vini albi & lixiuij æquis partibus: & ex decocto lotio crurum. Post fotum inungendę partes hoc. ℞. Trium piperũ: pyrethri, ana ʒ. j. aristolochiæ rotundæ: herbæ abrotani: flor. stæchadis Arabicæ: sandarachæ, ana ʒ. v. oleor. costini: de euphorbio, ana ℥. j. aquæ salis vel maris, ℥. iij. Bulliant ad aquæ consumtionem. Colaturæ adde pulueris lumbricorum terrestrium, q. v. & cum pauca cera fiat vnguentũ. Simul tamen exhibendus est Syrupus Sambucinus: qui ℞. succi baccarum Sambuci maturarum ℔. iij. saccari albi, ℔. ij. Coquitur ad Syrupi consistentiam: & aromata hæc petia munda ligata, suspenduntur: cinnamomi: caryophillor. ana ʒ. j. santali citrini & rubei, ana ʒ. v. Mirũ cachexiæ & aquæ intercuti cõducit, dum potẽter per aluum & vrinam serum educit: hepatis insuper & splenis obstructiones recludit. Quanquã hic thermæ omnibus aliis remediis palmã præripiant. Præstantissimum etiam est in hoc casu Galbanetũ siue Balsamus de galbano. ℞. Galbani bessem. Gummi Elemi trientem: hederę quadrantem. Minutim trita misceãtur: infundantur per decendiũ in spiritu vini vel aceto, bene obturato vase: hinc in ampullam incuruatã lutatam indantur, & destillentur in cineribus, lẽto primum igne, ne efferuescat, postea fortiore paulatim. Aquam & oleum, quæ destillauerint, misce cum olei laurini, ℥. j. terebinthinæ, ℔. j. Iterum exige oleum & aquam: demum separa balsamum ab aqua: quo inungatur spina dorsualis, iuncturæque manuum ac pedum. Vel: ℞. Gummi Elemi: opopanacis, ana trientem. Myrrhæ electæ: thuris, ana sextantem Mastiches:

Lauda-

Laudani, ana ſeſcuncem. Caſtorei: aloes, ana ℨ.j. Terebinthinæ claræ, ℔. j. ol. amygdalar. dulcium, trientem. ol. baccarum lauri, quadrantē, olei communis, ℔. j. S. Terenda trita reliquis miſceantur, circulenturq; per triduum: poſt deſtillentur. Hinc ℞. Galbani: ſtyracis calamitæ: radic. Dictamni: conſolidæ maioris, ana ℥. v. Nucis moſchatæ: cubebarum, ana ℨ. ij. S. Contuſa infundantur per quatriduum in ſpiritus vini, ℔. j. S. deinde ſuperiori deſtillationi iunge, ac iterum deſtilla. Præſtans & Balſamus ad Scelotyrben. Nec ſat hic laudari poteſt hoc Elixyr Balſami. ℞. Oleor. tartari, laterum, liliorum conuallium, caſtorei, ſuccini, ana ſemunciam. oleor. chamomelini, lumbricorum, ranarum, ana ℥. j. ol. ſpicæ, ℈. j. ol. Iuniperi, ℨ. j. Calcis acis aluminis, ℨ. ij. Adipum humanæ, vulpis, caſtoris, cum verbena recente tuſorum & extractorum, ana ℥. ij. Miſce. Item oleum ex acinis vuarum, ſi hi combuſti per alembicum deſtillentur, donec exeat oleum fœtidum nigrum, & phlegma: quod rectificetur quater per retortam humilem. Idem præſtat oleum ex ſemine ebuli cocto expreſſoque per prælium: aut, ſi ebulus recens contundatur deſtilleturque per alembicum, cuius aqua toties reducatur ſuper herbas: dum oleum fiat: quo iuncturæ inungendæ. Iiſdem oleis & tumor œdematoſus exterminatur: Si præſertim in lixiuio diſſoluatur ſalis manipulus, & coquantur cum eo ſummitat. ſambuci, vel ebuli, vel corticum eorundem, M. ij. veſperi vaporentur pedes: & eis obtendantur petiæ triplicatæ, inſuccatæque illo liquore. Petiis his linteum craſſum inducatur denſa obuolutione, ad retinendum diutius petiarum calorem. Efficaciſ-

ſime quoque tumores crurum ſedamus, ſi accipiamus aluminis & ſalis, ana ℔.v. Herbar. ebuli, ſambuci, thymelææ, ſoldanellæ, caulium rubeorum, ana M.j. Folior. abſin: hij calamenthi, eupatorij, origani, pulegij, maioranæ, rutæ, quercus, lentiſci, rubi & cupreſſi, ana M.v. flor. chamæm. & meleloti, ana P. ij. Sem. anethi, marathi, aniſi, cumini, conquaſſatorum, ana ℥. j. Nucum cupreſſi, gallarum, contritarum, ana paria iv. Fiat decoctio in lixiuio facto ex cineribus quercus, aut ſtipitum caulium, & cum ſpongiis infuſis expreſſiſque foueatur pars tumida. Vierus neruos, ligamenta & tendones, ſi huius materiæ grauis copiam imbiberint, rigidioraque & ad motum inepta fuerint reddita, poſt fotum, vel etiam abſque eo inungit adipe anſerino, vel anatino, vel taxi pinguedine, aut ſimili. In tumoribus vero durioribus admouet cataplaſma ex lacte, cui conſolida maior fuerit incocta, abſinthium, ſiue etiam chelidonium maius & minus, radices bryoniæ, medulla panis, farina fabarum vel hordeacea quoque, vel lupinorum, pro adfectæ partis conſtitutione caloreue.

Reſtant vlcera, quæ quandoque, ſed raro, in Scorbuticorum tibiis erumpunt. In hac paleſtra ſtrenue ſudauit Ronſſeus: qui cap.9. omnes curandi indicationes ad amuſſim oſtendit. Nos vſui ſudoriferorum, maxime autem vino è floribus antimonij, eiuſdemque ſanguini, vt & Turbith minerale, reliquis item Spagiricis liquoribus, hic palmam tribuimus. His quippe non ſolum exſiccatio inundantis humoris, qui vlcus fouet, ſed etiam conglutinatio perficitur: quibus, ſi iungantur herbæ vulnerariæ, vt pyrola, Nicotiana, alchimilla,

consolida Sarracenica, cochlearia, sanicula & aliæ, felicius opus procedet. Balsamus hic non satis laudibus extolli potest in contumacibus eiusmodi vlceribus pro topico. ℞. Radic. consolidæ maioris & althea recentium ana bessem. Lumbricor. terrestrium. Vino Maluatico lotorum dextantem. Herbar. Nicotianæ siue Peti Brasilianorum: saniculæ: consolidæ regalis: veronicæ: alchimillæ: ophioglossi: chelidoniæ: plantaginis, singularum M. ij. agrimoniæ: persicariæ: centaurij maioris, ana M. j. Flor. hyperici, M. j. S. Flor. centaurij minoris: chamemæli, ana M. j. Incisa & contusa circulentur, Pellicano Hermetice ferruminato inclusa, in ℔. ij. olei vetustissimi, & ℔. j. terebinthinæ abietinæ, per tempus trimestre. Postea destilla per retortam lento igne. In destillatione adde tegularum, ℥. xx. ℞. huius destillati, ℔. j. S. Vernicis, ℥. vj. axungiæ humanæ, quincuncem: axungiæ thymalli piscis, trientem. Mumiæ communis contritæ, sextantem. Mastiches: myrrhæ: aloes: thuris: styracis liquidi, ana sescuncem. Destillentur adhuc semel, cum laterum in puluerem redactorum, ℔. j. Postea adde oleor. petrælei, è terebinthina, & granis iuniperi, ana ʒ. iij. puluer. æruginis, ℥ j. Fiat balsamus artificialis viridis. Idem efficit hoc. ℞. Terebinthinæ, ℥. j. thuris, ℥. ij. aloes: mastiches: caryophillor. galangæ, cinnamom. croci: nucis moschatæ: cubebar. ana ℥. j. Aquæ hordei, ℥. vj. destillentur. Detersio porro istorum vlcerum, inprimis hac iniectione perficitur. ℞. Ligni sancti subtilissime puluerisati, & corticis eiusdem, ana ℥. ij. Herbar. Nicotianæ, M. ij. aristo-

lochiæ longæ, centaurij minoris, absinthij, equiseti, agrimoniæ, saniculæ, folior. myrti, Pimpinellæ & consolidæ maioris, ana M. j. Corticis thuris, myrrhæ, sarcocollæ, ana ℥. v. Vini rubri odoriferi, ℔. iij. Mellis despumati, ℥. iv. decoquantur: ex cuius colatura fiat iniectio intra vlcus, addendo aquæ vitæ electæ, ℥. j. pro qualibet iniectionis vice. Aut, si priori decocto addantur aquæ vitæ, ℔. ij. & in alembico vitreo in balneo Mariæ destillentur, mirabilis liquor euadit ad vlcera sordida & caua detergenda, glutinandaque. Hoc etiam sequenti obtinemus, quod habet succi apij, ℔. v. mellis electi, ℥. iv. farinæ hordei, ℥. ij. farinæ orobi, ℥. v. myrrhæ electæ, ʒ. ij. therebinth. ℥. j. S. Decoquantur omnia simul: fiat vnguentum, quo licinia imbuantur, vlcerumque cauitatibus indantur. Huc referatur etiam Balsamus, qui habet, olei Martis & ceris, ana ℥. v. Balsami aloes: Butyri arsenici, ana ℥. j. Balsamor. sulphuris & de mumia, singulorum didrachmam. Sanguinis Symphyti, succi vel Balsami Nicotianæ, ana ʒ. iij. Cum balsamo ceræ spisso redigantur ad formam linimenti: quod in ipsa vlcera instilletur. Idem præstat vnguentum & Balsamus de Nicotiana vel Sabaco solus. Easdem dotes habet oleum antimonij rubicundum, vt describitur à Paracels. lib. 1. chirurg. Magn. tract. 2. cap. 9. item æris: maxime autem plumbi: cum Sal Saturni album in puluerem læuigatum, in retorta luculentissimo igne destillatur, donec omnes spiritus exierint, deinde aqua ab oleo per balneũ separatur; vlcera q̃ppe deplorata intra paucos

dies ſanat, & in Scelotyrbe ſacra eſt anchora. Iiſdem viribus prĕſtat oleum tartari, quod eſt ſeparationem ſpiritus, aureo colore reperitur. Paracelſ. lib. 10. de tumor. & vlcerib. Gallic. Item emplaſtrum Oppodeltoch Paracelſi deſcriptum libr. 6. chirurg. part. 3. Oleum arſenici, quamuis in conſolitando ſit mirabile, vt teſtatur Paracelſ. libr. 5. chirurg. magn. partic. 3. quia tamen nonnunquam vlcera humida humidiora reddit, non penitus in Scorbuto probamus: niſi ex ſententia Theophraſti per ſalem vrinæ vel nitri figatur, hinc ſoluatur, ſublimetur ac in aquam pinguem reducatur. Per hoc arſenici Magiſterium cuiuſuis generis corrodentia & caua vlcera, fiſtulæque curantur: vt ait lib. 10. de tumor. & vlcerib. Gallic. Nonnulli hoc oleum aureum cum oleo Tartari, vel aqua vitæ, vel aliis vnguentis conſolidantibus miſcent, & feliciſſime exterminant vlcera cacoethea. Oleum Mercurij propter dentes vacillantes non ſat tutum. Contra ceu ſummum arcanum exoſculamur ſaccarum Saturni: cum aquæ Regis & ſalis Antimoniaci contriti, iniiciuntur plumbi lamellæ, malleo extenſæ: vnde ſal fit albiſſimus, dulciſſimuſque. Effuſa aqua ex cucurbita, ſal reſoluitur in aqua calida: toties euaporat, donec abierit omnis acredo: ſal in mortario porphyrio tritus ſoluitur in fimo vel balneo Mariæ. Abſit autem lues venerea. Hiſce cancellis includimus oleum ex ſtercore humano: cum primũ deſtillatur phlegma, poſt oleum: deinde in balneo corrigitur, ne putore offundat. Summe conſolidat. Ex eodem borboro excellens ſecretum pro membris atrophia conſumtis in Scorbuto fit: ſi ſtercus humanum loco tepido aliquamdiu

diu digeratur, emergunt vermiculi longi: qui volutati in arena, omnem exuunt fœtorem & impuritatem: hi ſpiritu vini immacerati in oleum ſoluuntur. Alumen item calcinatur ad vniuerſæ humiditatis profligationem: hinc ſoluitur in aceto, clareſit ac ad aceti euaporationem coquitur: demum tamdiu igni committitur, donec allbeſcat. Melli mixtum vdis fluentibuſque vlceribus, putridæ item flaccidæqueſcarni in Scorbuto egregie ſubuenit. In vlceribus vero, quæ κακοήθειαν ſapiunt, & tritis remediis ob perpetuum madorem tergiuerſantur, hæc lotio ſibi magnam vendicat laudem: quæ habet ſtibij, tartari capitis mortui ex chryſulca, ana ℔. iv. Pulueriſata liqua igne reuerberij in iv. denſis lebetibus, ſic tamen, vt ſenſum vnum cochlear poſt alterum iniicias, vaſque claudas: hocque fuſo aliud cochlear indas, donec toti fuſioni cataſtrophen impoſueris. Hinc materiam in ſuperficie rubeam contunde: quod vero in fundo vaſis reſidet album, abiice. Poſt rubicundo pulueri affunde aquæ menſuras xij. coque per horam: hinc in pelluuium coniice, cui ſuperponatur podium, in quo Scorbuticus pedes collocet, vt vapore aquæ ſudent, non tamen immergantur. Vas ſit vndiquaque ſtipatum, ne vapor exeat. Ne autem liquor refrigeſcat, latores igniti iniciendi ſunt: calor quippe requiritur conſtans. Lauet ſic quotidie per duas aut tres horas, pro virium tolerantia, donec vlcera vel tumores durant. Si crura foraminibus pertuſa ſunt, ſume lythargirij libram. Salis: ariſtolochiæ rotundæ veræ, ana ſextantem. Pulueriſatis adde aceti aquæque ſingulorum menſuram dimidiam: coque per horam: quadruplicatum pan-

num madefac exprime parum, suræ cicumliga, &, cum balneum intrat, remoue, post balneum vero renoua. Si vero inflammatio vlcerum pedissequa est, oleo litu vel emplastro refrigerante locus muniendus, & tum demum pannus superponendus. Antequam sudatorium adaptat, haustum de hoc sumat. ℞. Herbar. fumariæ, M. ij. cichoreæ: chamædrys, ana M. j. centaurij, ℥ j. Polypod. sescuncem. Melissæ, ℥. ij fol. sennæ electæ. ℥. j. coq. in 2. mensuris aquę ad medietatis casum. Corpus tamen prius præparetur concinni euacuatione. Si morbus iam radices egit, ante prandium & cœnam duabus horis haustum scriptum bibat: vitæque calida salsaque esculenta. Mira huius medicinæ est operatio, sic, vt nō solum sanguinem mundificet, sed etiam vlcera contumacia glutinet, quæ vsum ligni Gaiacini aspernantur: alioquin remedium insulsis nostris fornacatoribus ignotum. Nonnulli cauteriis potentialibus vtuntur maximo cum successu: quandoquidem nostri ferrum candens exsecrātur: quod in hydropicis adprobauit Hipp. lib. 6. aphor. 27. Galenus autem punctionem παρακέντησιν vstioni prætulit. Monemus tamen, vt accurata diligentia eiusmodi fonticuli in Scorbuticis tractentur, alias facilime vlcera ob seri adfluxum & cruciatum carnificinum gangrænam sapient.

Penicillo adumbrauimus, quid faciendum censeamus in vlcere Scorbutico; reliqua chirurgi in Theophrasti aliorumque libris exercitati industriæ demandantes: qui omnibus circumstantiis exacte ventilatis, recensitis medicamentis nunc his, nunc illis dextre vti poterit. Verum in portu tandem cum post tot pererratas Scorbuti Syrtes naui-

nauigemus, vela lembi inuoluamus. Ah Ioua, qui, iuxta Psalmum 145. præsens ades omnibus te inuocantibus, omnibus qui te fidenter inuocant: qui voluntatem facis eorum, qui te reuerentur, eosque quiritantes exaudiens conseruas: qui tueris omnes tui amantes: Scorbuticis opitulare in hoc ærumnarum phrontisterio.

EXERCITATIO VIII.
VICTVS SCORBVTI.



SI Theodoreto orat. 6. de prouidentia vt & Valer. Maximo lib. 2. cap. 1. bonæ valetudinis quasi quædam mater frugalitas recte statuitur: in inualetudine certe omnibus modis hæc obseruanda est. Quod vel maxime Scorbuto quadrat: quem ex victu intempestiuo scaturire, in causa externa demonstrauimus. Cum autem iuxta Cicer. 2. Officior. valetudo sustentetur sui corporis notitia, & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse solent, aut obesse, & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi caussa, & prætermittendis voluptatibus: dabimus & nos operam, vt quæ Scorbuticis in victu prosint, enodemus, cum ea, quæ iisdem in victu obsint. Exercitat. 4. Asiatice exposuerimus.

Aeris primum habenda ratio. Nam medicum oportet esse κωλυσανέμαν: quod clemẽs Alexan. lib. 6. stromat. de Empedocle scribit, qui ab Agrigentinis vẽtos noxios morbidosq; auertit, nõ q̃dem vtrib⁹ ex coriis asinorũ factis q̃ historia apud Laert. in Empedocle à Timęo excepta, & à Suda repetita est: sed

potius, vt Plutarch. in lib. περὶ πολυπραγμοσύνης narrat, ὁ δὲ φυσικὸς Ἐμπεδοκλῆς ὁρῶν τινὰ διαφάραγα βαρὺν, καὶ νοσώδη κατὰ τῶν πεδίων τὸν νότον ἐμπνέουσαν ἐμφράξας λοιμὸν ἔδοξεν ἐκκλεῖσαι τῆς χώρας. Aer, in quo Scorbuticus versatur, sit lucidus, & ad calidum siccumque declinet: nam fomitem morbo suggerit vdum ventosumque cœlum, cum humorum serosorum & frigidorum farraginem non exhauriat. Penula ideirco gausapina opus est Scorbuticis Austro flante: licet propter meridiem calidus sit: nam madidis Notus euolat alis: Terribilem picea tectus caligine vultum, Barba grauis nimbis, canis fluit vnda capillis, Fronte sedent nebulæ, rorant pennæque sinusque: vt de eo Ouid. 1. Metamorph. scribit. Cui rei adstipulatur experientia annorum 1556. & 1562. Si vero aer talis natura non sit, arte procurandus, luculento accenso in cubiculo ex odoratis lignis igne, lauro, Rhodio, Sassafras, iunipero, agallocho, quercu, roremarino, vitium sarmentis: & si quando imbrifera est temporis constitutio, odoribus gratis cubiculum est suffiendum, globulis iuniperi, olibano, succino, styrace calamita, ladano, belzoin, mastiche, rosis, granis myrti, moscho, gallia ac alypta moschata, & similibus. Idem de palustribus, pruinosis, nebulosis, opacis & minime apricis, lacustribus ac oliginosis locis dicimus. In Scorbuto præterea supinam quorundam negligentiam explodimus, qui aerem cubiculi, in quo degit Scorbuticus, nunquam difflari sinunt, & fenestras aperiri, sudo præsertim, ad noui aeris ingressum vetant: vnde contagiosa qualitate stomacces inquinatus aer, vtpote conclusus, putrilaginē acquirit, ac indies magis ægri exspiratione inficitur. Ex quo quid

quid emolumenti resultet, vel Synhodo pecoris Arcadici notum est. Eo etiam hypæthras deambulationes reuocamus.

Cibi vi aperiendi polleant, facile concoquantur, sint boni succi, attenuent, corpus nimio humore diffluens exsiccent, moderate calefaciant, generosum sanguinem, non autem crassos, serosos, crudos, frigidosue humores generent. Cum vero tantum cibi & potus, monente Cicer. lib. de senectute, adhibendum, vt reficiantur vires, nō opprimātur: è re est Scorbutici, victus rationé parcā, tenuēq;, cui vires sunt tolerādo, seruare, vt inundans exhauriatur succus. Inedia namq; plenitudo succorū redundantiū curatur: teste Gal. 13. Method. medend. c. 6. 2. aphor. 17. & com. 21. ex Hipp. lib de salub. Diæta. Abstineat insuper Scorbuticus à iurulentis, humidis, destruentibus, implentibus cibariis: quippe hæc ichores cumulant, qui, cum à liene propter vbertatem absorberi nequeunt, inualetudini fomentum locuples subministrant. Non tamen hic consummata exauctoramus, quæ curam in alendis ægris reportant laudem: vt cum caponem præparatum, abiectis pedibus, intestinis, capite, stomacho & hepate, minutim concidimus: & in cucurbita vitrea, cum momento cinnam. macis, caryophillor. adfundimus liquorem boraginis, & superposito alembico cæco, leniter in balneo Mariæ bullire sinimus: hinc spoliata pinguedine succum in iusculo damus. Aut gallinam fartilem vel capum depila, exentera tantum ab intestinis, farci floribus boraginis, omniaque ossa frange: ferueat in vase capaci tanta cum aqua, vt ad perfectam eius coctionem non sit opus nouam addere: dum fer-

uet auferas pinguedinem. Cuilibet cōsummati iu-
ſculi libræ adfunde vini albi optimi, ℥. iv. Saccari,
℥. ij. Cinnam. ʒ. j. croci, ℈. v. Iterū ferueant ad inte-
grā ſaccari liquationem. Filtratum transfunde in
vas vitreum: datur calidum. Pectus item capi, vel
gallinæ non penitus elixatæ, contunde acriter in
mortario lapideo: cōcuſo adde amygdalas aliquot
in vino Maluatico vel aqua boraginis maceratas, &
ſaccari puriſſimi, quantum lubet. Contuſio repe-
tatur. Contuſa dilue ex iure eiuſdem capi vel gal-
linæ, amota pinguedine. Denuo lente ferueant ad
prunas, bene ſemper agitando. Aut aſſa gallum e-
uiratum, vel perdicem, vel tetraonem, vel attage-
nem, ſemper irrotandæ aqua roſacea, vino Creten-
ſi, vel rubro Tergeſtino, vel Apiano miſta, & cum
caryophillis: poſtea prælo extrahatur ſuccus car-
nis. Vt diutius vero conſeruetur cum ſaccaro in
formam Iulepi redigatur. Aut ex aſſatis columbis
exprime torculari ſuccum: huius portionem mi-
ſce cum optimo iuſculo pullaſtri, vino, ſaccaro, &
tantillo moſchi, nec non recenti ouo. Iiſdem virtu-
tibus doratum eſt ius congelatum D. Andernaci
lib. de peſte. Capus in minutas partes reſcinditur, &
adipe adēta, cum quatuor vitulinis trunculis ex vi-
no & aqua ſimili portione incoquitur, donec caro
ab oſſibus recedat: mox ius per ſetaceum colatur,
ſiniturq; refrigeſcere. deinde pinguedine, q̄ ſuper-
natat, ſublata, iterum in olla recenti incoquitur, &
ſingulis ℔. iij. iuris, Saccari optimi, & cinnamomi
ana ℥. j. additur. Saccaro iā reſoluto, admiſcētur al-
bumina ouorum duorum bene agitata, & modice
ſimul coquuntur, ac ſtatim omnia per linteū quin-
quies aut ſexies iuxta ignem colantur. Ius in fictile
mun-

mundum, aut lancem argenteã infunditur, & loco frigidiusculo reponitur. Hoc ius gelatũ regium facile corpus nutrit, vt quod statim in ore liquatum, ventriculus sine mora concoquat, cæteraq; mẽbra distribuant, vnde omnia nutrita vires recipiunt. Hic cibus interdiu & noctu præbeatur, singulis 4. vel 5. horis. Earundẽ virium est hæc Caponis aqua. Capum norma artis p̃paratum, coque, cõtundeq; cũ hepate & vẽtriculo: adde pulpæ & corticum citri cõditi sextantẽ. Conseruar. citrariæ: boraginis, ana sescuncem. flor. tunicę, ℨ. vj. anthos, ℥. v. Radic. enulæ Cãpanæ conditę, ℥. j. tryngijcõditi, ℨ. ij. passular. minor. incisarum, ℥. j. S. amygdal. dulc. excortic. quadrantem. Specier. *Diambræ*: aromatici rosati, ana ℨ. j. S. Xyloaloes: asphalti rosei, ana ℈. ij. cinnamo. acuti, ℨ. iij. Medullam panis parui e flore siliginis, in vino Cretico infusi. Iuris capi, ℔. vj. Destillentur in cineribus vel arena. Liquor aliquoties per manicam Hippocraticam traiiciatur cum tabulis ex extracto agallochi, & Manus Christi perlatæ cum oleo Cinnamomi paratis: aut Syrupus de cinnamomo, vel floribus tunicæ addatur, vt dulcedinem sortiatur ægri palato adridentem. Ditiores aliquot auri potabilis guttas misceri possunt. Vberrima in his est εὐτεχφία: vt & quoque in quinta panis essentia, quæ sic paratur. Farinam triticeam, siligineam vel secalinam, in mactra munda, aqua rosarum & citraginis consipa & pinse: massam fermenta instar alias panis: hinc coque in furno sufficienter. Tunc inuolue panno lineo, & colloca in instrumentum aptum, vt vapore aquarum rosaceæ & citrariæ ascendente putrefiat. Elapsis triginta sex diebus mollis fit

pasta

pasta: ex qua lento arenę calore elicitur oleum pulcrum & mire roborans. Et hic modus præstantior est, quam eorum, qui panem coctum putrefaciunt per mensem in panno inuolutum, post exprimunt intra tabulas ligneas, vt exeat oleum aureum. Ille autem apparatus, qui peculiari cuiusuis elementi exactione, rectificatione & cohobiis ad sulphur siue animam Philosophorum ex pane concinnandam administratur, sumtus & labores desiderat grauiores: alioquin ob miram virium restaurationem cibi cœlestis nomine inauguratus. Eiusdem farinæ sunt morsuli hi. ℞. Pulpæ pectoris capi, ad carnis ab ossibus dissolutionem coctæ, ℥. iij. Pulpæ pectoris perdicis eodem modo præparatæ, ℥. ij. Specier. aromatici rosati. ℈ iv. Diacinnamomi: Dianthon, ana ʒ. j. Diamargariton calidi, ʒ. v. Tabular. ex extracto agallochi, ℥ j. S. Cinnam. acutiss. did. ahmam. Nucis Lusitanæ maioris conditæ, ʒ. j. S. Macis. ℈. ij. amygdalar. dulcium excorticat. pinearum mundatar. ana ℥. v. Saccari albi in vino Maluatico liquati, libram publicam. Omnibus crasse incisis fiant morsuli: Aut: ℞. Pulpæ pectoris & costarum caponis, ℔. j. Bene coctæ contusæque adde amygdalar. dulcium, ℔. v. Pin ar. mundatar. pistacior. ana trientem. Passular. minor. conquassatarum, quadrantem Gummi Arabici: tragacanthi, ana ℥. j. cinnam. Glycyrrhicæ, ana sescuncem. cortic. citri conditi: N cis Lusitanæ conditæ, ana ℥. j. Caryophillor. santali rubei: Xyloaloes, ana ℥. v. Specier. de gemmis: aromatici rosati, ana ʒ. v. cordialium temperatarum. ʒ. j. Tabular. extracti agallochi, ℥. j. S. confect. Diambræ, ℥. v. conscru flor. tunicæ, siue lychnidis coronariæ: boraginis:

is: citrariæ: ana ℥. j. oſſis è corde cerui, non adul-
terini, g̃. viij. (in debilioribus ſumantur tot gra-
a lapidis Bezaar orientalis, non Peruuiano) ſpo-
ij, ℈. v. Liquoris corallorum rubrorum, & marga-
itarum, ana ʒ. j. Auri potabilis, g̃. vij. ſaccari diſſo-
uti in aqua roſacea, ℔. j. Fiat electuariũ. Inſignem
unc bonitatis gradum nunquam carnes ipſæ vel
arum iuſcula adſequuntur: quibuſcunque ſane a-
omatis condiantur. Scorbuticus autẽ vitet omnes
arnes, quas in cauſa externa recenſuimus, muria-
icas præſertim & infumatas, quę ſcilicet exſuccum
& craſſum alimentum generant, ac tardiſſime pau-
atimquẽ nutriunt. Auiculis vero paruis & indu-
nentis nidulantibus veſcatur, pipionibus, turdis,
viſciuoris cumprimis, attagenis, turturibus, caſ-
icis, perdicibus, parrulis, fringillis, erithacis, co-
urnicibus, ruſticulis ſyluaticis, pullaſtris & capo-
rum, euiratorum puta, extremis partibus. Eſum
autem columborum cellarium & ſylueſtrium, vt
palumborum, maximopere in iis probamus, qui
ſcelotyrbe laborant: quippe eorum caro neruo-
rum adfectibus natiua quadam virtute & ſympa-
thia benefacit, præſertim reſolutioni & tremori: ſi
quid Auenzoari in proœmio ſui Theiſir creden-
dum. Quanquam, vt Oribas. lib. 4. ad Euſthat. cap.
1. tradit, agreſtes domeſticis præſtantiores ſint.
Quod etiam Galen. 8. Method. med. cap. 2. & lib. de
attenuante victus ratione cap. 8. fatetur: vbi ſcribit:
animalia, quæ in ſtagnis ac locis aquoſis & campe-
ſtribus degunt, humidiora ſunt atque excremen-
toſa: quæ vero in montibus viuunt, omnia tempe-
ratura, ſunt ſicciora, ac calidiora, eorumque caro
minimum eſt pituitoſa ac lenta. Eiuſdem Galeni

cenſura aues monticulę, non modo quod aeris, ſed etiam alimenti, quod nobis præſtant, tenuitate antecedant aliis auibus, quæ in locis aquoſis ac campeſtribus degunt, ſunt præferendæ. Inter carnes plerique in deliciis habent ſuillam, quod nempe omnium ciborum, ſuum caro potentiſſime nutriat: & ſuillæ carnis cum humana ſimilitudo ſit maxima: quod ex eo poſſumus intelligere, quod quidam carnes humanas pro ſuillis ſine vlla in guſtu vel olfactu ſuſpicione comederunt: vt Galen. 3. de facul. alimen. cap. 2. & 7. Methodi medēd. cap. 6. ſcribit. Et lib. 10. de ſimpl. medic. facult. idem repetit, addens hiſtoriam quorundam virorum fide dignorum, qui in diuerſorio publico ius eſitarunt delicatum cum carnibus ſuauiſſimis: cæterum cum iam pene ſaturi eſſent, inuenerunt digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad vnguem eſt: quo perculſi ac metuentes eos, qui agebant in diuerſorio, ne ſcilicet ſe quoque vorarent, ceu ei rei adſueti, protinus quidem illinc exiere, ac vomitu redditis, quæ ederunt, ita iter denuo ingreſſi ſunt. At re vera reclamat Galeno experientia: quod Plutarchus quoque 4. Sympoſ. problem. 5. obſeruauit, vbi, cur Iudæi carnibus ſuillis abſtinerent, rationem reddit. τὸ δὲ ὕειον κρέας οἱ ἄνδρες ἀφοσιοῦσθαι διὰ τὴν ὑγίειαν, δοκοῦσιν, ὅτι μάλιστα πάντων οἱ βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι, καὶ τῇ προσβολῇ τὰ τοιαῦτα καταβόσκεσθαι πάθη τοὺς ἀνθρώπους, οἴονται: πᾶσαν δὲ ὗν ὑπὸ τὴν γαστέρα λέπρας ἀναπλεῶν, καὶ ψωρικῶν ἐξανθημάτων ὁρῶμεν, ἃ δὲ καχεξίας τινὸς ἐγγινομένης τῷ σώματι καὶ φθορᾶς ἐπιτρέχειν δοκεῖ τοῖς σώμασιν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ θολερὸν περὶ τὴν δίαιταν τοῦ θρέμματος ἔχει τινὰ πορνείαν, οὐδὲν γὰρ ἄλλο βορβόρῳ χαῖρον οὕτω καὶ τόποις ῥυπαροῖς

ταροῖς καὶ ἀκαθάρτοις ὁρῶμεν, ἔξω λόγου τιθέμενοι τὰ τὴν θέσιν καὶ τὴν φύσιν ἐν αὐτοῖς ἔχοντα τούτοις: λέγουσι δὲ καὶ τὰ ὄμματα τῶν ὑῶν οὕτως ἐκκεκλάσθαι καὶ κατεσπάσθαι ταῖς ψεσιν, ὥστε μηδενὸς ἀντιλαμβάνεσθαι μηδέποτε τῶν ἄνω μηδὲ πρὸς ὁρᾶν τὸν οὐρανὸν ἂν μὴ φερομένων ὑπτίων ἀναροφήν τινὰ παρὰ φύσιν αἱ κόραι λάβωσιν: διὸ καὶ μάλιστα κραυγῇ χρώμενον τὸ ζῶον ἡσυχάζειν ὅταν οὕτω φέρηται, καὶ σιωπᾶν κατατεθαμβημένον ἀήθεια τὰ οὐράνια καὶ κρείττονι φόβῳ βοᾶν συνεχόμενον. Quod Latinis eſt. Carnem porro ſuillam ob ſanitatem quoque reuereri iſti homines videntur, propterea quod barbari maxime omnium gentium vitiligine ac lepra laborant: huiuſque carnis eſu à talibus morbis homines conſumi arbitrantur: omnem vero ſuem ſub ventre lepra ac efflorescentiis refertam fere ſemper intueamur: quæ nimirum ob malum quendam habitum atque corruptionem corpori ingenitam in corporibus ſummis effloreſcere videntur: verum enimuero huiuſmet beſtiæ circa victum ſordities prauitate non caret: quandoquidem nullum aliud animal æque fimo ac lutulentis immundiſque locis gaudere cernimus, exceptis iis, quæ generationem in his ipſis, naturamque ſimilem poſſident: ferunt etiam oculos porcorum vſque adeo inter videndum hebetari atque contrahi, vt nec vllam rem ſuperiorem adpræhendere, neque cœlum adſpicere valeant, niſi ipſis reſupine collocatis pupillæ conuerſionem acquirant: & proinde animal illud, dum vehementer ſtridet, tũc præſertim, ſi ita feratur, quieſcere ac tacere, quæ ſi inſuetudine cœleſtia videat, ſtupeat, & maiore metu à clamãdo deterreatur. Imo Gal. ipſe nimiã & pituitoſã carnis ſuillę humiditatẽ accuſat,

3. de ſa-

3. de facul. alim. cap. 2. & lib. de attenuante victu, cap. 8. 2. de temperam. cap. 2. 8. Methodi medend. cap. 2. & lib. 1. de natura human. comm. 36. Huc referantur omnia farcimina, apexabo, fundolum, longabo, lucanica, & isicium. Ob eandem caussam & culpatur ouium agnorumque, subrumorum præsertim, caro à Galeno. Non itaque prius dentur hæ carnes Scorbutico, quam vel opipara aromatum conditura, vel exacta potius ἐπτήσει humiditas excrementosa dematur. Simile iudicium de aliis esto carnibus & esculentis: quorum in caussa externa mentionem fecimus. Panis ex optimo tritico, bene vanno expurgato, sit paratus, probe coctus, ac fermentatus. Vitet pisces, muriaticos, lutenses, & qui mollem carnem habent: hi enim succo lento & pituitoso abundant, teste Gal. lib. de attenu. Victus ratione cap. 8. qui vero duræ carnis sunt, ægre conficiuntur, succosque crassos & salsos in corpus distribuunt, referente. Eodem 3. de aliment. facult. cap. 31. Pro condimento & intinctu carnis adhibeantur cappares, & succus nasturtij cum aceto expressus. Item Sinapi, quod Dioscor. libr. 2. cap. 143. ad calefaciendum, extenuandum & extrahendum efficax est, lienibusque prodest. Similiter carnibus incoqui possunt radices petroselini ac fœniculi: sed maxime laudatur hic raphanus agrestis, Armoracia Plinij lib. 19. cap. 5. & Dioscor. lib. 2. cap. 104. si quotidie coctus cum carnibus humidioribus esitetur, qui hydropicis prodest: est enim illi calefaciendi & vrinam ciendi vis. Quod de prima raphani apud Dioscoridem specie nobis non pollicemur: cui colligendi flatus vis & natura est, stomacho vero parum accommodata.

modata.

modata, in quo cibum supra se suspendit, & vomitus ructusque ciet. Ferculum alioquin Germanis vsitatissimum.

In potu caue peius & angue exsecramur aquas, cereuisiam crassam & feculentam, lac & serum. Si quis tamen zytho adsuetus est, bibat defecatum, maxime absynthites. Aut vasculo iniiciatur nodulus ex radice caryophillatæ, & iridis Florentinæ, nuce moschata, galanga, caryophillis, baccis lauri, semine anisi, & marathri, atq; similibus. Omnibus autem potulentis in Scorbuto præstat vinum potens & generosum, idque meracum, sed paucum: à quo si calor intenderetur, dilui posset vel decoctione cinnamomi, vel aqua passulata. Bene Euripides in cyclope: μέγιστον ἀνθρώποισιν εἰς τέρψιν βίου οἶνος, σοφὸν δὲ ξύλον τῆς ἀμπέλου. Et apud Athenæum lib. 2. à Panyaside nominatur.

Οἶνος δὲ θνητοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον:
Ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἐστὶν ἀπορρώξ:

vt apud Homerum lib. 6. Iliad. & Odyss. 1. legitur. Nil autem rei nobis est cum helluonum aqualiculis, qui tantum bibunt, vt vsu veniat, quod sibi ebrio dicit accidere cyclops Euripidæus: ὁ δ' οὐρανὸς μοὶ συμμεμιγμένος δοκεῖ τῇ γῇ φέρεσθαι. Præ aliis autem vinis laudatur in Scorbuto absinthites & chamædrytes: quibus addi possunt radices cariophillatæ & rhapontici, scolopendrium, carduus benedictus, absinthium ponticum, galãga, caryophilli, lignum tamarisci, rhodium & sassafras, cui ad manus est oleum absinthij destillatum, illa extemplo guttis aliquot vino infusis, vinũ absinthites generosum parare potest. In hanc classem vina alia medicata referimus, vt tamaricis, euulatum, saluiatum, ros-

marinarum, iuniperinum, stæchadites, buglossatum, boraginatum: quæ potentiora sunt, si extracta chymica cum saccaro iis misceantur: viua amplius Hippocratica & clareta cuiuscunque generis, item saccarata: siue quibus oleum cinnamomis & caryophillorum instillatur, cum tabulis ex extracto agallochi: Hæc mire iis subueniunt, quibus humor calorque natiuus imminuitur. Earundem virium sunt οἰνόμελι καὶ ὑδρόμελι, siue melicraton.

Quia amplius, teste Galen. 8. Methodi medend. ca. 2. excrementosa sint omnia, quæ exercitatione carent: exercitium Scorbutico imperandum, sed moderatū: nam si plurima succorum abundantia sit, exercitatione sine periculo nō vtimur, mouente Eodem 13. Methodi medend. cap. 4. Potest autem Scorbuticus vario motu, per vehicula, ambulationes, frictiones, balnea: quæ Galen. recenset lib. de arte medica, cap. 100. & Cels. lib. 1. cap. 8. Balnea intelligimus sicca Laconica, in quibus tantum sudor excitatur. Omnia autem hæc, vt Galeni sententia 2. aphor. 16. cibum antecedere debent: ita iuxta Celsum lib. 1. cap. 2. qui non concoxit, debet ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negocio credere.

Somnus sit nocturnus: non tamen vltra Epimenidem comprimant genā genæ. Somnus quippe nimius facultates animales obtundit, & capitis grauedinem, & morbos frigidos gignit: vt Auicen. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 13. scribit. Et Galen. 1. de sympt. caus. cap. 8. apoplexiam & altum somnum inter se confert, quatenus sunt actionum cerebri, tum cohibitiones, tum quietes: siue, vt Aristot. lib. de somno & vigilia vocat somnum τῦ πρώτυ αἰσθητηρίυ

καταλη-

κατάληψιν. Quibus etiam diuinus adstipulatur Plato lib. 7. de legibus: ὕπνος γὰρ δὴ πολὺς, οὔτε τοῖς σώμασι, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδὲ αὐταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν, καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Ἀλλὰ ὅστις τοῦ ζῆν ἡμῶν, καὶ τοῦ φρονεῖν μάλιστα, ἐστὶ κηδεμὼν ἐγρήγορε χρόνον ὡς πλεῖστον τὸ πρὸς ὑγίειαν αὐτοῦ μόνον φυλάττων χρήσιμον: ἐστὶ δὲ οὐ πολὺ καλῶς εἰς ἔθος ἰόν. Et notus est Hippocratis apho. 3. lib. 2. ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν. Quin Plin. lib. 11. cap. 53. ait: Somno concoquere corpulentiæ, quam firmitati vtilius: peruigilio quidem præcipue vincuntur cibi.

Excrementa alui quotidie deturbentur. In quo si natura segnes est, ea aut extractis leuioribus, Panchymagogo præsertim, aut electuario passulato, vel confectione anisi purgantis, aut enemate benigno sollicitanda.

Venerem cum Democrito apud Plin. lib. 28. ca. 6. in scorbuto diris deuouemus: alias æger nimis sero cum Theocrito Idyll. 2. clamabit:

Αἰαῖ ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας.

Tristitia timorq; ad Garamanthas expellenda & iuxta Senarium, ἄνθρωπος ὢν γίγνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν. Hoc aũt sic fit: νίκη ζῶν ὀργὴν τῷ λογίζεσθαι καλῶς.

Totius Scorbuticorum victus ἀνακεφαλαίωσιν succincte nobis proponit Pythagoras: κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε.

O Phocylides, quam eximius Philosophus & medicus es, cum ais: πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεεινή. Ah Phocylides hercle apud nostros laterem lauas: lauarunt ante nos prisci: lauamus & nos omni proculdubio in Scorbuto:

lauabunt post nos alij: Sed quid tum? Phryges demum plagis sapient.

EXERCITATIO IX.

Præcautio Scorbuti.



Onnulli Scorbuti ab inualetudine liberari, paulo post in illam relabuntur. Hoc accidit, vel cum iudicatum fuit ἀσεφὲς & ἀτελὲς: vnde Hipp. 2. aphor. ait: τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν: vel cum enormes in victu errores patrantur, corpore præsertim non ad amussim purgato: hinc verum est, quod ibidem Hippoc. aphor. 10. inquit: τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψει. Ex hoc frequentissime nostra memoria contingit. Nam inueniuntur plurimi, qui, quamprimum capulos pollinctorum declinarunt, voracitate non verentur certam cum Lepræo Eleo, ac Hercule, qui & triplici dentium ordine instructus fuit, & βουφάγος cognominatus, quod bouem integrum in vno prandio consumeret, recensente Pausania in Elegiacis, lib. 1. aut cum Milone Crotoniata, Palestrita, & robusto, & vorace, lib. 2. Eliacorum: aut cum Mimo Phagone, cuius Flauius Vopiscus in Aureliano meminit: qui eo vsque multum comedit, vt vno die aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Iisdem cancellis includuntur & Phileni, vel vt Athenæus ait, Philotonistæ: cum quibus plurimi Germanorum à morbo vix respirantes optant,

vt in

vt in balænas conuertantur; dummodo mare mutetur in pretiosissimum vinum, in quo continuo volutandum illis foret. His quadrat epitaphium Parasiti Offellij Bubali bibuli, Romę extra portam Capenam: qui, dum vixit, aut bibit, aut minxit. Vt & illud, quod cippo Timocreontis inscriptum Lilius Giraldus de Poetarum historia recenset.

Πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
'Ανθρώποις, κεῖμαι Τιμοκρέων ῥόδιος.

Multa bibens, & multa vorans, mala multaq; dicens
Ipsę viris, iaceo Timocreon Rhodius.

Ita, παροιμιωδῶς, turdus sibi ipse malum cacat & Cæcias attrahit nubes. Quæcunque sane caussa sit, sciendum ex Auie. fen, 2. 4. tract. 1. cap. 95. recidiuam sua radice deteriorem esse solere: Viribus vtique à priori morbo fractis, quæ nouo morbo ferendo non sint. Si manca crisi natura vniuersas morbi reliquias non expulerit: & purgantibus, & symptomata corrigentibus medicamentis strenue procedendum; atque eo omnes dirigendi nerui, ne natura cespitans humoris exorbitantis truculenta succumbat; hac tamen cynosura obseruata, ne nimia pharmacorum ingurgitatione palatium vitæ demoliamur. Si ob victum vel vberem, vel prauum Scorbutus recurrat, hic non solum decurtandus & corrigendus, sed etiam danda opera, ne quod Gal. 2. aphor. 10. adnotat, corrumpatur aduenniens alimentum vna cum iis vitiosis humoribus, qui iam in corpore præexsistunt: ita vt ipsorum quidem quãtitas augeatur, qualitas vero seruetur: hoc præcipue fit, quando ventriculus quibusdam humoribus vitiosis plenus exstiterit, Purgantibus

iccircò leuibus & hic opus erit, vt & roborantibus ventriculum.

Amplius Scorbutus, si semel inuaserit, solet fere quotannis reuerti, vere mitius & breuius autumno periculosius & diutius grassans. Pro virili itaq; enitendum, vt imminenrem hostem eliminemus. Voti autem compotes fiemus, si causis Scorbuti minime cedemus: quod est, si in victu non delinquemus: diætæ enim commodæ magna vis est in præseruandis morbis: vt recte Græcus auctor de Podagra, paragrap. 12. scribit: si deinde Galeno obædiuerimus, qui lib. 1. de humor. com. 12. inquit, ad precauendũ, ne in morbos ex plenitudine cadamus, cõmodissimum euacuandi tempus ver est, atque ab hoc autumnus. Idem tamen addit: purgatio, venæque sectio ad præcauendum frustra instituitur in intemperantibus, vicosis atque ventri deditis. Singulis itaq; annis bis, vere ac autumno, ex corpus purgandum, & vtriusq; brachij, nunc huius, nunc illius, venæ tundendæ, vna cum diæta exacte obseruata. Si malum altius radices egerit, præstat præter dicta, quouis biennio aut curatione per sudorifera, Spagirica præsertim diaphoretica, causam Scorbuti exstirpare, aut thermarũ tepore μόλυσμα corporis auerruncare. Quos scopos æger vobis superius ostensa remediorum εὐπορίστων καὶ πολυχρήστων farragine facilime adsequetur, si Ioua pro sua ineffabili clementia adnuerit. θεοῦ θέλοντος καὶ ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις: siue virgultea scapula Ægæum transmittes: censet Senarius. Attamen iuxta adagium videndum, ne à chytropode cibum nondum sacrificatum rapiamus. ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

Perteximus, σὺν τῷ λόγῳ καὶ λόγῳ, medicum de scor-

de Scorbuto philosophema: cuius morbi caussas propter raritatem non ἀκριβῶς & ἀστόχως plerique æquilibris veritatis rimati sunt ea, quæ desiderabātur diligentia. Medici nostrates chymistis haud sunt absimiles, qui tegunt omnia suo Mercurio: sic sat habeat, si vbique Galeni nomen eructent, etsi ratio reclamet. Ita & hic, spreto vero lienis vsu ab Hippocrate ostenso, ingenij torrente rapiuntur ad Galenum: cuius doctrina quam procul à firma medicandi norma desciscat, experiuntur illi, qui Scorbuticos curant. Sicuti autem minime βεκκεσέληνοι antiquatos errores nouis obruere insaniis conamur: ita nihil infelicius illis arbitramur, qui mordicus tenent, maiores nostros nihil ignorasse. Recte quidem Cancellarius Parisiensis ait: (quod Vdalricus Zasius libr. 2. de origine iuris refert:) temeritatis notam esse, viros sapientiæ gloria conspicuos, vel statim errori subdere, vel quod temperata resolutione placari poterat, velle subuertere: at docti contradicente veritate, non verentur sæpe numero priscis contradicere, & perinde atq; propositis gloriæ præmiis cum ipsorum magnitudine certare. His συμφωνεῖν cogitamus, dum natiuum lienis vsum in Neacademias Asclepiadeas inuehimus, ab Hippocrate quidem & Aristotele monstratum, à Galeno autem iniuria temporum obliteratum. Deinde nec ambigimus, stentores multos fore, quibus ob philochemiá, stellionatus rei, Hybridæ, eymomiæ, tabani, hepioli, & vecordes Paracelsitæ Sphingis propugnatores, atq; iunceæ Theophrasti ridicæ erimus: dum Paracelsi exauctorata & hastæ subiecta magisteria contra canones Galeni, ciuitate doceri vrgemus. Scimus plerosq; Orphe

pietatem, Pythagoræ maieſtatem & abſconditum totius creaturæ ſcientiam, Socratis humanitatem, Platonis eloquentiam & inquiſitionum ſubtilitatem, vno Paracelſo adſcribere: econtra alios eum inceſto ore lacerare, carbonarium impoſtorem, exorciſtam, excetram, necromanticum, thymelicum, vomicum medicorum, lernam mendaciorum, ac temulentum plagiarium nominantes: vt propterea nec philoſophorum lacerna, nec medicorum toga amiciendus ſit. Deturparunt Theophraſtum ſui næui: quos ad alius iudicis tribunal amandamus, quam ad Hygię & Panaceæ fanum: penes quod continuum eſt eremodicium. Exulet λιθοσοφία: cum Chymiſtæ ex non auro parare conantur aurum: vnde & ſuum habent Proteum, argentum viuum: & ſic ex Indiæ Peruuia corbitas onuſtas auro trahere ſe poſſe venditant, etiam ſine vento, ſine naulo, ſine remige, ſine remulco, ſiue helciariis. Infelix ſane tales chryſurgi ſiderum errantium thema nanciſcuntur; nam hoc omnis decollat ſpes: dum experiuntur, à fumis exhalantibus indies magis, magiſque obfuſcari, Mercurium: quo minus à Lunæ, minime vero deſideratiſſimi Solis radiis illuſtrari poſſit. Et licet quandoque Saturnus malignus ad Iouem proxime accedens, miteſcat. Mars etiam nubilas nubeculas ſuperet: & ſic bono proditi adſpectu, ſudum polliceantur: Luna etiam Veneri coniuncta fauere illis depræhendatur: Sol tamen ob ruderatæ terræ interuentum, Lunæ, aliiſque Planetis, maxime vero Mercurio, vires indolemque impertiri nequit. Manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt, quod vident. Et vero conſonum eſt diſtichon D. Schillingi:

'Ουδετὶ

Οὐδενὶ χρυσὸν ἔδωκας, ἅπαντι δὲ χρυσὸν ὄλεσας,
Ὦ σοφὲ χρυσολέτης, οὐ σοφὲ χρυσοδότης.

Item: *Dum lapidem quæris Lulli, quem quærere nulli*
Profuit, haud Lullus, ſed mihi nullus eris.

Digni ſunt certe ſupplicio Thurini Verconij, quem Alexander Seuerus Imperator necauit, iuſſitque præconem clamare: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Res adeo in propatulo eſt, vt & hominibus blitteis & gramoſis nota ſit: ne de magnatibus dicamus, quos hi mangones prorſus infatuarunt. Verum ſi modo ſaperent Phryges: at q.d, ſi ſero? noſtra ἐπιτήμισις eſt, quod fauemus caſtæ chymiæ, quæ methodo Dogmaticorum firme innititur. Qui vero Galenica remedia aſpernantur, eos é corona doctorum eliminandos cenſemus. At ſemper eadem chorda oberrare, neque difficilimos morbos nobilioribus remediis eradicare, deſidiis ducimus. Duo quippe nodo durum quærendum epiſchidium: quicquid nonnulli περίπατποι παππάζοντες ronchiſſent. τὸν φρόνιμον δεῖ τάδε καὶ τάδε φέρειν. Nequaquam cum Paracelſi lurconibus Anticyras nauigamus, ſed tyrònibus, (quibus ſolis hoc aruum conſeritur:) calcar & anſam præbere conamur, non perpetuo trita replicandi, ſed etiam altiora medicamenta conuaſandi: quorum Spagirica præparatio incredibili referta eſt iocunditate. Eius rei quoque typum in reſuſcitatione mortuorum cernemus. Corpora namque noſtra, piſtillo mortis in mortario morborum & phrontiſterio calamitatum teruntur: poſt in puticulorum digeſtione putrefiunt, loculo terrę luto Hermetice ferruminato, vſque ad extremi iudicij diem: quo luculẽto reuerberij igne cucurbitæ mundi ſubdito,

tandem ex maſſa putrida & putida viuus viui Dei ſpiritus nouam Eſſentiam ac Balſamum incorruptibilem, etiam ex corruptiſſimis mumiæ partibus eliciet: vt hic perpetuæ aquæ vitæ artificioſiſſime ratificatæ, quæ ne guttulam quidem phlegmatis immundi mundi retinet, reſpondeat: quæ æternam iuuentutem & ſanitatem conſeruabit in flore: ſenectutem viridem retardabit: omnes clades pellet; immo ipſiſſimam mortem, eiuſque ſatelliʒes inualetudines profligabit. Cuius beatitatis, vt nos quamprimum compotes reddat Dominus θεάνθρωπος pro ſua φιλανθρωπίᾳ, etiam atque etiam oramus.

A M E N.



INDEX MATERIARVM ET RERVM IN TRACTATV REVSneri de Scorbuto contentarum.

A

Aqua

Barab

Cerno-

Dysen-

E.

F.

Febres

G.

H.

M.

N.

O.

Obstru-

P.

R.

Rigor

Sol

INDEX.

FINIS.

